Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
26 B
18
40.6.21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
CONGREGATIONVM BEATISSIMAE VIRGINIS Mariæ.

COLLECTI EX ANNALIBVS Societatis IESV.

OPERA VNIVS E' Societate eâdem.

idest Jo: Hieronymi Ba=iolii

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BVRDIGALAE,
Apud PETRVM DE LA COVRT.

M. DC. XXIV.

Cum Priuilegio & Approbatione.

Coll. Rom. Soc. Iesu Cat. Inscr.

Auctor est P. Ioannes Hier. Baiolius.

Digitized by Google

BEATISSIMÆ VIRGINI DEIPARÆ.

SEMPER tibi cordi fuit, poſt Deum & antè cœlites omnes, (BEATISSIMA VIRGO) dilecti Filÿ gloriam tueri paſſim, & promouere. Semper Filio cordi fuit chariſſimæ Matris nomen augere; vt quæ viuẽs in obſcuro latueras, poſt beatiſsimã dormitionẽ fieres vbiq; terrarũ illuſtris.

Semper cordi fuit ÿs omnibus, qui vel primoribus labris diuina attigiſſent, & maximè adoleſcentibus quorũ ſe prima ætas aperit, ad ſecuturi tẽporis cautionem, in ſuauiſſimum pietatis tuæ ſinũ turmatim conuolare: vbi ſecuri conquieſcant. Semper tibi cordi fuit, ô tutelaris huius ætatis mater, & cuſtos, omni ſtudio excipere, impenſâ curâ fouere, in hæc tenera germina, virtutis omnis ſuccum

infundere, & futuræ beatitatis fructus vberrimos præuio ſapore miniſtrare.

Hinc illa Sodalium tuorum tam præclaré, tam piè, tam ſanctè geſta, quorum Vrbes, Prouinciæ, Regna, Orbis vterque luculentus eſt teſtis. Hinc illa tam frequenter edita miracula, quibus tibi gratum obſequium, acceptiſſimas Sodalitates non obſcurè ſignificaſti, & te in filijs chariſsimis prolixiſsimè commendaſti.

Ego, qui ſecundùm Deum tibi viuo, & ſpiro totus, & viuam, & ſpirabo quandiu me non deſeret ſpiritus ille quem traho (nec enim memorem filium, accepta beneficia à Matre tam benè meritâ, vllo vnquam tẽpore auelli patientur:) tui prædicandi nominis, commendandiq́; obſequij, nullam anſam abire ſinam. Quamobrem ex hac virtutum miraculorumque ſyluâ luxuriante, quibus Sodales tuos adornaſti, ſertũ hoc nobile cõtexui; quo te, ô cæli terræq́; Regina potentiſsima, coronarem. Hanc enim opellam qualemcumque meã tibi, vt ſuſcepi, ità iam abſolutam volui conſecrari. Accipe igitur libellum hunc meum, imò tuum; tuoque præſidio ità foue, ac tuere, vt ſperato fructu ne deſtituatur. Amen.

Digitized by Google

VNIVERSIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ SODALITATIBVS.

T*ANDEM plurimis veſtrûm votis expetitum volumen* (SODALES COLENDISSIMI CHARISSIMIQVE) *foràs eminet, in vulgus publicatum. Excuſsi ego, quantacumq; potui curâ ac diligentiâ, Societatis noſtræ Annales vniuerſos; vt quævobis conducerēt, in priuatum codicem transferrem. Quoniam verò hæc pagina nil niſi Mariam exarat, ſuopte iure à me exegit, ne vouere-tur, niſi ijs qui Mariam penitiſsimis viſceribus ardent. Hi eſtis omnes, omnes: quibus gratulor omnibus, ei mancipatis, cuius amor ipſum Numen cælo euocauit, & incircum-*

ſcriptam humanis artibus implicuit diuinitatem.

O verè nobiles tàm illuſtri Reginâ aulici! ô ſecuri tàm ſyncerâ patronâ clientes! ô beati tàm amicâ parente filiȷ̈! Venerari Reginam, demereri Patronam, amare Matrem pergite. Illa in dies ſuos ſibi aulicos tàm arctâ beneficiorum communione deuincit: Illa ſuos clientes tanto ſtudio ad infinitam penè miraculorum vim proſequitur: Illa ſuam prolem tàm ſingulari morum, atq; virtutum omnium honeſtate informat.

Ecquid aliud pius iſte liber deſcribit? Intendite quoquouerſum oculos, & mentem; nihil niſi tenerrimũ in Sodales ſuos Mariæ affectum, nihil niſi Marianorum Sodalium facta luculenta intueri, & cogitare poſſitis. Habetis excitatam fornacem, in qua ardentiſſimus veſter ergà Deiparam amor accendat ſe, ſi quando intepeſcit. Habetis propoſitum exemplar eorum, quos vobis eadem Parthenici obſequiȷ̈ ſimilitudo coniunxit; vt vos deinceps veſtráque omnia ad normæ huius ſãctitatem rectiſſimè componatis. Illuſtre quidem fuit Virgini, hunc tam luculentum ignem incendere; at vobis in eius ſtudio refrixiſſe, plenum probri atque dede-

coris. Glorioſum Sodalibus, ea modeſtiæ, cõſtantiæ, demiſsionis animi, caſtimoniæ, virtutum denique omnium monumenta tranſmiſiſſe; vobis turpiſsimum, illa quæ accepiſtis, imitando tueri & conſeruare non poſſe.

Quamobrem oro vos per ſummum Numen, atque adeò ipſam Numinis Matrem, æqui bonique conſulite, & valete Virginis amor & delicium.

Veſter in Chriſto & Deiparâ ſeruus
I. H. B. S. I.

LIBER AD LECTOREM.

Nil niſi Parthenicos memoro, pia charta, Sodales:
Nil, niſi Virgineo nomine digna, cano.
Vt premit in pœnas, vt palmam in præmia laxat
Virgo; hîc exemplum nobile, Lector, habes.
Si me conſueto laceras, dens improbe, morſu;
Ex me Virgineam diſce timere manum.

BEATISSIMAE VIRGINI PARENTI SVÆ OPTIMÆ Congregatio titulo Purificatæ Burdigalenſis.

D. D. D.

*Iſte, tuis (*VIRGO*) quotus eſt, è floribus hortus*
Pullulat, èque tuo ſumit odore ſuum.
Carpe manu flores, & naribus admoue odorem;
Namque tui flores, eſt color ipſe tuus.
Noſter fortè color, vel odor, vel forſitan ordo eſt?
Erro: color tuus eſt, vt fuit ordo tuus.
Et ſerere, & flores eadem miſcere parata es;
Emicat iſte tuo déque calore color.
Ergò tuo totus Liber hic ſi munere creuit,
Totus & hic munus debuit eſſe tuum.
Quos tua diuerſis manus olim ſeuerat hortis,
Ille breui flores colligit areolâ.
Accipe, namque ſinu quo prodiit antè, recondi,
Quâque ſatus, carpi vult Liber iſte, manu.
Sic emiſſa ſuo mare flumina ſuſcipit alueo,
Quærit & vnde prius fluxerat, vnda caput.
Non aliter quas prima penus de diuite fundis,
Hoc tibi opus totas, VIRGO, *refundit opes.*

Digitized by Google

B. VIRGINIS PVRIFICATAE SODALITAS BVRDIGALENSIS cæteris Sodalitatibus.

EXempla capite Virginis cœtus ſacræ,
Quæ legere magni ducimus, pluris ſequi.

EADEM SODALITAS BVRDIGALENSIS CÆTERIS Sodalitatibus.

ANnorum longo franguntur fœdera lapſu,
Ni partem quoddam pignus vtramque fouet.
Mittimus hunc vobis, Socij, pro pignore, librum,
Qui veterem inter nos firmet amicitiam.
Nec commune deeſt, iungendo in fœdere, vinclum,
Aptus in hos vſus hic Liber eſſe poteſt.
Veſter enim eſt, veſtræ Pietatis facta recenſet;
Et Noſter; noſtrâ namque coactus ope eſt.

AD

FLORENTISSIMAM IVVENTVTEM SODALITII BVRDIGAlenſis, è quo liber prodijt.

VIuite Ieſſææ fœlicia germina Virgæ,
E quorum tenero ceſpite vixit opus.
Quot legit illuſtres Mater benefida coronas?
Cui tàm ſollicitâ pagina lecta manu.
Ibitis, ô Iuuenes, quanto liber orbe volabit:
Hic lucem è vobis hauſit, & ille dabit.

AD

IVVENTVTEM B. VIRGINIS STVdioſam, de hoc libro.

ECquid, Beatæ Virginis alites,
Florum volatis per calices nouos?

Libatis ecquid, curſitando,
Delicias operoſiores?
Vobis teruntur ſacra volumina,
Venæ piorum perpetuus labor,
Mentem procacem dum è tumultu
Ad proprium reuocatis orbem.
Hanc laudo curam, nec Deus improbat;
Sed vos labori parcite. Quàm tulit
Hæc veſtra tellus, quid remotis
Quæritur à populis ſupellex?
Nec vincla mens eſt indere, liberi
Florum per omnes currite lectulos:
Hinc totus aris Chriſtus halet,
Virginis hinc amor, atque virtus.
At ſi in Maria luxuriat ſtylus
Laudes, probatur; ſed magis hæc ſequi
Exempla virtutum putamus,
Nobiliumque ducum trophæa.
Cliuoſa non ſunt ſaxa, ſed arduum
Tollunt cacumen; tu facili pede
Abrupta tranſcendes viarum;
Trita via eſt, comiteſque multi.
At ſi nec iſtis cor ſalit æſtibus,
Tantiſque pectus conſilijs minus
Detrectat, hoc te ſed pudebit;
Eſt etiam Pudor ipſe virtus.

AD SODALEM PARTHENIVM DE BEATA Virgine.

Effice, vt æternæ cernis dum Matris honores,
Antè alios huius ſit tibi Matris honor.
Effice, diuinæ Matris dum cernis amores,
Antè alios huius ſit tibi Matris amor.
Mater amore, potens Regina eſt munere : Matris,
Caſtus amor; Dominæ dona, ſequatur honor.

AD SODALES DE HOC LIBRO.

Si non excreuit, nec magna volumina iactat,
Veſtra etiam expectat prodere facta Liber.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI AVCTOR.

ALIQVA ſunt, (amice Lector) de quibus te in veſtibulo huius libri velim præmonitum. Primum eſt, me conſultò res Parthenicas ad annos ferè ſuos, non ad certos locos communes virtutum, & exemplorum, reuocaſſe. Tùm quia multa non videbantur ad peculiare quoddam caput reduci poſſe, vel certè pari iure ad diuerſa reduci debuiſſent. Tùm quia vitatur eâ ratione tædiũ, quod cõtinuata lectio exemplorum ſimilium, quæ ſub eodem communi loco continerentur, omninò peperiſſet. Alterum, me non tam ſcripſiſſe res geſtas & exempla Sodalitatũ, quàm tranſcripſiſſe, & ex ſuis fontibus deriuaſſe, ſty-

lo parùm, aut nihil ferè mutato. Quod ità fieri oportuit, vt de fide ſingularum rerū & hiſtoriarum magis conſtaret. Tertium, me non omnia Sodalitatum præclara facta hîc exaraſſe, ſed ex ijs quæ conſcripta iam olim erant (multùm verò abeſt, vt omnia cōſcripta fuerint) ſelectiora quæque, & ad cultum Deiparæ promouendum in primis conducibilia: omiſſis compluribus, quæ vt ad Sodalitates maximè pertinerēt, ad Societatis tamen etiam noſtrę peculiarem commendationem facere videbātur; & ijs præterea, quæ non ſatis honeſtè vel cautè narrari poterant; & alijs aut nimiùm tritis, aut etſi non tritis, at certè omninò ſimilibus, quorum proinde repetitio frequentior minùs incūda futura erat. Si quæ tamen aut vulgaria, aut ſimilia aliquando cōmemorabuntur; id propterea fiet, quia nec eodē, nec vulgari prorſus modo euenerunt. Habes interim in fine libri Indicē ſatis cōmodum, & per cōmunes locos digeſtum; ex quo facilè, vno velut aſpectu, quæcunq; in hoc libro continētur intelligere poſſis. Quod reliquū eſt, fruere, ſi placet, labore noſtro, ad maiorem Dei, Deiparæque laudem, & benè vale.

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs infra-ſcripti Theologi Societatis IESV, fidem facimus, hunc librũ cui titulus eſt; ANNALES CONGREGATIONVM BEATISSIMAE VIRGINIS MARIÆ, &c. nihil continere quod fidei Catholicæ Romanæ, aut moribus aduerſetur; quinimò eſſe valde vtilem, ad Dei Deiparæque cultum vbique, maximè in Sodalitatibus Parthenijs, promouendum. In cuius rei teſtimonium, propriâ manu ſubſcripſimus. Burdigalæ die 18. Iun. Anno 1624.

CLAVDIVS GODARD.

IOANNES MARTINON.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS ET SVPERIORVM Societatis IESV.

PETRVS COTONVS Prouincialis Collegiorum Societatis IESV in Aquitaniâ, iuxtà priuilegium eidem Societati à Rege Galliarum Chriſtianiſſimo die 10. menſis Maij anni 1583. conceſſum, (quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque illorum permiſſione imprimant) permittit Petro la Court Typographo Burdigalenſi, vt librum, cui titulus eſt, *Annales Congregationum Beatæ Virginis Mariæ, &c.* imprimere poſſit, ad ſex integros annos. Datum Burdigalæ die 24. Iunij 1624.

PETRVS COTONVS.

Digitized by

PRAEFATIO
DE CONGREGATIONVM BEATISSIMÆ VIRGINIS Origine, Confirmatione, vtilitateque multiplici.

QVEMADMODVM in hoc mundo nihil eſt, quod ſe ſtatim profundat vniuerſum, nihilque ex ijs quæ præſtantiora iudicantur, quod non quibuſdam rebus velut præambulis & initijs rudibus natura præmuniat; ita homines Dei naturæve ductu nullum opus magnum, & præclarum aggrediuntur, quod non rudibus quibuſdam initijs prætexant,& paulatim quaſi per gradus ad perfectionem ſuam deducant. Hoc vt in Eccleſia, vt in Religioſis ordinibus, vt in opificijs quibuſque illuſtrioribus facilè poteſt conſpici; ità & in Sodalitatibus Parthe- 1

nijs,quę vbique iam terrarum ab aliquot annis, Societatis IESV ope induſtriâque propagatæ ſunt. Quod vt facilius omnes intelligant,ſimulque omnipotentem Dei digitum fuiſſe,qui huiuſmodi cœtibus ex debiliſſimo principio profectis innumerorum hominum ſaluti proſpicere voluit; referam hoc loco breuiter quæ ea de re leguntur partim in primis Annalibus Societatis IESV, partim in eiuſdem Hiſtoriâ recens conſcriptâ.

2 IGITVR in primis Annalibus Prouinciæ Sicilienſis anni milleſimi-ſexcenteſimi-quinti, vbi narratur obitus P. Sebaſtiani Cabaraſij Syracuſani, ſcriptum legimus, hunc Patrem diuino planè conſilio primum Partheniarum Sodalitatum authorem extitiſſe. Vbi,& quo tempore tam illuſtri operi initium fecerit, nullo publico ſcripto conſtat. Sed veriſimile eſt id Genuæ aut Peruſij eueniſſe non multò antè annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum-quartum, cùm hæ Sodalitates & Deiparæ dicari,& certis legibus regi cœperunt: vt ex ijs quæ paulo poſt ſubijcientur ſatis patebit. Præclarum eſt(inquiunt litteræ Collegij Syracuſani) & memoria ſanè dignum illud pietatis facinus, quod idem Pater primus in Societate ſuſcepit, cogendarum nempe ſub Beatiſſimæ Virginis tutelam concionum aliquot, quibus in eum modum verba factitabat de mortalis generis patrona Deipara eiuſque in nos benignitate, vt eas quas nunc Congregationes Parthenias nuncupamus inſtituerit. Eius dein-

Digitized by Google

de conſilium ac ſententiam reipſa omnis ſecuta eſt noſtra Societas, tantâ cum approbatione tamque felici euentu, vt diuinum potius inuentum eſſe quàm humanum luce clarius videatur. Qua tamen in re omnium bonorum autor Deus nullo alio inſtrumento vti voluit quàm Cabaraſio. Cuius arboris præſtantia ac bonitas quãta fuerit, teſtes ſunt omnium Religionum incrementa, totque animorum fructus, quot maturiores & vberiores vbique gentium in dies reddi, nemo eſt qui ignoret. Neque verò Cabaraſius qui totum orbem hiſce diuitijs compleuit, ſuam ipſe ciuitatem reliquit egenam. Tres enim hìc inſtituit Congregationes. Hæc ibi.

At verò in Hiſtoria Societatis I E S V conſcripta recens à P. Franciſco Sachino, cùm agitur 3 de ijs quæ ad annum 1563. ſpectant, ſic habetur: Inchoata eſt Romæ pia quædam Sodalitas, auctore Ioanne Leonio Belga infimæ rudimentorum Grammaticæ claſſis magiſtro, inter inferiorum claſſium adoleſcentes ex his qui præcipuo ſtudio ſociare cum litteris pietatem cuperent. Cœpêre diebus ſingulis, poſt miſſos cœteros, in vnam è ſcholis in qua altare pulchrè ornauerant, congregari. Ibi aliquandiu orabant vniuerſi: dein vnus è pio libello quippiam legebat, audientibus cœteris. Diebus autem Dominicis ac Feſtis, etiam veſpertinas de more Eccleſiæ modico cum cantu peragebant preces. Ex his rudibus initijs Sodalitates quæ deinde B. Virgini præcipuo ſtudio dedicatæ tam inſi-

gni cum iuuentutis atque aliorum bono, certis formatæ inſtitutis, latè per omnes mundi oras fuſæ ſunt, emanarunt. Quamquam non Romæ primùm hi ſimplices diſcentium cœtus exorti: nam ante hunc annum Genuę ac Peruſiæ mentionem eorum reperi. Hæc ibi. Vt nimirum intelligas prius Peruſiæ, ac Genuæ quàm Romæ Sodalitatum Partheniarum fundamenta iacta fuiſſe, & quidem ab illo cuius litteræ annuæ Collegij Syracuſani mentionem faciunt.

4 Deinde inter ea quæ anno 1564. ſunt geſta, idem Sachinus de hac ipſa Sodalitate Romana narrare ſic pergit: Quæ cœpta ſuperiore anno Sodalitas diſcentium erat, ea Beatiſſimæ Virginis ſubiecta hoc anno tutelæ eſt: ijſque conſtituta legibus, quibus magnam partem hodieque regitur. Finis propoſitus in pietate litteriſque progreſſus. Sodales ad ſeptuaginta numerabantur. Quâque hebdomadâ confiteri: quôque menſe ſanctiſſimum Chriſti corpus ſumere: ſingulis diebus ſacro intereſſe: Virginiſque vel roſaria vel preces è libello iuſſi percurrere. Veſperi è ſchola dimiſſi congregati quartam horæ partem meditationi; alteram autem partim excipiendis capitibus quę die poſtero meditarentur, partim conferendo breuiter quæ agitauerant, conſumebāt. Diebus feſtis à prandio poſt decantatas veſpertinas preces, alij ad viſendos in noſocomijs ægrotos, alij ad ſalutandas Diuorum reliquias, alij ad alia pia munia mirâ ibant alacritate. Omnibus vnus è Societate præerat, qui cum cætera moderabatur, tum diebus Do-

Digitized by Google

minicis adhortationem habebat. Ex Sodalibus vnus qui præeſſet cæteris, lectus eſt, cui Pręfecti appellatio indita: duodecimque præterea inter quos cura reliquorum diſtributa, vt nullus negligeretur: quòque paucioribus quiſque intentus eſſet, hoc abſolutiùs cuncta procederēt. In cæteris commoditatibus huiuſce Sodalitatis illa non fuit è poſtremis, quòd inter ſe agentes pari animo & pietate adoleſcentes, vitabant improborum conſuetudinem, quâ molli improuidæque ætati exitium nullum eſt certius. Hactenus ex Societatis IESV hiſtoria. Quæ omnia ſatis oſtendunt quibus initijs Congregationes iſtas Parthenias diuina prouidentia paulatim naſci & adoleſcere voluerit; idque operâ duorum pręſertim è Societate IESV, Sebaſtiani Cabaraſij Sicilienſis, & Ioannis Leonij Belgæ.

INTERIM cùm eiuſmodi multa Sodali- 5
tia temporis proceſſu in præcipuis Societatis collegijs iam eſſent inſtituta, eorumque fructus ad plurimos longe lateque iam promanaret, Gregorius XIII. ſummus Pontifex qui tam pias Sodaliū exercitationes, vt & reliqua omnia quæ ad honorem Dei ſpectant, fouere conſueuerat, Diplomate ſuo Nonis Decembris anni 1584. primariam Congregationem in templo Collegij Romani, externorum ſcholarium & aliorum Chriſti fidelium, ſub titulo Annunciationis B. Virginis Apoſtolica authoritate erexit, & Præpoſito Generali Societatis IESV poteſtatem fecit quaſcumque alias in alijs extrà Vrbem Collegijs inſtitutas, huic Romanæ

veluti primariæ aggregandi. Idemque poſtea conceſſit Sixtus V. Nonis Ianuarij anni 1586. pro ijs Sodalitijs quæ non conſtant ſcholaribus, & in Societatis domicilijs Profeſſorum ſcilicet aut Nouitiorum inſtituuntur; idque ſiue à Virgine Annunciata nomen acciperent, ſiue à quouis alio titulo ſeu inuocatione. Denique Clemens VIII. eandem facultatem ad ea Sodalitia quæ in Sedibus ſeu Reſidentijs Societatis conſtituerentur, pro benignitate ſua extendi voluit die 30. Aug. anni 1602.

6 Mvlta porrò ſunt quæ huiuſmodi Sodalitatum pium inſtitutum valdè commẽdant: vt bene inter alios expoſuit P. Spinellus Neapolitanus in libro quem ſcripſit de laudibus Deiparæ ſub typo throni diuini adumbratæ. Ex quibus ego præcipua & quæ maioris ſunt ponderis hoc loco in gratiam vniuerſorum Sodalium ſummatim colligam. Quæ in eum quoque finem non mediocriter valere poterunt, vt omnes ad tam pium inſtitutum ardenter expetendum, religiosè complectendum, conſtanter retinendum accendantur.

Ac primùm quidem Sodales ſub peculiari Virginis tutela patrocinioque degũt, cuius colendæ præcipuo ſtudio ſunt addicti: & per illam (quod faciendum monet S. Bernardus) ſua bona opera vniuerſa Deo offerunt. Ex quo ſane fit, vt quod Regius propheta de diuina protectione dicebat, ipſi proportione quadam de eximio Virginis pręſidio vſurpare iure poſſint: *Et in velamento alarum tuarum exultabo.* Quo

Serm. de Aquæductu.

enim in periculo verſari poteſt eorum ſalus, quibus ad omnem opem aſſiduè præſto eſt tutelaris illa maieſtas, & materna B. Virginis cuſtodia? Quæ ſi vniuerſum orbem Chriſtianum & ampliſſimam totius Eccleſiæ rempublicam ſingulari patrocinio tuetur, qua tandem beneuolentia cōplectetur eos quos in ſecretiore familia & in aulico, vt ita dicam, famulitio, apud ſe habet in Sodalitijs ſuis?

Deinde Sodalitia iſta ſunt quaſi quædam re- 7
ligionis Chriſtianæ pietatiſque gymnaſia, in quibus exercitatio omnium virtutum cum ipſa vitæ educatione ita copulatur, vt adoleſcentium quidem animos optima inſtitutio ac pietas occupet prius, quàm prauitas & intemperātia inuadat; alij verò ætate prouectiores ſi per deflexa vitiorum olim aberrarint, ad rectum virtutis callem reuocati vberiores in pietate progreſſus faciant. Itaque viget in ijs obſeruatio eorum omnium quæ tùm ad Deum Chriſtianè colendum, tùm ad Virginem religioſè venerandam valdè conducunt: cuiuſmodi ſunt præcipuè aſſiduitas piarum precum, afflictatio corporis ſeu mortificatio, & Chriſtianæ miſericordiæ erga proximos officia, ſiue ea ſint quæ ſpiritualia, ſiue quæ corporalia vocantur. Ad quod plurimum iuuant certæ regulæ & conſuetudines pię, tùm communes omnibus Sodalitijs, tùm quibuſdam etiam propriæ; quæ rationem quandam viuendi continent ſanctiorem quàm in vulgari aliorum vitæ conditione reperiatur. Neque ſua tantùm Sodalibus, ſed proxi-

morum etiam ſalus cordi eſt. Quare quoſcumque poſſunt ad pietatis opera ſuo conſilio & adhortatione pertrahunt. Et, vt paucis multa complectar, vnaquæque Sodalitas eiuſdem loci communitate, ſtudiorum ſimilitudine, animorum ac voluntatum conſenſione, & piorum operum communicatione quadam ita effloreſcit; vt Religioſi cœtus imago quædam ac ſimulacrum videatur.

8 Præterea, cùm Bonum aliud ſit honeſtum, aliud iucundum, & aliud vtile, nec facilè tria hæc omnia in eandem rem ſimul conueniant, vt experientia compertum eſt; hoc habent penè ſingulare Sodalitates iſtæ Partheniæ, vt in ſeſe triplicem illam boni rationem cumulatiſſimè contineant. Quod ferè in Pſalmo quodam Propheta verbis iſtis expreſſiſſe videtur: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Bonum quidem honeſtum continent: quippe quæ ad diuinum obſequium quo nihil eſt honeſtius, & ad Virginis matris honorem quæ ſecundùm Deum principem in hac rerum vniuerſitate locum habet, omninò inſtitutæ ſunt. Nec in alium finem Sodales ad eas conuenire ſolent. Iucunditatem verò percipiunt ipſi nõ mediocrem ex tutela Virginis, & ex tot Sodalium veluti fratrum ſocietate; qui & ſunt ferè ſelectiſſimi, & egregijs naturæ gratiæque donis inſtructi, & in virtutibus Chriſtiano homine dignis exercentur. Hinc fit vt non pauci reperiantur, qui, cùm ad Congregationem accedunt, Sodaleſque conſpiciunt, in-

Pſal. 132.

genti lætitia & ſpirituali deuotionis ſenſu per-
ſundi,& totidem quaſi facibus ad pietatem ac-
cendi inflammarique ſeſentiant. At verò vtili-
tas,quæ ex Congregatione capitur, ſanè multi-
plex eſt : vt appoſitè dixerit Sapiens in Pro- *Pro-*
uerbijs , *Frater qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas* *uerb.*
firma. Mutuis enim exemplis , conſilijs , preci- 18.
bus , officijs , & exercitationibus ſeſe inuicem
ad pietatem inflammant. Maximè quia Deus
omnibus in vnum locum ità cõgregatis,quem-
admodum ipſe pollicitus eſt , adeſſe ſolet. *Vbi* *Matth*
enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, 18.
ibi ſum in medio eorum , inquit Chriſtus Domi-
nus. Quibus verbis , & vim orationis de-
clarat quæ à multis pro eadem re negotioue
funditur, & opem ac prouidentiam ſuam circa
eos qui ad honorem ſui nominis certum in lo-
cum conueniunt. Vt omittam interim commu-
nionem bonorum operum quæ fiunt in omni-
bus Congregationibus vbique terrarum,& am-
pliſſimas Indulgentias quas ſummi Pontifices
liberaliſſimè conceſſerunt Sodalibus, ſiue cùm
in Congregatione admittũtur; ſiue cùm in eam
admiſſi conueniunt ; ſiue cùm aliquod opus ex
ijs quæ diplomate continentur exercent; ſiue
cùm denique ex hac vita decedunt. In quibus
omnibus non exiguus conſtat operæ fructus,&
vtilitas.

Adhæc, quoniam, teſte Scriptura , *Bonum* 9
eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, *Thren.*
quæ niſi fræno diuinæ gratiæ coerceatur prona 3.
eſt ſuopte ingenio ad omne malũ; ex hoc etiam

Digitized by Google

capite laudem & commendationem ſingu-
larem promerẽtur omnes Congregationes prȩ-
ſertim ſcholaſticorum & iuniorum. In his quip-
pe adoleſcentia Deo per Virginem matrem
conſecratur, peculiaribus pietatis omniumque
virtutum prȩſidijs communitur, & ad bonum
inflectitur. Qua in re adoleſcentes veſtigia Ser-
uatoris Chriſti ſectantur, qui pro nobis adhuc
infans Circumciſus, quadrageſimo die Patri ſuo
Prȩſentatus, duodecimo poſtmodũ anno, ma-
tre ſua minimè conſcia, in Templo ad ea quæ
Patris ſui erant remanſit; vt nos exemplo ſuo
doceret, in ijs quæ ad cultum Dei & ſalutem
animæ ſpectant, etiam abſque parentum con-
ſenſu nos ipſos à media turba ſubducere, & di-
uinis rebus à prima ætate conſecrare. Cuius
etiam rei exemplum nobis præbuit Virgo ipſa
Beatiſſima, quæ trimula in templo primum æta-
tis ſuæ florem Deo conſecrauit. Idemq; de plȩ-
riſque Sanctis, *vt* de Ioanne Baptiſta, Paulo pri-
mo Eremita, Benedicto, Thoma Aquinate, &
compluribus alijs proditũ eſt. Quorum exem-
pla proportione quadam imitãtur adoleſcentes
ij qui in Sodalitium aliquod Parthenium à te-
10 nera ætate adſcribuntur. At quo fructu & pro-
fectu id faciant, non eſt difficile demonſtrare.
Hoc facilè intelliget qui illorum conditionem
ac ſtatum vitæ tantiſper ſecum ipſe reputauerit,
& cum alijs qui eandem viuendi rationem non
habent, contulerit. Enimuerò in plȩriſq; eorum
qui cõmuni vitæ conditione contenti ſunt, nec
vllis Congregationum legibus aſtringũtur, quȩ

ſalutis auxilia? quę pietatis & perfectionis incentiua? quis diuinę legis vel amor obſeruãdæ, vel violandæ metus? Verſantur primùm in magna ignoratione rerum ad ſalutem animæ ſiue vtilium, ſiue neceſſariarum. Deinde à grauioribus tantùm flagitijs ſi abſtineant, quamuis alia minimè leuia admittant, multùm ſibi profeciſſe videntur. Fraudes mali dæmonis aſtutiaſque vel omninò ignorant, vel neglig͂eter admodum attendunt: quare nec ab illis ſibi valdè cauent. Sempiterna damnatorum ſupplicia, beatorum præmia, vitæ & paſſionis Chriſti myſteria, diuina item beneficia vix ac ne vix quidem animo ſuo recogitant. Contrà verò qui Parthenio Sodalitio nomen ſuum dedêre, in ijs omnibus quę ad ſalutem & felicitatem conſequendam pertinent, diligenter admodum informantur. Præſidijs quoque neceſſarijs ad vitam piè trãſigendam, & peccata omnia etiam leuiora deuitanda, ſepiuntur. Docentur item Chriſti Domini vitam, aliaque fidei & religionis noſtræ capita, piè contemplari; corporis voluptates coërcere, carnis illecebras fugere, omnem mundi faſtum aſpernari. Quo fit, vt ſtudioſiſſimus quiſque ad maiorem in pietate progreſſum vehementer impellatur; inertes ac deſides aliorum exemplo & auxilio ad meliorem frugem reuocentur.

Denique multa ſunt alia, quæ harum Sodalitatum pium inſtitutum mirificè commendant. 11
Primò tot ſummorum Pontificum ad eas vti iam dictum eſt, & approbandas, & priuilegijs decorandas, propenſum valdè ſtudium atque

benignitas. Tum plurimi doctrina, nobilitate, virtuteque præſtantes viri qui ex Sodalitatibus prodiere, & vel religioſæ vitæ inſtitutum complexi, vel in ſęculo manentes, rempublicã Chriſtianam ſuis præclariſſimis factis non mediocriter illuſtrarunt. Præterea complures Eccleſiarum Præſules ampliſſimi, & viri Principes ciuitatum ac Prouinciarum non pauci, qui in communem cœtum nomenque fraternum Sodalium cooptari ſe volũt, abſque vlla vel loci, vel appellationis exceptione. Quod cùm in multis locis, tùm pręſertim in Sodalitio domus Profeſſæ Romanæ cernere licet; in quo & Epiſcopi, & Cardinales etiam ipſi, ſua interdum præſentia pijſq; ad Sodales cohortationibus, alios ad hoc pietatis ſtudium vehementer accendunt. Adde multitudinem Sodalium omnis generis, quæ omnes ferè ciuitatis cuiuſque ſtatus cõplectitur; quæque interdum tanta eſt, vt in eodem domicilio duo, tria, quinque, ſeptẽ, vel etiam plura Sodalitia requirat. Cuius rei exempla multa ſunt in multis ciuitatibus. Nec parum, vt hoc poſtremò adijciam, facit ad Sodalitatum commendationem, quòd Deipara ipſa illuſtribus argumentis ac miraculis perſæpe declarauit, nõ tantùm in noſtro orbe, ſed in Indijs etiam & vbique gentium, huiuſmodi Sodalitates ſibi ſemper cordi fuiſſe. Id verò apertè conſtabit ex Annalibus noſtris: vt non ſit opus in exemplis eius rei commemorandis hoc loco immorari. Ad rem ergo veniamus.

Digitized by Google

ANNALES CONGREGATIONVM BEATISSIMÆ VIRG. MARIÆ

Collecti ex Annalibus Societatis IESV.

TRADITVRVS Annales rerum magis memorabilium quæ in Sodalitijs Parthenijs Societatis IESV cõtigêre, cogor vniuerſam narrationem auſpicari ab anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo. Etſi enim (quod iam explicatum fuit in Præfatione) aliquot annis antè, hoc eſt minimùm ſexdecim, extiterunt huiuſmodi coetus B. Virgini dicati, à quibus multa præclarè geri tum temporis potuerunt; nihil tamen eſt eiuſce generis rerum, quod vel in lucem editum fuerit, vel ad notitiam noſtram aliunde peruenerit. Neque verò Annales Societatis IESV ex quibus Annales Congregationum Partheniarum excerpſimus, prius typis publiciſque litteris conſignari cœperunt, quàm hoc anno octogeſimo primo.

Porrò quia quibuſdam temporibus pauciora contigêre quàm alijs, neque interdum in Societatis Annalibus ſatis exprimitur quo nominatim anno ea contigerint; operępretiũ fuit quandoque res plurium annorum ſimul colligare, & eodem ſummario complecti. Quod ſeruandum fuit præcipuè circa priores annos, cùm pauciores adhuc erant Sodalitates.

ANNVS CHRISTI
1581. 1582. 1583. 1584. 1585.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 17. 18. 19. 20. 21.

1 NEAPOLI, vt exordiamur ab Italia, in decurſu horum annorum inter diſcipulos qui Collegij Scholas frequentant duæ inueniuntur inſtitutæ Sodalitates Partheniæ. E minore quæ eſt adoleſcentiorum, nobilis adoleſcens annos 15. natus cùm à quodam contumelijs & colaphis petulantius eſſet laceſſitus, Reſpondit, facilè quidem ſeipſum quod non longè cum telo ſeruus eſſet, vlciſci poſſe; ſed nullum aliud pœnæ genus ab eo repoſcere velle, quàm vt is crimina quamprimùm confiteretur. Quæ res cùm eos qui præſentes erant, tùm verò qui fecerat iniuriam ità commouit, vt ſtatim accidens ad illius genua veniam petierit, omniaque ſe facturum

receperit. E maiori verò Sacerdos vnus cùm accepiſſet, fratrē ab inimicis occiſum eſſe, nullo perturbati animi motu prodito poſtridie ſacrificauit; nec modò fraternam cædem ſibi ipſe non vlciſcendam, ſed parentes etiam ab ea cogitatione reuocandos exiſtimauit. A quibus cùm per litteras veniam inimicis impetrare non poſſet, conſultò diſceſſit in patriam, vt eorum animos ſua præſentia delinitos ab vlciſcendi ſtudio retraheret.

Ad ſacellum huius Sodalitij ſupplicatio 40. 2
horarum quater vno anno indicta eſt. Quo tempore Sodales plurimi conſtitutam ſibi horam ad precandum obijſſe non contenti, alteram ac tertiam horam preces continuarunt. Aliqui ex ijſdem peculiarem cœtum inierunt in hoſpitali domo, quò ſe recipiunt inſanabili morbo laborantes; certoſque è ſuo numero qui ſingulis diebus ægris miniſtrent, deſcripſerunt; officinam præterea omni genere bellariorum ad ægrorum vſus aureis ſexcentis inſtruxerunt. Qua ex re plus vtilitatis percipi magiſter domus affirmauit, quàm ſi triginta aureorum millia eſſent legata. Nonnulli præterea in ſuas ciuitates digreſſi, ijſdem legibus Sodalitates inſtituerunt, ſuoque exemplo quamplurimos ad honeſtiorem vitam incitarunt. Itâque factum eſt, vt Potentiana, Catacenſis, Theanenſis, & Campana Sodalitates huius Neapolitanæ fama excitatæ, ad eam aggregatæ ſint.

ALETII in Italia, qui ſunt è Sodalitio B. 3
Virginis aliquas impuræ vitę fœminas, conqui-

ſita ex eleemoſynis dote, ad honeſtatem traduxerunt. Ter ſingulis hebdomadis in Valetudinario miniſtrant: bis vicatim ſtipe coactâ publicis cuſtodijs opem ferunt. Sunt verò ſibiipſi alter alteri exemplo: & quantum homines in obſequendo ſuis cupiditatibus, tantum illi in repugnando curæ atque operæ ponunt. Vir illuſtris ex eo numero cùm animi ſeſe efferentis faſtidium comprimere inſigni aliquo facinore decreuiſſet, mendici pedes qui medio in foro primus occurrit, populo inſpectante deoſculatus eſt.

4 Alius colapho percuſſus, cùm vlciſci iniuriam perfacilè poſſet, nec deeſſent qui linguæ flabello iræ flammas accenderent; tamen omnia Dei cauſa condonauit: cùm diceret alienum eſſe à viro Chriſtiano inimicorum iniurias perſequi: ac ne qua in animo odij macula reſideret, ſeſe illicò Pœnitentiæ & Euchariſtię ſacramento purgauit.

5 Eodem loci floret imprimis nouum Clericorum Sodalitium, in quo quinque & viginti presbyteri numerabantur primo inſtitutionis anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo-primo. Ijs æquè aliena ac ſua cuique ſalus cara eſt: eorumque fama permotus Hydruntinus Epiſcopus vehementer contendit, vt in eorum numero ſibi eſſe liceret.

6 CATACAE, quæ eſt etiam vrbs Italiæ, multi è Parthenijs præſens Virginis numen & auxilium experti ſunt. Vir honeſtus & clarus acerbo incitatus odio in vnum è Sodalibus, loci ſolitudinem nactus, dum ferrum in eum diſtringit,

git, iuuenes repente duo viſi ſunt tendere ad ipſum rectà. Quibus ille velut indicibus veritus ne ſuũ ſcelus patefieret, multa ijs malè precatus, re infecta diſceſſit. Iuuenes autem illi ſtatim ex oculis dicuntur elapſi: vt miſſi videantur à Dei matre, qui ſuam opem homini tum imploranti ſuccurrerent.

7 EIVSDEM Virginis patrocinium experti ſunt in Hiſpania Sodales Collegij Monte-regalenſis. Diſcipuli quidam quibuſdam ſimul in ædibus tanquam in contubernio viuebant. Inter eos erat Parthenius vnus. Sæua tempeſtate coorta, tanta vis imbrium accidit, vt noctu quieti ſe dare præ formidine nemo auderet. Parthenius ad precandum Deum implorandamque eius matris opem cæteros adhortatus, Litanias vt recitarent induxit. Tum verò quieti ſe dant. Sed cùm tempeſtatis atque imbrium vis increbreſceret, ædium Dominus intempeſta nocte conſurgens, contubernales clamoribus excitat, & è ſuis ædibus iubet excedere. Illi ſomno arctiſſimo conſopiti, vix tandem experrecti, ſeminudi profugiunt. Vix è tecto pedem extulerant, cùm repente concidit domus: vt iam nemini dubitandi locus relinqueretur, quin eos è præſentiſſimo periculo Dei mater paulò ante inuocata eripuiſſet.

8 PANORMI in Sicilia, Sodales pijs commentationibus quotidie vacant. Plærique ſacellum precandi cauſa in ſuis ædibus exornarunt; atque duas horas cum vxoribus & cætera domeſticorum turba, tum in matutinis ac veſpertinis

precibus, tum in diurnis actionibus reputandis quotidie ponunt. Alij ieiunia, verberationes, & alia pœnarum genera vltrò ſubjerũt, vt quoſdam ſceleribus liberarent: quâ potiſſimum ratione quadraginta circiter vno anno ex turpiſſimorum vitiorum cœno erepti ſunt. Itum eſt etiam in Xenodochia frequenter: quo loco egregia Sodalium opera conſtitit. Nam fidei rudimenta ægrotis tradita, pedes abluti, roſaria diſtributa, mortuorum corpora elata, & alia id genus præſtita, tanta cum ægrorum voluptate, vt plerique ſublatis in cœlum oculis inter Sodalium manus vita decedere exoptarent. Viri duo honeſti, opibus omnibus vt filiorum necem vlciſcerentur profuſis, tandem ad hoſpitalem domum ſe contulerãt, certi ad inferos damnati deſcendere. Hi Sodalium monitis ad ſanitatem reuocati, Deo iniurias omnes vindicãdas dimiſerunt. Septem ac triginta quòd nunquam integrè confeſſi eſſent, vt vniuerſæ vitæ ſcelera confeſſione generali eluerent, à Sodalibus inducti. Die Annunciationis B. Virginis ſacro, ex collatitia pecunia ſeptem Virgines collocatæ ſunt, & ſingulis viceni aut triceni aurei nummi dati. Multis qui priuatis in ædibus morbo laborabant, medicamentis alijſque rebus ſubuentum eſt. Denique multarum matronarum inopiæ conſultum, quæ quòd veſtibus carerẽt, domo pedem efferre nuſquam audebant.

9 COLONIAE ad Rhenum, quidam cùm per ſimulationem pietatis quadriennium circiter hæreſim Caluinianam occultaſſet, tandem Par-

theniorum adoleſcentum èxemplo ita excitatus eſt, vt commutata voluntate hæreſim abiurarit, multiſque lacrymis generalem anteactæ vitæ confeſſionem fecerit, magnamque librorum hæreticorum vim ad magiſtros detulerit vt cõburerentur. Ex his adoleſcentibus ſacroſanctæ præſertim hebdomadæ ſolemnibus, alij ante ſepulcrum in Collegij ſacello excitatum precabũdi pernoctarunt, verberibuſque in ſeipſos ſæuierunt; alij humi ad lignum pro ceruicali recubuerunt, aut genibus nixi brachijſque crucis ſpecie extentis roſaria ſæpius percurrerunt, cilicia geſtarunt; alij votiuas peregrinationes ſuſceperunt. Quæ ab ijs tanta cum animi alacritate lætitiaque præſtari eò etiam admirabilius eſt, quò magis hæc ab hæreticis inter quos degunt, omnibus tormentis & machinis oppugnantur. Adhæc ſi quos morbo domeſticaque ſolitudine laborare ſenſerint, horum non corporibus ſolùm conſulunt quantum in ipſis eſt, verùm etiam animis. Itaque panem ijs cæteraque ad victum cultumque corporis neceſſaria oſtiatim emendicant, magnáque charitatis ſignificatione miniſtrant. Quod officij genus illis exhibent maximè, quos nouerint hęreſis labe infectos, vt eorum corporibus curandis animi quoque conualeſcant.

In eodem Sodalitio ſunt qui noctes totas in 10
aſſidua precatione traducant. Inuentique ſunt adoleſcentes ità pij erga egenos, vt quoniam per ætatem nondum ad paternas capſas admittebantur, nec tractare nummos ſuo arbitratu

poterant, veſtimenta ſibi ipſi detraherent, quibus pauperum nuda membra contegerent. Nonnulli vt famelicos paſcerent, ſuo ſe pabulo fraudarunt. Etſi autem in tanta hæreſis colluuione ſunt innutriti, contra hæreticos tamen tanta odia concipiunt, vt ea non modo in illos, ſed in eorum quoque libros effundant. Quotquot enim huius generis nacti ſunt libros, eos ad Collegium Societatis deferunt exurendos. Adoleſcens quidam complura Lutheri Eraſmique volumina quæ poſtea traderet concremanda, ab hæreticorum Miniſtro coëmit.
11 Alij in aliorum ſalutem non minus curæ ſtudijque ponũt, quàm ſi religioſi ad id muneris deſtinati eſſent. Itaque Sacerdos vnus in Hollandiam profectus, breui tempore ad Sodalium numerum, quinque & triginta partim eruditione partim nobilitate præſtantes viros adiunxit. Erant inter eos Parochi Sacerdoteſque nonnulli, quorum vnus ruſtico indutus ornatu, quo hæreticos falleret, in Hollandiæ parte quadam, vbi præcipua hæreticorum eſt ſedes, modico temporis interuallo pueros fermè centum ſalutis aqua reſperſit. Abbas S. Trudonis (quod monaſterium eſt in Leodienſi diœceſi poſitum) cùm pia Sodaliũ ſtudia exercitationeſque cognouiſſet, per internuntiũ petijt vt ipſe cũ fratribus 12. ad eos aggregaretur.

12 MOGVNTIAE in Germania Sodalitas B. Virginis habet & ſuos fructus, ijs non diſſimiles quos de Colonienſi narrauimus. Quidam ex Sodalibus cùm in pannoſum & egentem ho-

minem incidiſſet, miſeratione commotus pallium ſibi ipſe detraxit, vt Chriſti fratrem indueret. Alij alijs non modo pecunia, ſed multâ quoque veſte ſuccurrunt. Atque in hac tanta in egenos humanitate, retinent tamen in ſe ipſi ſeueritatem. Fuit qui ſex ipſas hebdomadas horrida cilicia ad nudas carnes apprimeret. Nec defuerunt pueri delicatuli qui a parentibus pretium afferrent, vnde ſibi ciliciolum aliquod emeretur. Quidam ad perpetuam Chriſti crucis memoriam ſimul & præſentem doloris ſenſum, accepto ferro notam ſibi crucis inuſſit; eamque inſculptam gerebat in pectore quã multò magis in animo ... inſculpſerat. Ita fit, ut cùm ad omnem pietatem mutuò ſe Sodales exacuant, facilè eos reducant ad frugem, qui vel ab honeſtis declinant officijs vel à catholica veritate deſciſcunt. Cõſtat enim eorum opera, aliquot iam hereticos aduerſus Romanam Eccleſiam ſenſus ſuos menteſque flexiſſe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EADEM extitit Herbipolenſium Sodalium in hominibus iuuandis induſtria. Ad orthodoxam fidem vno anno viginti reuocarunt: ad Chriſti corpus ſuſcipiẽdum octoginta impulerunt: ducentos quinquaginta duos vt crimina confiterentur induxerunt: ex quibus viginti vniuerſæ vitæ confeſſionem inſtituerunt. 13

NEC diſſimilis zelus Confluentinorum. Alios verbo, alios hortantur exemplo: & quæ Chriſtianus ignorare non debet, ea rudibus tradunt. Hæreticos auocant à perfidia, inter quos Sacerdos annum iam ſextum & vigeſimum pu- 14

blicum Miniſtrum egerat. Ex Parthenijs vnus cùm alia in alios conferret egenos, totâ Quadrageſimâ ſex ſcholaſticis, quibus anguſta res erat, quotidiana cibaria ſubmiſit. Id quod ſtatis hebdomadæ ferijs ad imitandũ ſumpſerũt alij.

15 In Sodalitio Fuldenſi hoc memorabile. Quidam ex Parthenijs obierat adeò rerum omnium inops & nudus, vt eius matri ne ad inuoluendum quidem cadauer ſuppeteret linteum. Sodales quidquid ad honeſtatem funeris pertinebat id omne curarunt. Inter ducendum funus illud accidit periucundè, quòd cum hic perhonorificè efferretur celebri comitatu facibuſque permultis, commodùm efferebatur hæreticus nullâ funeris pompâ, nullâ cruce, denique ceremonia nullâ, quaſi canẽ diceres pecudemue efferri, non hominem. Id dũ Lutherani conſpiciunt, repentè ſuo abiecto funere ad Sodalis funus cum reliqua multitudine conuolant. Ea res plæriſque riſum, nonnullis etiam ſtomachum mouit; ſed tamen facilè indicauit Catholicę veritatis quanta ſit vis, cũ ipſos quoque aduerſarios ſuæ vitæ perfidiæque iã pigeat.

16 Dilingae Parthenii quò magis progrediuntur ætate eò clariora dant indicia virtutis. Quid enim voluntarias quas à ſe exigunt pœnas? quid verberum diſciplinam? quid cilicinas veſtes enumerem? Inuẽtus eſt qui ſe nudo corpore peruolutaret in niue: & qui hebdomadas totas omni ſe potione fraudaret: & qui ad amplificandum voluntariæ verberationis ardorem inflicta vulnera acri ſale cõſpergeret. Qui-

Digitized by Google

dam nixi genibus paſſiſque non ſine dolore lacertis roſaria integra percurrerunt. Alii ſacculis denſo lapillo refertis ne ſuauiter molliterque cubarent, nocturnis temporibus incubarunt. Fuerunt & qui dies complures ægris in fœtore iacentibus miniſtrarent. Deditque interdum, Dominus Sodalium precibus, vt ab 17
ægris corporibus morbos abigerent. Aeger quidam cùm Sodalium pietati plurimùm tribueret, ab eis ſummè contendit, vt pro ſua ad Deum incolumitate preces funderent. Placuit obſequi ſtudioſè roganti, & decantatis ad B. Virginem Litaniis, repentè liberatus eſt æger.

FRIBVRGI quidam Parthenius, cùm aduenam egeſtate morboque confectum medio 18
in foro vidiſſet, Catholicum ratus ex cruce quam de collo gerebat, confeſtim prehensâ dexterâ hominem tecto recipit; minimè dubitans quin id ſibi Chriſtus factum putaret, quod vni ex eius minimis factum eſſet: eumque victu cæteriſque rebus ad curationem neceſſarijs liberaliſſimè ſemper habuit, dum exacto menſe moritur hoſpes: vt eò forſitan ab Angelis deferretur vbi ſuo benefico gratiã cumulatè referret.

OENIPONTI ſolemne eſt Sodalibus 19
Litanias B. Virginis in vrbis templis decantare. Quod cùm quidam magnæ autoritatis viri non probarent, moremque illum tollendum iudicarent; Reuerendiſſimus Epiſcopus Brixienſis acriter reſtitit, atque vt Sodalium conatus iuuarent potiùs quàm prohiberent edixit. 20

VIENNAE Sodalium exemplo potiſſimum

inducti Conſul, Prætor, aliique præterea conſulares ſenatoriique viri ac dynaſtæ, Romanam Catholicamque fidem publicè profeſſi ſunt. Tres legati Apoſtolici hàc iter habentes, Sodalibus annumerari voluerunt. Quorum vnum de Sodalitate optimè meritum vita functum Sodales publicis exequiis proſecuti ſunt. Proximi Galliarum Regis demortui (is eſt Carolus IX.) coniux in hanc Sodalitatem adſcribi voluit; vt eam ſaltem nomine dato illuſtraret, cùm ad cœtus venire non poſſet: ornamentaque obtulit ſacello, trecentorum florenorum precio. Imperatrici verò quæ etiam in Sodalium numerum referri voluit in Hiſpaniam proficiſcenti religioſum viaticum Sodales vltrò detulerunt, cùm alii roſaria ſe recitaturos, alii alia pœnarum aut deuotionum genera ſeſe obituros recepiſſent.

21 BRANSBERGAE quoque in Polonia hoc ſingulare, quòd Sodalitatis Partheniç famâ permotus Sueciæ Regis filius pius ac Catholicus adoleſcens, quamuis parente natus hæretico, litteras ad eam dedit, vt ſibi in Sodalium numero liceret eſſe. Idque, vt rarum admodum eſt, ità ad exemplum maximè profuit.

22 PRAGAE medicus quidam cùm vita cederet, condito teſtamento omnes ferè fortunas ſuas, vnde pauperes perpetuò alantur, Sodalitati legauit.

23 LVGDVNI de Sodalibus vnus, peſtilentiæ tempore in quoddam oppidum profectus, cœpit vicarij permiſſu Chriſtianam doctrinam ex-

plicare eo fructu, vt cùm paucisſimi anteà ſacramenta frequentarent, iam plærique anni feſtis celebrioribus ad ſacram Chriſti corporis menſam vltrò accedant.

RECINETI (vt redeamus in Italiam) Sodalium officij ratio eſt, vt non tantùm ſuis, ſed etiam proximorum commodis ſeruiant, ſtipem corrogẽt in egenos nullâ habitâ dignitatis perſonæque ratione, idque vel ad templorum valuas, vel medijs in foris, vel etiam oſtiatim: quicquid autem pecuniarũ eſcarumue collegerint, id vel ad ægros deferant, vel ad eos qui precariò viuere ſalua exiſtimatione non poſſunt.
Neophytus ex his quidam, pugnis ab inimico calcibuſque malè mulctatus, cùm perfacilè vlciſci poſſet iniuriam (erat enim fortè cum telo) exæquans tyró veterani virtutem, ad Patrem qui Sodalitati præeſt accurrit; ſtratuſque ad pedes, Fuit, inquit, Pater, vehemens animus vlciſcendi; ſed, vt iracundiam continerem, vna Dei matris charitas fecit. Huic ego iniuriam condono: prolatoque telo, Exuo, inquit, apud te ferrum: hoc tibi ſit conciliatæ gratiæ ſignum, hoc contemptæ vltionis indicium. Quid expectandum erit à veterano, ſi ſui ſimilis Neophytus ſemper ſit? 24

GENVAE quoque diſcunt Sodales inimicorum iniurias voluntaria obliuione contere- 25
re. Quidam cùm duas ab inimico plagas cui ſex annis antè pepercerat, accepiſſet, & quidem alteram in ore, inſigni deformique nota; comprehenſo à magiſtratibus percuſſore; cùm iure iam

poſſet agere, tantùm abeſt, vt ad iuſtam vltionem nouis irritatus iniurijs exarſerit, vt ne tum quidem oblata occaſione ſit vſus: ne tandem molliter iræ ſuccumberet cui aliquando fortiter reſtitiſſet. Non minoris fortitudinis documentum in ira cohibenda ab alio Sodali datum eſt, qui cuiuſdam prædij frugibus iniuriâ priuatus, & conuitijs, contumelioſoque colapho laceſſitus, tametſi primâ illa animi concitatione ferebatur ad cædem & inuſtam ignominiæ notam cruoris effuſione delendam; nequaquam tamen regente & protegente Deo, iræ fræna permiſit, ſed ingreſſus continuo templum, ſtratuſque ad crucifixi Redemptoris effigiem, vnâ eius vulnerum probroſæque mortis recordatione medicinam fecit recenti tumori, omnem ſubitò ex animo deleuit iniuriam, & in amorem vertit iras: tanta ad ſanandos animos in Ieſu Chriſti cruce vis eſt.

26 E MAIORE minoreque Sodalitio Collegij Brerani religioſiſſimi quique ſelecti, ſextâ quáque feriâ ſub veſperam vnà conueniunt, efficiuntque alterum quaſi cœtum priuatum: cui propoſitum eſt curas omnes tùm in piam precationem, tùm in edomandas prauas animi cupiditates intendere. Nec alia lege tenentur niſi quâ diuinis octaua quaque luce myſterijs, & quâ ſilentio vti iubentur. Hi certum in locum vbi conuenerint, exactę per diurnas commentationes hebdomadæ rationem reddunt: deinde certatim quiſque abiectus in genua, pœnarum ſibi aliquid depoſcit. Hic patefactis

ſuis ipſe culpis acriter ſe obiurgat: ille ſe obiurgantes æquo animo audit: alius ad voluntaria verbera, nonnulli ad infima etiam pedum oſcula omni ſubmiſſione deſcendunt. Atque hos ferè Deus ad cœnobiorum diſciplinam ac per-
fectam rationem virtutis inſtituit. Qui ſunt in 27
maiori Sodalitate, numero creſcũt in dies: præſertim quòd Terræ nouæ dux, huius regiæ ditionis adminiſtrator, ſingulari prudentia vir ac pietate non minore, vnus ipſe de Sodalibus eſſe voluit: qui quamquam ingenti negotiorũ mole tenetur, imperat tamẽ ſuis ipſe occupationibus, vt quàm ſæpiſſimè cum Sodalibus vnâ verſetur.

In Tavrinensis Collegij adoleſcentibus 28
præſertim Parthenijs eminet inuſitatus quidam ardor pietatis. Eorum vni accidit admirabile per quietem viſum. Dormienti enim auus iam vita functus occurrit, qui ante oculos rerum humanarum vanitate propoſitâ, autor ei eſſe videbatur, vt omnia deſpiceret, & puerum Ieſum +
quem præſentem exhibebat, ſedulò ſequeretur. Variè hic aſpectus infantis Ieſu animum adoleſcẽtis affecit: ſenſit enim tùm primùm quàm nihil eſſet, & ſeſe totum tẽtauit atque perſpexit. Qua ex cogitatione ingentem ob admiſſas in Deum noxas dolorem hauſit, & ex dolore inuſitatam quandam diuini amoris ſuauitatem; ità vt vi amoris à corpore mens auulſa, Chriſti caros inter amplexus conquieſcere ſibi dulciter videretur. Sed non fuit huius mora dulcedinis diuturna. Obiecit ſeſe mox Chriſtus eâ ipsâ ſpecie quâ quondam in cruce fuerat, & ab illa ſua-

uitate ad triſtitiam ſuæ necis crucisque tradu-xit: cuius recordatione ſic animus figebatur, vt doloris vim conſequi oratione non poſſet. In-iecta eſt ſubitò ardens quædam cupiditas ex-trema quæque patiendi pro Chriſto. Sed dum varias ſibi ipſe mortes & cruciatus fingit, blan-dè ſibi viſus eſt à Chriſto moneri de cruce pen-dente, non magnum aliquid facturum, ſi corpus tantùm doloribus ac morti traderet; gratiſſi-mam autem crucem ipſi fore, ſi ſe interioribus cruciatibus ac morti dederet, quæ cùm cæteris cupiditatibus, tùm liberæ voluntati necem at-que interitum afferret. Hanc aiebat crucem tollendam in humeros: hanc alacriter in omni vita geſtandam. Inter hæc viſa, ſomno ſoluitur adoleſcens curarum plenus, & in earum rerum quas viderat cogitatione defixus. Viſi vtilitas fuit ſæculi fuga, & ſanctioris vitæ conſilium.

29 E Bariensi deniq; Collegio Sodalis vix 17. annos natus cùm à muliere domeſticâ & ſangui-nis communione coniunctâ, inſtigaretur ad fa-cinus, vt ſe tanto liberaret incendio (diu enim iam reſtiterat) re prius maturè deliberata, ſimu-lare cœpit ſe ad Capuccinos velle diſcedere. Rogatus à parente, vnde tam repentina volun-tas, iureiurando accepto ne quid cuiquam in-dicaret, omnem eam rem vti ſe habebat expo-ſuit. Eâ re cognitâ parens nihil prius habuit, quàm vt à ſe amandata muliere, integritati filij pudorique conſuleret.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI
1586. 1587. 1588. 1589.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 22. 23. 24. 25.

ROMAE adoleſcens quidam Parthenius, Canonicus Treuerenſis, cùm ab extrema pueritia in Collegio Germanico egiſſet, ſæpius expetitus à ſuis, reditum parabat in patriam. 1
Sed veram illi patriam Deo deſtinante, incidit in febrim, quæ octauo die attulit mortem. Monitus à ſacerdote de neceſſitate vltimâ, ad Apoſtoli Andreæ corpus, quod Malphi colitur, pro valetudine peregrinationem Deo vouet. Tum certam pecuniam ad Crucem argenteam ponendam in æde Sancti Apollinaris (is eſt Collegij patronus) & ad pallium, quo altare operiretur Deiparæ Virginis, in cuius erat Sodalitio, reliquit. His ità diſpoſitis, oppreſſit eum ſomnus multis præſentibus. At paulò poſt euigilãs, accerſito ſacerdote, qui erat ei à confeſſionibus, O pater, pater, inquit, Quæ ego vidi? Quæ?

interrogat ille. Quæ nec oculis, nec auribus, ſed nec vllo ſenſu percipi poſſunt. Cùm commouiſſet expectationem, & iungerentur omnium preces, ſubiecit inter attonitum lætumque, ſed propior læto; Salus mea fuit in anguſto: at benignitas Beatæ Virginis, Sanctorumque Andreæ, Apollinaris, & Martyrum noſtrorum tutelarium opportunè ſuccurrit. A dæmone ſum ductus ad iudicem. Magna vis, cùm ſolus eſſem circumſtetit accuſatorum, varia crimina obiectantium; iamque exactor ſupplicij me pertrahebat ad gehennam. Cùm abeſſet propè nihil quin eſſem miſerrimus, aſtitit miſericordiæ parens, & ad illos conuerſa: *Quo vos iſtum? aut quid vobis cum illo, qui tot annos mihi in mea Congregatione ſeruiuit?* Conſecutus deinde Andreas, idem indignans, titulum obtendebat mei patrocinij, quam voueram ad eius tumulum, peregrinationem. Sanctus poſtremò Apollinaris cum cæteris Martyribus templi Societatis tutelaribus, vim inhibuit aduerſariorum, commemoratâ cruce quam proximè mandaui faciendam. Ità, quæ Dei eſt gratia, periculo ſimul ſomnoque ſolutus ſum. Hæc cùm dixiſſet exultans, quartâ ferè poſt horâ animam reddidit.

2 PERVSIAE in Italia è Sodalium numero Iuriſconſultus inſignis vitâ famâque, dederat amico mutuam pecuniam. Cùm differretur ſolutio, clementer repetebat: nec quicquam recipiebat, cunctante illo propter implicationem fortè rei familiaris. Egregius intereà debitor cùm deſperaret reddere debitum, quod prægrauabat, vt

omni ſe moleſtia liberaret, conſtituit tollere è medio creditorem. Captato tempore incurioſum occupat, domum eius cum ſica ingreditur. Hâc illum ſepties perfoſſum, velut mortuum relinquit. Sed ille quem B. Virgo protegebat, vim ferri non ſenſit: quia penetrato ferrum veſtimento, in cute hæſerat, vnâ tantùm plagâ exceptâ. Vocandus erat vulnerarius; noluit accerſi, ne ea res, ſi fieret palàm, vulneratori obeſſet. Seruum iubet parare quæ curando vulneri erãt opus. Sed cùm res ipſa ſuâ ſe mole prodidiſſet, nihil æquè ægrum habuit eius animum, quàm vt ne crimen deferretur ad iudicem, ac ne quid grauius homini accideret, à quo fuerat vulneratus. Erat ex ea ſchola, quæ orandum docet pro inimicis, & bonum pro malo reddendum.

3 Neapoli in domo profeſſorum inſtitutum Sodalitium B. Virgini Naſcenti dicatum, cuius non minus rem, quàm ſpeciem laudaueris, conſtat pleriſque nobilibus. In his principes duo, totidem duces, quorum alter Regiæ claſſis in hac ora præfectus, Marchiones ſeptẽ, Põtificis maximi Nuntius, Epiſcopi tres. Multi præterea, quos aut dignatio, aut nobilitas in hũc cætum admittit. Sunt omninò cẽtum quinquaginta ſeptem: quorum omnium in Deum pietatem, & charitatem in proximos, ipſorummet maieſtas & claritudo in obſcuro eſſe non ſinit. Vnus quidem, cuius annuum vectigal aureorũ millium centenûm quinquagenûm illuſtris æquè genere & luxu, hanc vbi Sodalitatem celebrare inſtitit, ità ſe compoſuit ad mediocrita-

tem, vt & retineat laudem elegantiæ, & effugiat luxuriæ notam. In eorum præcipuè ſubſidium incumbunt, qui cùm propter paupertatem aliena indigeant miſericordia, ingenuo pudore à quærendo deterrentur. In hoc opus vno anno, præteritis ijs quæ carptim tribuuntur, collati aurei mille trecenti. Quidam in eundem vſum à morte ſua aureos quingenos; à nepotis, millenos legauit.

4 E minori Sodalitio collegij triginta quatuor ad varias religioſorũ familias tranſierunt. Vnum ex ijs cùm reuocare fruſtrà conatus eſſet pater, priuauit omni ſpe hæreditatis. Nihil illi accidit propterea triſte: quippe iam maiore fiducia apud Deum dicit, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* (*Pſal. 15.*)

5 *Eſt ibidem* Sodalitas ex infima plebe, in plures tributa claſſes, quæ conſtat capitibus ferè nongẽtis. Mira horum omnium corporis edomandi flagris veſtituque aſpero cupiditas. Vnus ex eorum numero cùm repentinò ferè mortuus eſſet, repertus eſt cum cilicio. Operam præterea ponunt non inutilem: vt ſi quem ſciant implicatum ſceleribus, ducant quaſi aliud agentes, in Collegium, vbi à Patribus Societatis

6 doceatur. Fuit hic quoque aliquid proximum miraculo. Dextra cuidam intumuerat, in eam molem excreſcente indice, vt ne totam corrumperet contagio, eſſet ignis admouendus. Indicauit hoc nonnullis eum inuiſentibus: moleſtiuſque ſibi ait accidere, quòd ad Sacerdotium perueniendi (erat iam ſacris initiatus) aditus

Digitized by Google

tus præcluderetur : vnum ſolum reſtare perfugium, Deiparæ patrocinium. Nec ſpes irrita. Commendatus Sodalibus, eo ipſo die quo digitus erat exurendus, ſanus & gratulabundus ad Sodalitium ſe contulit.

Ex COLLEGIO Aletino Sodalis quidā in foro medio fuſte cæſus, illicò cædentem amplexus: Vtor, inquit, occaſione earum rerum, quas in doctrina Chriſtiana audiui eſſe faciendas. 7
Cùm alapam alter accepiſſet, Chriſti memor præcepti, percuſſori maxillam præbuit alteram, non recuſans aliam ſi libuiſſet. Ardebat alius febri, multò magis cupiditate ad Sodalitium accedendi: quò ſi iret, de recuperanda valetudine non deſperabat. Iuit vrente æſtu: domum incolumis reuertit.

IN COLLEGIO Barienſi quinque iam ſunt Sodalitates Partheniæ Adoleſcentium, Ruſticorum, Opificum, Nobilium, & Sacerdotum. Magna omnium pietas, quam ſcribendo non aſſequar : quidquid enim dixero, minus erit. Ex eorum numero, quatuor, contumelias quibus affecti erant in publico, rependerunt eorum pedis oſculo, à quibus afficiebantur. Vnius Sodalis filius, alterius fratrem interfecerat : orbatus fratre, hoc nuntio accepto, rectà in Collegium venit confirmandi animi cauſa. Cùm domum reuertitur, interfectoris patrem offendit ; & ſtatim ; Nihil, inquit, interrumpet gratiam, quam inter nos ſpero ęternam fore: quin, per me inpoſterum amiciores erimus. Et reipſa ità factum. Reſtitit enim inſtigatoribus inimi- 8

citiarum, cum Prætore egit de ſalute interfecto-ris, eius parenti pedes in Sodalitio, vero affectu,
9 exoſcuſatus. Ciues quatuor diabolo ſe obſtrinxerant, quem habere incluſum arbitrabantur in vaſculo. Eius auxilio multa perpetrabant. Vbi hoc ad aures vnius Sodalis peruẽnit, oratione illos & auctoritate permouit, vt abiecto vaſe, tantum facinus deteſtarentur. Factum: licet dæmone vehementer comminante, qui omnes deinde in puteum proiecit noctu. Quo caſu
10 vnus interijt. Alius è Sodalibus cùm inambularet in littore, & in piſcatorem incidiſſet, qui amiſſo indumento nudus verecundabatur redire ad vrbem, ſuâ ſe veſte exuit, vt illum cõtegeret. Quam liberalitatem admiratus alter, cùm de referenda gratia cogitaret, pollicitus eſt (quod ei nouerat fore quàm gratiſſimum) octauo quôque die, expiatis peccatorum ſordibus communicaturum. Atque id promiſſum fideliter ſeruat. Demum quanta ſit Sodalium religionis fama, ex hoc aduerteris, quòd viri nobiles plerique cùm ægrotant, vouent ſe ex eorum cætu futuros, ſi conualeſcant.

11 CATANAE in Sicilia, cùm publicè decreta eſſet domus, vt aliquem quaſi portum haberent virgines, in quibus timeretur pudicitiæ naufragium, idque potiſſimum ſtipe, quam vel Sodales contulerant ipſi, vel ab alijs expreſſerant; viſum eſt, vt illi ipſi tam pij operis ſuſcipere͂t procurationem. Neque verò id eſt magnopere mirum. Eorum enim tanta eſt religio, vt quingenti aurei recuſati ſint ab vno in cuiuſdam cauſæ

diſceptatione : & à moriente altero ipſa Congregatio hęres inſtituta: extiterit denique vnus, qui etſi medio foro , magnaque frequentia virorum , ſine cauſa laceſſitus eſſet maledictis ac probris, quamquam principio nonnihil commotus animo fuit, vbi tamen ſeſe collegit, maledicum patientiâ fregit , atque hoc reſponſo: At tu iſta tam libenter non dixiſſes , ſi audiſſes ea, quæ à me quotidiè audiuntur. Quo dicto repreſſus illius furor, & cæterorum animi ad Congregationis amorem incitati.

E SODALITIIS Collegij Genuenſis in Italia, excurrunt plurimi, & erudiunt quoſcunque , ac teneram præcipuè ætatem , quæ rudis malorum morum , ad virtutem facillimè flectitur, eamque imbuunt amore diuino. Puella ab ijs inſtituta, ardens Euchariſtiæ cupiditate, cùm ad eam ſe pararet generali confeſſione, correpta eſt febri : nec longè aberat à morte : ſed vbi primùm à Parocho , cognita probataque eius voluntate, quæ ſe mori dicebat deſiderio Chriſti corporis percipiendi , compos voti effecta, cum ſanctiſſimo Sacramento ſanitatem recepit. 12

PATAVII inter Sodales Germanus fuit adoleſcens, qui cùm in patria flagraret religioſæ vitæ deſiderio, obtinere non poterat aditum, niſi patrem virum clariſſimum , magnæque apud Rodulphum Imperatorem auctoritatis, antea exoraſſet. Eius porrò pater, alia omnia. Quin potius illum , vt aberraret à propoſito , ſtudiorum obtentu in Galliam primùm, deinde Patauium amandauit. Hic ergò cùm eſſet , factâ 13

Digitized by Google

nempè cæli non animi mutatione, in B. Virginis Sodalitium aggregatus, eâdem cupiditate æſtuabat. Verùm, vt fit in eiuſmodi deliberatione, cùm ex vna parte ſtatueret ſibi patrem inexorabilem, ſimulque expenderet quantum haberet æris ad Euangelicam turrim exædificandam; ex altera verò religionis pulchritudo, diuinæque ſplendor gloriæ fulgeret ad oculos; hoc tam ancipiti conſilio ſuſpenſus, propenſus tamen in melius, diuino inſtinctu procumbit in genua, vt ſeſe voto obliget Deo. Sed cùm eius vox, vt exitus poſteà declarauit, dęmonum aſtutia impediretur, obſtupefactus animo, B. Paulum, in quem ſingulari pietate ferebatur, patronum appellat. Neque irritæ preces. Viſus confeſtim eum cernere ſibi ſupra caput fulgenti gladio diras abigentem dæmonum peſtes, poſteaque hortantem audire, magno vt animo votum ſuſcipiat: id namque ipſi gratum Deo, & acceptum fore. Itaque confirmatus, ſanctique Apoſtoli aſpectu & ſermone recreatus, voti ſe ſponſione obſtrinxit: quod etiam paucis poſt diebus, cùm ei nec opinanti totam rem pater per litteras permiſiſſet, impleuit.

14 PVLTOVIAE in Polonia, ex Parthenio Sodalitio nobilium, fuit aliquis, qui certam aſſignauit pecuniam ad ſtudioſorum adoleſcētium paupertatem in hac vrbe ſuſtentandam.

15 IAROSLAVII in eodem regno, cùm ter decreta eſſet quadragenarum horarum ſupplicatio, in æde maxima, ſæpiuſque in templo Societatis, clariſſimè apparuit pietas iuuenum è Soda-

Digitized by

litio Virginis. Quippe illis diebus, ſed multò magis maiore hebdomada, & calidâ permulcendis pauperum pedibus, eoſdemque pauperes beneficè adiuuando; & longâ quadam celebrique pompâ, lineis flagellis ſeſe acriter diuerberando; & ſupplices preces interdiu noctuque fundendo; ità ad ſe omnium oculos menteſque rapuerunt, vt in eis magnam ſpem reponeret ciuitas placandorum cæleſtium, rerumque meliorum.

CLAVDIOPOLI in Hungaria, Illuſtriſſimus Princeps Tranſyluaniæ, quò promoueret magis ac proueheret Sodalitatem dedicatam Beatiſſimæ Virgini, oblatum ſibi eius patrocinium libentiſſimè ſuſcepit, interque Sodales cæteros voluit aggregari. Quo facto non ſolùm ad tempus ornamentum magnum Sodalitio attulit, ſed etiam alijs exemplum. Omnes enim Catholicos homines ad rem eandem & cupiendi & expoſcendi ſtudium incitauit. Itaque nunc maximè conuentu ampliſſimorum hominum Congregatio celebratur. 16

INGOLSTADII in Germania, iuuenis Polonus genere perilluſtri, primum facturus ſacrum, religioſum locum octo millibus paſſuum ab vrbe, in quo faceret, elegit. Hic re diuinâ peractâ, duodecim pauperibus apparari iuſſit conuiuium, ad quod ipſe miniſtrauit. 17

DILINGAE autem è Sodalium numero, graui quidam laborabat morbo, eoque magis timendo, quò vlcus erat interius. Cæcâ tabe graſſante, humanis remedijs fruſtrà adhibitis, ad 18

diuinam opem accurrit. Deiparam orat, vt quâ eſt poteſtate, & miſericordiâ medicinam faciat: addit ad preces verberationem corporis. Hoc cùm egiſſet in Paſchatis peruigilio, corripitur ſomno: tùm expergefactus quaſi inciſa eſſet ſuppuratio, ſe perſanatum continuò intelligit, virulentâ ſanie, quæ latebat, eiectâ.

19 OENIPONTI in eadem Germania, die Dominicæ cœnæ quatuor viri nobiles ijque Sodales parthenij, cùm in templo recitaretur ex ſuperiore loco Euangelium, ſordidos aliquot homines, vt res tulit, ex circumfuſo numero ſelegerunt: quibus cùm lauiſſent pedes, magna totum conuentum admiratione perfuderunt, cum pari voluptate coniunctâ.

20 COLONIAE magna omniũ Sodalium pietas. Duo Germani fratres parentem ægrum atque obfirmatum in hæreſi, nunquam deſtiterunt vrgere, orare, interpellare, donec ille ſupremas curas ad Deum conuertit, & prauas deteſtatus in quibus conſenuerat, opiniones, munituſque Eccleſiæ Sacramentis, diſceſſit fidentior è vita. Alium ex eodem cœtu adoleſcẽtem, ornandis venerandiſque ſanctorum imaginibus cubicularibus ſedulò deditum, acutus morbus lecto affixerat. Ipſe intereà totus in Deiparæ cogitatione defixus, eam tantùm habebat in ore, quam vnam habebat in mẽte. Pridie quàm migraret, matrem appellat: ait viſam ſibi Virginem cum filio, quibus additus erat Angelus miniſter: ab ijs ſe accerſi. Proinde eam hoc ſupremum orat, vt floſculos, quos haberet domi

acu pictos, opere plumario, ad Congregationem Dei Matris mittat. Ipſe poſtridie vultu in eam partem conuerſo, vbi cæleſte apparuerat viſum, ridenti ſimilis deceſſit. Erat in eiuſdem 21
Sodalitio Virginis ſacerdos, pietate iam ac Theologiæ ſcientia excellens: qui rei Catholicæ causâ Zelandiam ſibi (ea eſt inſula Hollandiæ finitima) eundum putauit. Is nunc, maximo licet vitæ diſcrimine, opem fert depoſitæ genti. Ità ex medici periculo, & ex deplorata ægroti valetudine, ſubſidij laus augetur.

22 QVID de Sodalibus Antuerpięſibus? Hic vno anno eorum opera, atque exẽplo octo hæretici ad ſanitatem; centũ ad ſcholam doctrinæ Chriſtianæ; plus quinquaquinta ad morum vitæque emendationem impulſi. Leue hoc erit, quod ſubijciam, ſed pronis, vt ſpero, auribus accipietur. Hollandum puerum annorum non plus vndecim, quia procul aberat à patria ſuiſque opibus causâ religionis, mater coacta egeſtate domum remittere cogitabat. Alia mens puero, ne ratione illâ ad hæreticorum mores adigeretur. Inſtat mater, addit verborum ſæuitiam. Ad multò mitiorem confugit puer Matrem orphanorum, in ſacellum Sodalitatis: ei rem totam prouolutus in genua exponit: orat inopi matri ſubſidium mittat. Ad eam mox redit animo tranquilliore, quòd ſpem attulerit Dei Mater (ità enim dictitabat) in poſterum alimenti. It rectà ad Collegium mulier, ſcitatur ecquid filio Deipara reſponderit? mirari tam ſimplicem interrogationem Patres: neque erat

interpretatio facilis. Res intereà percrebuit, peruenitque ad aures Sodalium pueri atque æqualium: qui iam ità inter ſe habent diuiſas curas, vt de ientaculo demendo ſibi alij, alij de merenda, omnes paruulo negotio vnius Sodalis ſuſtentent inopiam.

23 TRAIECTI in Germania inferiori, incredibilis eſt Sodalium adoleſcentulorum religio ac pietas. Ab ijs enim pauperes ſubleuantur: ægroti inuiſuntur: valetudinaria purgantur: libri digni flammis offeruntur: ad confeſſionem multi adducuntur: inambulantes in templis vt abſtineant, genu etiam flexo admonentur: eaque ab re, conuitijs interdum, aut verberibus non deterrentur.

24 PARISIIS in Francia, Sodalitas Beatæ Virginis ijs nunc ſtat adoleſcentibus ac virtutibus, vt in cœlum multorũ laudibus feratur. Et præclarum ſanè extat teſtimonium viri nobilis & honorati, cuius filius qui vnus erat è Sodalibus deceſſit; tantâ cùm ægrotaret, & cùm moreretur, æquitate animi, & ſignificatione pietatis, vt eius pater illam ipſam quam perceperat in luctu voluptatem, per litteras cum Sodalium Præfecto communicarit: ſuperſtitemque alterum quem habet filium Religioni deſtinarit. Neque verò Sodales ſunt ſuâ tantum ipſorum ſalute contenti; habent proximam aliorum. Eâ prudentia, & dexteritate, vt ab vno eorum iam duobus ad fidem traductis, eadem in alijs traducendis opera ponatur. Solitam quoque retinent ad coërcendas libidines animi aptiſſimam caſtiga-

tionem corporis, atque in pauperes liberalita-
tem. Tranſierat iam in religioſam quandam fa- 25
miliam adoleſcens patre inuito, atque itâ indi-
gnāte,vt rem iudicio experiri vellet. Hoc dum
molitur,expertus eſt iudicium erga ſe Dei. Qui
enim natum foris vnum à Religione repetebat,
is alterum domi amiſit,nec opinâ morte prære-
ptum. Alterum eadem vrebat cura adoleſcen-
tem. Cúmque res inibi eſſet vt conficeretur,
euocatur à patre, qui morbo laborabat; obtem-
perat filius vocanti ; nec ità multò poſt conſi-
lium aperit ; exardeſcit ille hac oratione vehe-
mentius quàm febri ; ingeminat preces adoleſ-
cens ; ille perſtare in recuſando. Adhibetur
intereà parochus ad confeſſionem: quâ peractâ
hominem admonet, vt nato ſe exorabilem præ-
beat, ne Sancto diutius Spiritui obſiſtat. Mira
res : vbi ad leniorem mentem flecti cæptus pa-
ter,eodem penè momēto leuior eſt factus mor-
bus,ità vt breui conualeſceret.

AVENIONE in Gallia Narbonenſi vnus è 26
Sodalibus qui per ſacrorũ ordinũ gradus per-
uenerat ad Sacerdotiũ,profectus eſt in patriã,vt
inter ſuos ſacrificandi faceret initium.Iam ſacrâ
erat amictus veſte ; iam eum aliqui in templo
præſtolabantur ; cùm intereà magno impetu
conatuque irruunt hæretici,qui ad hoc ſe com-
parauerant , omnibuſque digreſſis formidine,
Sacerdotem circumſtant ; Roſarium, quod ru-
more excitus in manum acceperat, vi auellunt,
in ignemque conijciunt. Tùm quærentibus cui
ſeſe dederet,reſpondit: Ego me iamdiu Chriſto

Ieſu, eiuſque Matri Sanctiſſimæ dedi. Quæ cùm dixiſſet magno animo, ità vt erat ſacrâ veſte indutus, mirificè ex eorum manibus elapſus, abdidit ſe quemdam in locum, vbi per decem horas delituit, repertus à nemine, quæſitus à cunctis: quaſi offuſis vndique tenebris eorum oculi tenerentur. Poſtridiè quietus ſacrificauit: & quò nihil deeſſet ad ſinceram lætitiam, integrum Roſarium repertum in igne. Alius quidam ex eodem cætu cùm iter faceret, appetente nocte recepit ſe in diuerſorium, quod poſtea intellexit à latronibus obſideri; it cubitum; Deum orat ex conſuetudine; Matremque adhibet aduocatam, vt ſe volens propitiuſque tueatur. Nec vana precatio. Nocte enim adulta, quamquam irrumpere conati ſunt homines malefici in cubiculum, quod patulum erat, neque vnâ ex parte peruium; nunquam tamen aditum inuenire potuerunt. Alius denique, ne cōgeram plura, cùm eſſet remiſſior paulò in perſoluendis precibus, conſpecto per tres dies diuerſos igne, qui mitti videbatur è cœlo, priorem indiligentiam intermiſſi officij, quotidiana perſolutione curaque attentiore penſauit.

27 In Hispania, Madridiani Collegij Sodalitas augetur in dies magis: nec admittitur quiſpiam, niſi de eius conſtiterit in petēdo perſeuerantia. Vnus è Sodalium numero cùm eo eſſet corporis morbo æger, vt iam deplorata eſſet ſalus, nec tamen Sacerdotem, cui confitebatur, accerſeret, verens ei, credo, ne moleſtus eſſet; noctu vidit per ſpeciem quamplurimos è

Beatis ſupplicantium ritu procedentes, ducente agmen B. Petro Apoſtolo, ad quem adducebantur ægroti multi pro poteſtate ſanandi. Sed ad eum cùm ventum eſſet, qui hæc videbat: *At iſtum, inquit, prætereamus, confeſſionis negligentem.* Hoc viſo excitatus, ſummo manè ſacerdotem accerſit, & poſt obitam ritè confeſſionem, cum admiratione domeſticorum, quibus poſtea narrauit ſomnium, cæpit conualeſcere.

MVRCIAE in eodem regno, Sodales ſunt trecenti: quorum capita, capita etiam vrbis; ſeruantque ſuum illud ſolemne, vinctos in carcere, quotidiano victu ſubleuandi. Ex illorum cætu aliquando vnum iter facientem, oblata quædam occaſio impulit, vt ab religione officij declinaret. Qui deinde cùm correptus eſſet ſomno, caſtigari ſibi viſus à B. Virgine oratione vehementi. Itaque experrectus ſtatim, pauidusque viſo & conſcientia, recentem maculam pœnitentiâ abſterſit. Alter cùm apud ignotos diem obiret in alienis terris, inuentus eſt in ſupremo morbo veſtitus interiore cilicio, auditusque in ſupremo ſermone lætiore vultu Reginam compellans Angelorum, multoſque cælites nominatim, eorum quaſi aduentantium præſentiâ frueretur. 28

EBORAE in Luſitania ex Partheniorum iuuenum cætu vnus, religionis ergò ex ſuarum parte ædium excluſit quod ſatis eſſet quaſi Sacello: quem in locum bis ſingulis hebdomadis conueniunt plures, vt pijs lectionibus ſacriſque 29

ſermonibus tempus vtiliter terant. Ad has exercitationes addunt ſextâ quâque feriâ Litanias B. Virginis, & corporis diuerberationem.

30 NEAPOLI in domo Profeſſa ad nobiliorum Sodalitium, tenuiorum Oratorium (ita enim appellatur) acceſſit. Hi iam fermè ducenti, bis ſingulis menſibus ex lege Euchariſtiam ſacram ſuſcipiunt: & curam etiam habẽt proximorum ſalutis. Quos maximè facinoroſos eſſe accipiũt, ad horum amicitiam adrepunt, vt paulatim adducant ad pœnitẽtiam. Sunt quoque interdum ipſi præſentiam numinis experti: vt vni cõtigit, qui cùm pro ſuis familiaribus preſſis ære alieno ſponſor factus, trudendus eſſet in carcerem, ad cæli Reginam fuſis precibus, ità vidit flexos animos creditorum (erant autem ſex) vt omnes communi mente debitum remiſerint.

31 In cæteris cætibus qui ex opificibus fermè conſtãt, non minus vtiliter laboratur. Vnius ex illis beneficio conſtitutũ publicè Sacellum vſui mendicorum: & inuentus Sacerdos, qui præter ſacrum quod illic facit diebus feſtis, ſingulis menſibus ſalutari cõfeſſione purgatos ad communionem admittit. Neque hi ſolum docentur doctrinam Chriſtianam, ſed & vagum mulierculárum genus, quæ canendi ſtudium à laſciuia carminis in diuinas laudes contulerunt. Et inceſſit aliquando per vrbem hæc mendicorum turba, magnâ oculorum oblectatione auriumque, longiſſimo agmine, & dulciſſimâ modulatione.

32 Ibidem in quædam opera pia verterat fun-

dum capſæ quæſtoriæ ærarius quæſtor, idemque Parthenius Sodalis, ne teruncio quidem reliquo facto. Interiecto deinde vix ſemihoræ ſpatio, cùm in occaſionem huiuſmodi, opus eſſet præſenti pecuniâ, & conſuetudine magis, quàm ſpe vlla arcam ipſam excuteret, magnâ cum lætitia, quanta ab inſperato ſolet, parem omninò reperit numerum aureorum, quot antea deprompſiſſet argenteos. Hoc libentiores Sodales in diuino cultu, quo benigniorem ergà
ſe experiuntur prouidentiam Dei. Sed accipite 33
nunc alterius pietatem, & ab vno facto diſcite omnes. Certis veſtigijs indagauerat quidam turpe flagitium alterius externi: dein tectis cõſilijs, vt reduceret errantem in viam, vni tantum rem aperit, viro graui & prudenti, qui admonitor eſſet. Hoc vbi ille ſubodoratus eſt, accenſus iracundiâ, perditos homines pretio impellit ad malè accipiendum verberibus adoleſcentem, qui nec referri, nec quemquam apud magiſtratum accuſare voluit, cùm poſſet. Magnum videlicet magiſtrum ęmulatus, & pro bono malum accipere, & pro malo bonum reddere, Chriſtianum putabat.

BARII in Italia, attinebatur quidam diutius 4
in carcere, eo tãtùm nomine, quòd Prætori non poſſet ſatisfacere. Id cùm comperiſſet vnus è Sodalibus, cui incumbit procuratio vinctorum, debitam pecuniam Prætori offert; quam cùm ille ſtomachans reieciſſet, quin & minitaretur vincula, niſi deſiſteret ab eiuſmodi patrocinio; Mihi verò, inquit, nihil glorioſius poſſet

Digitized by Google

accidere, quàm ſi vinctos liberare cupiens carcere, pro vinctis includar in carcerem. Ad alterum ex eodem cætu, adijt quidam, duplicis oneris poſtulans ſubſidium, paupertatis & ſenectę: nec erubuit offerre florem virginis filiæ, quam ſecum adduxerat. Admirabile factum iuuenis: turpem ſenē graui oratione obiurgat filiæ parricidam: adiuuat pauperem pecuniâ, hac tamen lege, ne poſthac vnquam eius pudicitiam putaret venalem habendam. Alius cùm vidiſſet à quodam propter paupertatem duas filias minus honeſtè collocatas, ſuſcipi tertiam domi ſuæ à mulieribus iuſſit, in tuto habendam; ne ſi apud patrem eſſet, in eodem freto mergeretur. Et hæc ſanè Sodalitas videtur benignè alijs faciendi magiſtra. Hoc ipſo tempore cùm metueretur caritas annonæ, multùm frumenti ſepoſitum à Sodalibus, vt ingraueſcente illâ, ſubueniretur ciuium inopiæ: quod & opportunè factū, magna omnium commendatione, cùm qui panem præberent pauperibus, ij ferè eſſent genere

35 re ac virtute illuſtres. Etſi eorumdem quoque virtus enituit in malorum modeſta perpeſſione. Vnus ex ijs cùm in medio foro multis audientibus laceſſeretur iurgio, prouolutus in genua, oſculatuſque pedes laceſſentis, obſtupefecit miraculo omnes; cùm & in procacitate obloquentis agnoſcerent ardorem iracundiæ, & in manſuetudine audientis ſuſpicerent pulchritudinem Chriſtianæ pietatis. Agebat alter cum fratre germano, vt iniuriam alapæ acceptæ cōdōnaret inimico; quod cùm ille ſuaderi ſibi, &

Digitized by Google

domus tota grauius ferret, tot hominem confecere verberibus, vt ad multos dies vibices in ore præferret: cùm interea eius vox exaudiretur, Tundite, Tundite, dum licet; ego Sodalitatis meæ memor, nunquam pacem ſuadere deſinam.

36 ALETII in eodem regno, è ſcholaſticorum Sodalitate ad Noſodochia publica ſeni quotidie delecti, diſcunt ægrotis inſeruire & animum frangere. Quod quidam inter abſtergēdas lances diſcutiendæ nauſeæ ità præſtitit, vt eſculentas reliquias inter retrimenta culinæ, vel antè triduum abiectas, auidè deuorarit, glorioſâ ſui victoriâ. Aeſtate verò, cùm in maximis caloribus publicus carcer laboraret penuriâ aquæ, manè ac veſpere hauſtas aquas è Collegij ædibus per mediam vrbem ad vinctos detulerunt.

37 PANORMITANA Sodalitas quibus viris conſtet, hinc facilè perſpicies. Conuicijs prouocabantur diuerſis temporibus duo, & verò incitabantur irâ ad referēdam iniuriam: ſed vterque rexit ea cogitatione animum, quòd de Sodalitio eſſet. Hic admotam capulo ſua ſponte manum (habebat enim gladium) repreſſit, & aduerſarium molli ſermone placauit: eum ille à quo laceſſebatur, duci iuſſit in proximum templum, & ab admirāte veniam petijt genu flexus, quòd ipſi cauſa iracundiæ fuiſſet: glorioſa prorſus, quâ ſe vicit vterque, victoria. Sodalium 38
operâ, orba parentibus virgo, datâ dote nuptui tradita: corrogato item ære germanæ ſorores duæ in virginum cænobio collocatæ: eorun-

dem præterea beneficio grauis multorum inopia ſubleuata. Ità, cum ex ijs quæ in Sodalitio frequēter audiunt, tum ex ijs multo magis, quæ eorum animis inſtillat Deus, (quotidie enim ſemihorā rerum diuinarū meditationi tribuunt) ſunt omnes ad benefaciendi conſuetudinem adducti. Ibidem ex Parthenijs opificibus vnus petitus ſclopo, cùm à medicis iaceret deploratus, non ſolum veniam inimico dedit, ſed nunquam ſuorum precibus adigi potuit, vt ederet illius nomen, quem ſolus ſciebat: adeò cupiebat ſinceram eſſe pacem, & omnia ſimultatum ſemina reſtincta.

39 MACERATAE in Italia, ex Partheniorum numero vnus non paruam aureorum ſummam collocandis pupillis, magnumque frumenti numerum pauperibus teſtamento legauit. Puella deinde vna Sodalium ære & conſilio nuptui tradita: altera amittendæ pudicitiæ periculo extracta. Nec minus ipſi ad alia pia negotia intenti. Pulchrum ſanè ſpectaculum fuit viros cernere primarios noſocomia obeuntes, ægrotis miniſtrantes, vinctis operam ferentes (ſic penitus vt eorum ope ſint paucis hebdomadis viginti amplius ſoluti) collocatâ pecuniâ in egentes aliquot familias victum diſtribuentes, diuini violandi numinis occaſioni occurrentes, multorum odia cum pace mutantes.

40 MONACHII quæ eſt vrbs Germaniæ, Sodalis quidam, cùm in ſe inquirendi, quid cogitaſſet, dixiſſet, egiſſet, omiſiſſet, adhibito ſtudio recognoſceret, obſecraretque Reginam Angelorum,

Digitized by Google

lorum, vt omnia ſibi fas eſſet peccata confiteri, ne vno quidem prętermiſſo; ecce tibi è ſublimi, antè faciem orantis pagella decidit cãdore eximio, quæ minutis quidem litterulis, ſed elaboratis, quoddam illius peccatum expreſſerant: hoc addito, ſi illud aperiret piéque Roſarium recitaret in honorẽ Deiparę, benè ſecum actum iri. Auxit miraculum, quòd cùm Sodalis alterius æqualis, parens, parochus, alijque conarentur, nunquam chirographum illud intelligere potuerunt.

Ex Oenipontani Collegij Parthenijs adoleſcẽtibus vnus, cùm eſſet morti proximus, orabat patrem, quem tranſuerſum agebat illecebra peccandi, daret hoc ſibi nihil amplius petituro, corrigeret mores: non futurã, ſi cum hac ſpe deceſſiſſet, mòrtem acerbam. Hoc cùm pollicitus eſſet pater, tantâ filium voluptate affecit, vt paucis poſt diebus, quaſi iã pater parẽtis ſui, quem pietati genuerat, ſummâ cum voluptate moreretur. Alteri ità carus amor pudicitię, vt ne libidinum vapore afflaretur, gliſcentem illum algente hieme, fontanâ aquâ perfrigidâ, magni Franciſci æmulator, extinxerit. 41

Avenione quidã adoleſcens in Sodalitium admitti vehementer cupiebat: ſed cùm differri placeret moderatoribus, ſiue morę intolerãtior, ſiue familiarium inductus conſilio, intepuit. Et fortaſſe iſſet in alia omnia, niſi nocturnorũ terrore ſomniorum, ſpectrorumque horribilium, excitatus eſſet. Vbi redijt ad pulchrum propoſitum, fœdæ imagines abierunt. 42

ANNVS CHRISTI

1590. 1591.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 26. 27.

1 ROMAE vni è Scholaſticis Parthenijs quiddam accidit non prætermittendum. Religioſam vitam expetebat; cùm ſtudiorum ſpatio decurſo, ſubit animum proficiſci in patriã, (an vt vale diceret?) quibus mẽs melior erat, diſſuadentibus. Inde cùm concedit in villam, iumentum quo vehebatur, decidit in foſſam ex cuius alterâ parte vallis præceps, & formidoloſæ altitudinis, ſimulque crus equitis totâ mole corporis oppreſſit. Periculum omninò ſæuum & anceps, ſiue propter onus incumbens, è quo expedire neque ipſe ſe poterat, neque extrahi à comitibus, alijſque qui accurrerant, audito caſu: ſiue quòd ſi ſe commouiſſet iumentum, pronus ipſe voluendus erat in caput, atque ilicet per præruptam rupem atque aſperam ſaxis, interitus certus.

Digitized by Google

Cùm circumſiſterent omnes anxij, & incerti quid agerent, ipſeque iacêret non minus conſternato animo quàm corpore, admonent vt re deſperatâ, Deiparæ opem imploret. Nec mora, vix ſuis credens oculis, non vllis hominum auxilijs, non ſuo ipſius niſu, liberatum crus aſpicit & periculo exemptum. Vix in tuto erat repoſitus, cùm equus fruſtrà eluctatus, in imam vallem præcipitans ad exitium ruit. Nimirum ex eo nouit adoleſcens, vitam, quam Dei genitricis beneficio retinuit, diuino obſequio deberi.

2 Ibidem è Græcorum Collegio quidam, cùm ſe vocari ad Sodalitatem B. Virginis intelligeret, interiore animi motu, diu reſtitit: tandem vi maiore impulſus dedit manus, & accidens ad Præfecti pedes, multis cum lacrymis eam obtinuit: quâ obtentâ lætatus eſt perinde, vt ſi voluptatem auxiſſet ſerior ingreſſus.

3 Maceratae è Congregatione quidam moriens mille aureos Sodalibus legauit. Duo præterea iuuenes cùm extra vrbem fortè ambularent animi cauſa, incidunt in hominem Ruſticanum, qui faſcem abiecerat, quem ferebat, defatigatus, aut viribus impar: accedunt, pollicentur leuaturos eum onere, vſque ad portam vrbis. Ille ſuſpicari fraudem, deriſumue: neque enim adoleſcentes nobiles faſcem in via publica facilè gerant. Cùm inſtarent nihilominus, ac viderent ſuſpicacem animum ruſtici, eorum alter, Prædes hos libros accipe (inquit) quos niſi faſcem reſtituero, diuendito.

Ità iam libros admirabundus ruſticus, faſcem delicatus iuuenis, mutatis partibus, ferebant, donec in ipſa porta vterque ab altero ſuum recepit. Alius qui laſciuiâ iuuenili, viſo paupere non tenuerat riſum, vt reprehenſus eſt à magiſtro, irriſum adiens, veniam petijt, ſtipemque obtulit, quam tùm dederat ipſe, tùm ab æqualibus corrogarat.

4 E MAIORE Sodalitio Recinetenſi vnius mira æquitas animi. Mulier aſſeruabatur in carcere, quæ confeſſa erat in quæſtione inter epulas miſcuiſſe venenum, quo eum, quem dixi, vxorem, liberos, vniuerſam familiam tolleret, ſuaſu vicinæ mulieris, quam nominabat. Quòd ſi hic ageret lege, magna imminebat confuſio rerum, ac perturbatio vrbi, propter principes familias litigantes. Ille ergò cùm ſcelus non agnouiſſet, neque ſibi perſuaderi diceret de tãto odio cuiuſquam, præcidit anſam litis, magnam aſſecutus apud omnes clementiæ famam. Ex eodem numero alius, à religioſæ cuiuſdam familiæ viro contumelijs oneratus, multis præſentibus, in templo, quod propter religionem loci eum defendere poterat, non modò iræ, ac voci pepercit; ſed vltrò ſe, veniam petens ad pedes eius abiecit, qui affecerat iniuria: vt admirationem cæteris, ei pudorem incuſſerit.

5 IN FLORENTINO Collegio primas doctrinæ ac pietatis ferunt Parthenij. Quidam ex eo cœtu, quòd adoleſcentes deuios in illo lubrico ætatis, in rectam viam reducere conatur, magnum adijt periculum vitæ. Sub noctem

Digitized by Google

repetens domum, à neſcio quo graue vulnus in capite accepit; ſed, Deo protegente innocentiam, ictus innoxius fuit. Agnouit deinde ſicarium, ſed Chriſtianæ manſuetudinis memor ignouit offenſam. Longior ſequitur narratio 6
admiratione digna. Nobilis Iuuenis ſolutioris anteà vitæ, eam vt corrigeret, frequentare cœpit ſalutaria Sacramenta, mox etiam vt cooptaretur in Sodalitium Virginis, ſummis precibus impetrauit: tum verò (quod ij faciunt, quos non communis tãgit cupîdo pœnitentiæ) clam cœpit ad nudas carnes funem apprimere, cilicio corpus domare, ieiunio & abſtinentia vires frãgere. Parens vterque, cæterique domeſtici Iuuenem obiurgare, miſcere precibus minas, lacrymas adhibere: ſed animus cœlum affectans humana omnia cõtemnebat. Diebus quinetiam feſtis in Noſocomia ſe conferens, ęgris præbebat cibos, & dolorem verbis mulcebat. Hyeme cùm grauior iam populum vreret annona, manticis ex humero pendentibus emẽdicabat quotidie panem pauperibus alendis. Hæc cùm indigna viderentur nobilitate generis, percrebuit fama exiſſe eum de poteſtate mentis: & ne quid ſimile amplius ageret, iratus ei pater interminatus eſt. At poſtquam Sacerdos, qui ei erat à confeſſionibus, egit cum patre, iterum ei facultas oſtiatim quæritãdi eleemoſynas ad aliorum vtilitatem conceſſa eſt. Cùm die quodam domi eſſet, excitus vociferationibus mendici famem deplorantis, cum cibarijs exit: quę cùm defectis ab homine viribus tranſmitti non poſſent, clam

recipit domum, vt aptiores præparet cibos defectioni reuocandæ. Reuertitur durus pater, filium ſollicitum videt, vt pauperem expleat, reditque ad ſolita iurgia. Mox eo recedente, magni animi Iuuenis ſublatum ægrum in humeros, deportat in valetudinarium publicum, & accuratum diligenter Magiſtro commendat. Neque hunc vnum, ſed extrà vrbem vel ad mille paſſus quoſcumque reperiebat laſſitudine exanimatos, & exhauſtis viribus, eodem officio ad xenodochium ferebat, admirãtibus quibuſdam, alijs imputantibus amentiæ. Non raró morbidorum vlcera manibus lauit, ſuperiectâ plęrumque interulâ quam ſibi detraxit. Neque hoc ſatis. Septemdecim virgines, ne earum pudicitiæ tenderentur inſidię, meretrices quatuor reſipiſcentes in cœnobiorum tuta perduxit. Hac piorum conſtantiâ operum, Ioannes Baptiſta (hoc erat iuueni nomen) in peruigilio cognominis Sancti, ad mercedem vocatus, ſummâ religione deceſſit. Tùm nemo fuit ex ijs etiam qui vitam irridebant, quin morti inuideret.

7 NEAPOLI in domo Profeſſa, ad nobiliorum Sodalitatem ſub patrocinio virginis acceſſere principes viri duodecim. Eorum tyrocinium præcipuè ponitur in ſubleuandis collecta ſtipe familijs è claro genere ad inopiã dilapſis. Quo genere officij defenſa virginitas duarum, quas egens opum & conſilij pater mercatoribus addixerat. In alijs Sodalitijs magna
8 omnium pietas. Et in vno quidem apparuit præſens auxilium Deiparę Virginis, cui ſe quo-

tidie certâ prece commendabat. Illum enim cùm aliquando egreſſum domo circumueniſſent hoſtes inſidijs, & diſploſu ſcloporum, omnis illorum impetus intrà cutem ſtetit, parte ſolùm veſtitus ambuſtâ.

In Collegio autem Sodales vt in perferendis laboribus, Chriſti causâ, & aliorum ſalutis, ſic etiam in perpetiendis iniurijs, ſemper inuicti. Et oſtendit Virgo eſſe ſibi curæ eorum religionem: quod patebit his paucis exemplis. Nocte vnus Sabbathi inter dormiendum pugione petitus ab inimico eſt; ſed aberrante manu, an ſuſpensâ Deiparæ nutu? obliquum vulnus in viſcera nō deſcēdit. Hoc facilior ipſe ad ignoſcendum. Alter, cùm inter nauigandum (Melitam contendebat) graui oppreſſus tempeſtate, vt increbreſcentibus ventis concidiſſent animi nautarum, nec reſtaret aliud niſi decimus fluctus merſurus nauem, in vltimo diſcrimine vt maris ſtellam inclamauit, ſalutarem agnouit, tempeſtate ſedatâ. Eiuſdem auxilio, Turcarum manus ſe proſequentium effûgit. Non minùs mirum illud quod ſequitur. Vehebatur alius rheda; is, neſcio quo caſu, an ſuccuſſantibus rotis? cùm è latere decidiſſet, (factum non caperet fidem, niſi authorem haberet Ieſum & Mariam, quos ille in periculo nominauit) poſt earum tranſitum incolumis ſurrexit. Ità, in ſuis defendendis terra marique, Virginis ſoſpitatricis illuſtre præſidium fuit. 9

ALETII in Iudicem regium (is erat vnus è Sodalibus) quidam impotens iræ, atque intem- 10

perans, ità commotus eſt animo, vt non abſtinens maledictis, etiam colaphum impegerit. Hanc ille iniuriam tam inſignem Chriſtianè habuit, nec voluit vlciſci, cùm poſſet. Sed is deinde, qui intulerat (quieuerat nempe animus, & in locum iræ ſucceſſerat æſtimatio) cùm accuſaret ſtultitiam ſuam, magnâque oblatâ, ſi opus foret, pecuniâ poſtularet ſibi ignoſci: Ego verò, reſpondit Sodalis, an condonanda ſit iniuria, non quantamlibet pecuniam, ſed Chriſti Domini voluntatem in conſilium adduxero. Poſtpaulò veniam dedit, eamque conſignatam litteris, non ſatis admirante ciuitate, miſit ad publicos magiſtratus.

11 SODALES Collegij Comenſis ſuſcepere curam vinctorum. Eos operâ, induſtriâ, aſſiduitate, ſtudio, patrocinio, alloquio, fideiuſſione, collatâ collectâue pecuniâ, iuuant ſoluuntque. Cui muneri duo præficiuntur, è quibus alter magnum argumentum præbuit charitatis, cùm in foro maximo pleniſſimoque, obeundo ſingulos, ſtipem corrogauit in pileum, capite intecto. Horum exemplum imitata ciuitas binos conſtituit, qui in eodem opere verſentur. Nec verò his tantùm officijs ſunt Sodales contenti: ad alias ſe porrigunt vtilitates. Aegrotos in Noſocomio domique adeunt, fouentque: nec negligunt familias ad miſerandam inopiam perductas: quin & dolores multorum, & triſtes animi curas ſolantur; vt proximè cuiuſdam, qui à muliere quadam quater veneno appetitus, eo non penetrante ad vitalia, iacebat affecto corpore.

Cum hoc videlicet vnus è Sodalibus egit, opportunitate capta, vt mulieri veniam daret, infirmitate conſilij in tale facinus progreſſæ: & quaſi hoc ſatis non haberet, eandem ad confeſſionem adduceret.

12 PLACENTIAE, Adoleſcens vnus è gymnaſio, & Sodalitio Dei matris, ità grauiter æger, vt omnes medici diffiderent, illam ſummis precibus cùm oraſſet, vt ſi quidem ſecutura ex eo eſſet Dei gloria, impetraret ſibi valetudinem, ſin minus, veniam peccatorum à filio; conſopitus eſt ſomno, dein excitatus releuato corpore, paulò poſt planè conualuit.

13 DILINGAE in Germania, dyſſenteriæ moleſta quædam lues hoc tempore non vrbi modo, ſed Collegio etiam incubuit. Eâ adoleſcentes quinquaginta laborarunt: & non nemo extinctus. Correptus eſt ex horum numero quidam illuſtri familia, ſed magis virtute: cùm intelligeret appropinquare mortem, ad vltimum ſe certamen comparabat ſub patrocinio Virginis: quæ & clientulo intuendam ſe præbuit, in tabula præferens eius nomen, & aliorum quorundam aureis litteris: addidit, migraturum ad cælites, poſt exactum breue aliquod ſpatium in igne purgante. Narrauit hoc lætitiæ ac ſpei plenus Sacerdoti vicino: & Sacerdos illico; Per ego te Dei genitricis amorem rogo, vbi ad beatorum ſedes deueneris, his Collegij incommodis tam grauibus ac diuturnis finem à Deo impetres: & quam noſtras propter noxas diuinam meremur iram, auerte. Recepit, &

abijt. Mirum dictu: ab eius diſceſſu, illo morbi genere, nedum mortuus ſit aliquis, ne ægrotauit quidem.

14 E SODALITATE Colonienſi vir magnâ apud ſuos authoritate, ſub tutela Dei genitricis, per ipſos iam quinque annos certis locis ac diebus magnam egenorũ turbam ad fidẽ inſtituit, refectam ſtipe. Eſt præterea qui cũ ſocio ex eodem Sodalitio Hollandiam obiens, orthodoxos confirmat, errantes dirigit, ſacra myſteria celebrat, cænobitas reuocat ad veteres leges: in vna Vltraiecto familias nobiles viginti Eccleſiæ reſtituit. Sunt ex eodem numero alij, quibus ad adiuuandos proximos idem conatus, & ardor.

15 MOGVNTIAE è Sodalium adoleſcentum numero cùm diem obiret quidam, triginta florenos Sodalitio legabat: orabat proinde vnũ è circumſtantibus, à cognatis eos exigeret, cùm veniſſent. Eo contrà tendente, quòd illos de facie non noſſet, Indicabo, inquit, eorum aduentũ. Moritur: & honorificè à Sodalibus effertur, admirabunda ciuitate. Paucis poſt diebus, antè lucem lucubranti alteri, in niueo amictu apparuit, & quinquies lucernam extinxit: quaſi moneret, ſuos aduentaſſe: & adnotatum eſt id temporis introiſſe vrbem. Ex eodẽ cœtu alter, cùm

16 audiuiſſet patruum à vera fide alienum Moguntiam veniſſe, vt eum abduceret domum; in amicorum ædibus tamdiu delituit, quoad ille irritus diſceſſit. Rarum & illud, atque his gentibus inauditum. Triduum ante Paſcha in ſacellum

Digitized by Google

conuenere ad ſexaginta : mox audito ſermone ad Chriſti æmulationē incitante,petitâ primùm viciſſim veniâ,ſecutâque oſculatione pedum,& breui meditatione de Domini cruciatibus, obductis feneſtris, in ſe quiſque deſæuijt vindice flagello. Paruum principium rei nouæ, & hic fortaſſe ſine exēplo. Sed inueteraſcet hoc quoquè olim,vt alia, & inter exempla erit. Eodem tempore ex eo grege decem, intecto capite, ac nudis pedibus, profecti ſunt extrà vrbem, ad ędem,miraculo è Crucifixi imagine profuſi ſanguinis inſignem.

17 Heiligenstadii Adoleſcens propter vitæ morumque integritatem prę̄fectus Sodalitio Parthenio grauiter decumbens, aſſeuerauit viſam ſibi ſanctiſſimam Dei parentem, Petro, Andreaque Apoſtolis latera cingentibus, confirmaſſe,ſe paulò poſt,non tamen ſine ſacro viatico deceſſurum. Viſum comprobauit euentus.

18 Alivs quidam adoleſcens Lubecenſis Lutherum hauſerat cum lacte, & gymnaſia frequentauerat eiuſdem farinæ. Verùm ſubodoratus ex ſermonibus libriſque ancipites Prædicantium opiniones & varias,ſummam conſtantiam Catholicæ religionis, matre vidua,amicis, opibuſque relictis Monaſterieńſem vrbem confugit,exploraturus veritatem:quam arctè complexus, poſt generalem confeſſionem profiteri voluit in ſacello Collegij. Tertio verò poſt mēſe inſertus in Sodalitatem Annuntiatæ Dei matris piè obijt. In quo enituit Sodalium charitas, cùm languenti mortuoque præſtitere officia

19 Chriſtianæ pietatis. Cæterum inſignis fuit Monaſterienſiũ Sodaliũ religio, cùm ſupplicatum eſt numini continenter horis bis viginti, amoliendi hoſtilis exercitus ingruẽtis causâ. Annotatum autem eſt, quâ horâ abſolutæ ſunt preces, repentino terrore percuſſum hoſtem, collectis vaſis, caſtra mouiſſe.

20 BRVGIS in Belgio ceſſit è vita vnus è Sodalibus miræ pietatis. Is cùm Beatiſſimam oraſſet Virginem, mors vt ipſius incideret in diem aliquem eius honori dicatum, nõ fruſtrà habuit preces. Ereptus enim eſt è rebus humanis quadrageſimo die à natali Domini, cùm puriſſima Dei Mater filium adduxit in templum ex more patri ſiſtendum. Domine fili Dauid miſerere mei, Sancta Maria ora pro me, vltimæ viuentis voces fuêre. Corpus eius cũ lacrymis omnium elatum eſt amplo funere, quod laudatio illuſtrauit. Alter ex eodem cœtu, in aulam deſtinatus, vt è regia eſſet cohorte, magno ambitu parentum; cùm ſolutiorem illam vitam non ferret, neque extorqueret à matre reditum, ſic ſe continuit intra leges quas didicerat pudoris, & cõtinentiæ, vt ſuetam ſacroſanctorum vſurpationem myſteriorum nunquam intermitteret; delictum fortaſſe alienum, magis vitans vt ſcopulum, quàm inſpiciens vt exemplum; donec illum Deus non tantùm ex aulæ, ſed è corporis etiam moleſtia liberauit: ne piam animam fucatus color deciperet, aut conſtringerent inextricabiles nexus inſidiantis ſæculi vanitatum.

21 MVSSIPONTI in Francia quàm eximia ſit

Digitized by Google

pietas Sodaliũ ſingulorum, ex vno intelligetur. Euocatus in patriam ab hæretico parente extremâ hebdomadâ longi ieiunij, precibus primùm blanditijſque ad veſcẽdum carnibus impellitur. Nefas eſſe dicenti, parens: Et mihi quoque (inquit) animæ meæ cura eſt: an tu me ſapientior? itáne pater filio contemnendus? hæc egregia illa diſciplina? poſthac, à me ne tantillum quidem opis expecta. Ad hæc adoleſcens modeſtè (vt debuit) Deum ſibi parentis loco futurum. Vix manus continuit pater. Interim ille in oppidulum diſceſſit, rei diuinæ audiendæ, non longe diſtans. Patris verò ira mitigata eſt, factaque poteſtas & copia redeundi ad Gymnaſium.

DIVIONENSIVM Partheniorũ Opificum initia (vt naturalis eſt hominum ad carpendum aliena facilitas) obtrectatoribus non caruere. Ceſſit tamen inuidia virtuti: ac, veluti poſt tempeſtatem, cõfluentium numerus auctus, & gliſcit paulatim eorum exiſtimatio religionis: vt ſæpe qui re aliqua graui premũtur, eorum apud Deum precibus ſe ſubleuari poſtulent. Mulier certè, quam rei ſubreptæ deſiderio à ſortilegis conſulendis deterruit vnus è Sodalibus, vbi ijs ſe commendauit paucis poſt diebus reperit furtum. Mitto de ipſorum pietate dicere, de charitate in ægrotos, de affligtandi ſtudio corporis, de ardore precandi, de incredibili aliquorum intelligentia rerum diuinarum, quas, etſi idiotæ, tàm aptis aliquando illuſtrarunt ſimilibus exemplifque, vt vix credi poſſit. Diuerſis tem- 22

23

poribus duo à graſſatoribus capti, ereptique Virginis Dei parentis ope, in hunc modum. Vnus iter faciens cùm in eos incidiſſet, ſemel quamquam atque iterum diſploſo ſclopo, percuſſus non eſt: ipſe interea accelerans fugã, preſens implorat Patronæ ſuæ auxilium. Iam ſpatiũ corripuerat; cùm graſſator, citato equo in peditem fertur, mucrone diſtricto. Et iam videbatur demeſſurus caput, cùm loco & tempore Virgo affuit clienti. Prolapſus repentè equus ſic equitem ſuo onere impedijt, vt ſe diu expedire non poſſet. Inter hæc, ſalus quæſita fugienti. Captus alter ab hoſtibus, rapiebatur in eorum comitatu tanquam ad cædem: ſic enim in Diuionenſes expromebantur odia diu collecta. Trahitur primâ veſperâ in vicinũ pagum. Dum ij cænant luduntue militari laſciuia, inuerſum ipſe dolium ſubire cogitur, quod lapide congeſto onerant, circumdantque ſemiuſtâ paleâ, rimis hiantibus explendis; ità vt fere fumus ſuffocaret incluſum. Additur poſt cœnam importuna ſaltatio, nempe, quâ cum ſolo dolium coibat ſitu inæquali; immittitur certatim cuſpis gladiorum, ad pedes petendos, quos ipſe interim defendebat vitandis ictibus, alternis extollens. Neque alia totâ nocte quies: vnum ei ſolatium opuſque, Roſarij percurſio. Sed & vnum poſtea retulit (vt ſecura recordatio præteriti temporis non caret delectatione) quod non erit iniucundum attexere, ſcilicet in deſperatâ penitus ſalute, hanc ei repetitam ſæpius formulam precandi, quam in concio-

nibus audierat (an quod ſæpè metus obſtupefacit mentem?) *Domine ſi vis potes me mūdare.* Hāc *Luca. 5.*
aptam exiſtimabat eſſe orationem, & neceſſitati congruentem. Non vocem, ſed voluntatem Deus exaudijt. Vbi diluxit, eo inſpectante contuſi verberibus qui ſimul fuerant comprehenſi, vinculorum ſocij, & comites viæ: eximius ipſe habitus, ac ſine alio ludibrio pretioue, libertati redditus eſt: nullâ palam causâ, niſi quòd matri hunc honorem habuit Deus, vt audiret eius famulum in ſummis anguſtijs clamantem.

24 DOLAE adoleſcens quidam ægrotus vbi à præceptore monitus vouit pro valetudine ingreſſum in Congregationē, reualuit. Iactabatur alius puer febri per aliquot menſes, quæ ei videbatur mortem allatura. Venit in mētem votum dicandi ſe miſericordiæ matri in eius Sodalitio, idque die ipſo Nuntiati authoris noſtræ ſalutis: ſtatimque mortis periculo, & continuatione febris liberatus eſt. Neque Dei genitricis beneficium tacitum continebant parentes. In quartanam cùm cōuerſa eſſet vis morbi, recurrente die ſacro inuiſenti Virgini Eliſabetham, placuit matri memori eius quod tertio antè menſe eueniſſet, puerum adducere in Collegij ſacellum confeſſioni faciendæ: fecit: & ſanatus reuertit. Remanſerant tamen puero viresità attenuatæ, vt ſe mouere vix poſſet: reliquiæ morbi: ideóque cogitauit religioſa mulier, perfectricem eam fore mirandi operis, quæ fuerat inceptrix. Ad montem Rolandini (nomen eſt

templi, vbi multa miracula, propter mœnia vrbis) adducendum ſtatuit. Igitur equo vectus, ipſamque ingreſſus ædem ſcipione vtrinque innixus; audito ſacro (mira res, ſed vſitata benignitatis Parenti) relictis ſcipionibus, vt monumentum eſſent beneficij, neque equum vltra requirens, ſuis pedibus redijt domum, ciuitate cum diuinis laudibus ad ſpectaculum accurrente. Non minus mirum quod ſequitur. Viro
25 cuidam pio erat filius diſſimilis patri: etſi enim ventitaret ad Collegium, tamen difficile erat vincere naturam. Cùm humana remedia irrita eſſent, pater diuinum experiri voluit. Itaque ſanctè expiatus, perceptaque Euchariſtia, rem multis precibus Deo commendat. Eo ipſo die, puer Chriſtum Dominum videre viſus increpantem; ac ni patri ſtatim pareat mutata viuẽdi ratione, atrocia minitãtem: illicòque correptus eſt grauiſſima febri, quæ annum durauit. Eâ vtcumque releuatus, cùm Dolam & litterarum ſtudia repetiſſet oblitus Dei minarum, neſcio quomodo, à Congregationis præfecto oratus eſt, vt exſcriberet Sodalium nomina, non ſine diuino nutu, cùm ipſe è delecto numero non eſſet. Hoc dum facit attẽtè (audite miraculum) offert ſe ei ſpectandam Beatiſſima Virgo: *Hoc age* (inquit) *rem mihi gratam facis: nec ego vſquam tibi abero.* Hoc viſo atterritus, lætatuſque, auidè adſcribi in Sodalitium petit, nec niſi poſt longam probationem admiſſus, non vanam fuiſſe obiectam ſpeciem, vocemque, rebus oſtendit.

AMICII

ANICII in Gallia conflata eſt hoc tempore congregatio, cuius natalis fuit dies B. Virginis Conceptæ. Nec caruit initium ferè miraculo. Nocte eâ, quæ proximè anteceſſit, adoleſcẽs habiturus orationem, peruigilarat multùm in eâ ediſcenda, & (vt fit) nimiâ cura, ſeu recitatione crebrâ, collegerat ſitim. Dum aquam petit ex puteo ſubdiali, ac ne excitet domeſticos, trochleâ ſenſim agitatâ ſitulam demittit; ex lubricà glacie lapſante veſtigio, nihil propius factum eſt, quàm vt prægrauante capite excuteretur in puteum, niſi aliquis ſuſtinuiſſet corpus, ac reſtituiſſet pedes ſubitâ ope. Dei Matrem eſſe credidit probabili coniectura. 26

TOLOSAE in ſodalitio Parthenio caſtigatio corporis introducta. Vnus è ſodalibus, è quo reliquos coniectes, vicinum in pagum negotij cauſa profectus, concionatorem adduxit, ſacerdotes clericoſque inter ſe diſſidentes concordauit, reduxit contemptum Roſarij vſum ſiue intermiſſum. 27

VALLISOLETI in Hiſpania eſt Sodalitas ad quam non niſi viris expertæ virtutis aditus eſt; ij iam ſexaginta, qui inter ſe diſtributa munera habent. Pars Xenodochij curam gerere: alij viſitare in carcere detentos: ſunt qui ignauam plebem ac male feriatam, diebus ſacris officij commonent, adducuntque ad Chriſtianum opus ac munus. Hi mulieres à meretricia arte abducunt aut cogitatâ, aut etiam exercitâ. Illi denique alijs rebus curam intendunt, prout quemque ducit ſtudium aut voluntas. Magna 28

Digitized by Google

ab omnibus in publicum vtilitas, priuata diligentia. Non omittendum Sodalis iuuenis exemplum. Cum ad religioſum quendam ordinem quem expetierat olim, non fuiſſet admiſſus, totum ſe diuinarum rerum meditationi, caſtigationi corporis, procurandæque proximorum vtilitati dedit. Modico ipſe ac contempto corporis cultu, miſericordiâ tantùm ſumptuoſus erat: eâ demiſſione animi, ac modeſtiâ ſermonis, vt ſanctimoniam ſpiraret: non formidare pericula, non rumuſculos vulgi, non obtrectationes maleuolorum; dum per multorum beneficia diuideret operam ac pecuniam ſuam. Obibat noctu interdiuque vrbem; ſi quem inueniret debilitato corpore, aut iacentem per vias, implicitum manu, aut ſi opus foret, ſublatum humeris domum ſuam inferebat, aut in Xenedochium: ſic vt eius curam non deſereret. Ità porro libens ac ſedulus in hoc miniſterio erat, vt marcidas ægrorum cicatrices, & purulenta vlcera exſugeret, lamberetue linguâ, genuflexus, non modò ſine ſtomacho, ſed cum animi voluptate. Quibus tamen in officijs, ne tantulum quidem á Sacerdote diſcedebat, qui ei à confeſſionibus erat: donec tandem, bonorum magis dierum plenus, quàm multorum, ad Deum rectá conceſſit.

29 IN EODEM regno Collegium Medinenſe duplicẽ habet Sodalitatem. Ex ijs altera expoſitos liberos à parentibus alendi onus ſuſcipit: altera prælatâ cruce diebus feſtis conuocat pauperes ad ſacrum, & largitur ſtipem.

Digitized by Google

AT NON eſt prætereunda virtus hominis Hiſpani qui à puero innutritus laboribus belli, firmatâ ætate mitiora reſpexit. Etenim annum natus trigeſimum quartum, frequentare cœpit gymnaſium Villagarſienſe. Et iam verſatur ferè cum pueris, ſimplicitate magis puerili, quam ſenſu: ardet vehementi cupiditate proximorum ſalutis: & in Sodalitatem Mariæ Virginis adſcriptus breui iudicatus eſt dignus, qui cæteris præeſſet: ſed ita, vt quamquam ipſe ſe accommodet ad mores tenerioris ętatis (ex quo diligitur ab omnibus) tamen emineat; vt Sodales eum veluti parentem quodammodò vereantur. Neque his terminis contentus, porrigit ſe in commoda multorum. Nullus æger fuit in oppido (fuerunt autem plurimi) quem non acceſſerit, adiuueritque; & aduocabatur paſſim ab omnibus; aderat ipſe, peruigilabat, medicum adhibebat, medicinam de ſuo curabat; quin & hortum conduxerat, vt haberet ad manum ſalubres fructus iucundoſque guſtui ægrotantium. Hoc factum ijs diebus, quibus ſtudia intermiſſa. Vultis alia de hoc pio ſcholaſtico cognoſcere? non ita facile reperirem finem: ſed vno abſoluam. Si quem nouit aberrare à regula vitæ, non acquieſcit, niſi videat reductum in viam. Quidam concubinæ, quam induxerat domum, conſuetudine vtebatur. Igitur huic familiarior factus, exorat partem ſibi concedat ædium, in quibus vnà habitent. Vbi hoc obtinuit, vt excludatur pellex, fecit obnixè. Tum verò voti compos diſceſſit. 30

31 E MVRCIENSI collegio Sodalis quidã in ſuburbanum agrum conceſſerat: vbi dum agitatur fluctu neſcio quarum cogitationum, taciturſque in triſtitia permanet, conſpicatur hominem ſpecie Sacerdotis iuxtà ætate ac ſupercilio venerãdi. Interroganti, cur ità demiſſo vultu, deiectoque animo eſſet (vt plerumque in dolore effuſi ſumus) nõ reticuit cauſam. Tum oblatus campus ſeni ſuam prudentiam oſtentandi ex multarum rerum vſu collectam: diſſeruit in hanc ſententiam plura, iaciens intereà in iuuenis mentem occultum venenum. Imputares multiloquium (niſi additum eſſet conſilium peſtilens) vitio ſenectutis. Suadet voluntariam mortem: hanc eſſe miſeriarum hominis finem: & ne re dilatâ refrigeſceret iam linguâ incenſus furor, reſtem offert. Dedi (inquit) modò conſilium, nunc accipe remedium. Cohorruit iuuenis: an quòd miſeri optant magis abſentem mortem, quàm rapiant præſentem? an quòd non deſeruiſſet Deipara clientem ſuum? Dein vt ſe collegit, Adibo (inquit) vnum è Patribus collegij: is quod mihi ſuper hac re dederit conſilij, id ſequar. Diſputare contrà ille alter, & aduerſùm niti, multaque ac probroſa in Ieſuitas ingerere: quæ contempſit iuuenis, & latrantem deſeruit. It rectà ad collegium: in cuius ueſtibulo ſe repelli ſentit quaſi manu iniectâ: ſed peruicit tamen inuocato numine. Conuenit vnum è Patribus, detegit inſidias, opem eius expoſcit, apertoque ſtatim malo, curatur.

Digitized by Google

HISPALI in Hiſpania Bætica hoc contigit memorabile. In Parthenijs Sodalitijs (quod neminem fugit) deligitur vnus, qui ſit particeps & conſcius rerum omnium quæ decernuntur, eaſque litteris mandet : ab Arcanis dicitur. Adoleſcens ergo qui hoc munere fungebatur, duos hãc ad rem deſtinauerat calamos ſcriptorios inſigni ornatu: etenim caules detractis plumulis, aureo filo ſericoque diſtinguebantur inuicem permixtis. Horum alterum ſurripuit vnus è Sodalibus iuuenili furto : cuius etſi ſæpe pulſabatur cogitatione animus, vt poſthabitis rebus omnibus ſe Deo penitus cõſecraret, præualente amore in mulierculam quandam, aliud agebat. Ad eam aliquando cùm inſtituiſſet ſcribere, ac furtiuum calamum ſumpſiſſet manu, ſenſit ſibi verberari os excuſſiſſima palmâ : ſimulque vox ad aures : *Etiamne ſceleſte rem mihi dicatam temerare audes impuro auſu ?* Attonitus hâc pronuntiatione ac verbere, vt ſe collegit iuuenis, reuertit ad calculos, quos pene abiecerat, vt amplecteretur vitam ſanctiorem. Manſit ad aliquot dies memor nota plagæ acceptæ, vt appareret, ab alia vi quadam maiore, quâm ab humanâ, impactam.

IN MEXICO florent etiam Sodalitia. 32
Et Mexicani quidem collegij Sodalium omnium religionem conijcias ex tribus, quos paucis memorabo. Adoleſcens domo nobilis, falsò inſimulatus, coniectus erat in carcerem : quam ob rem flagrabat infamiâ, nec ad eam depellendam quidquam virium habebat, niſi quod ſola-

batur conſcientia, & ſpes diuini auxilij à patrocinio Virginis. Nec fefellit. Poſtero die ipſius negotiũ honeſtiſſimè explicatũ eſt. Alter Congregationẽ affectabat; differebãt Pater & Præfectus, cupiditate accẽdẽdâ: cũ vrgeret aliquãdo, toto ferè Gymnaſio audiẽte reſpõdet Pręfectus, non decere inter Parthenios adoleſcentes conſpici cincinnatũ (nã hic forte cincinnũ gerebat). At iuuenis: Si hoc vnum obſtat, tollam impedimentum: ſimulque flexis genibus, in medio cincinnum tondet, vt hoc veluti ſigno oſtendat ſe Deiparæ conſecratum eſſe. Tertius denique
33 ex eo numero iam Sacris initiatus, ſic altè & magnificè de dignitate Sacerdotij cogitare cœpit, ac loqui, vt cùm exiſtimaret non quemlibet eſſe facilè tantæ molis capacem, ſatis ſuperque dictitaret ſibi, infrà ſummum illud faſtigium conſiſtere vno gradu. Sed authoritas matris & conſilium Patrum Societatis effecere, vt pro regula acciperet aliorum voluntatem, ad quam dirigeret ſuam.

BRIGANTIAE in Hiſpania, Parthenij apparatam inſtituêre pompam Regum Vatumque ſacrorum, vel à prima origine mundi, longo ordine incedentium. Claudebat agmen Gregorius Pontifex maximus, ſacroſanctam præferens effigiem Dei matris, cuius ope Romam aliquando ingenti clade ac peſtilẽtiâ ereptam Annales veterum prodidere. Nempe hæc agebantur augẽdæ Virginis venerationi: quam cumulauit recens & admirabile exemplum.
34 Præcipuo quidam ſtudio & ardore amoris in

Deiparam ferebatur:ei ſeſe ac ſua omnia tradiderat in manum: hanc cogitare,hanc inuocare, hanc patronam, hanc præſidem, hanc matrem poſcere in rebus dubijs ſolebat. Fœlix, ſi perpetuam hanc mentem, vt ei placeret quam delegerat, nullâ infuſcatam labe criminis, puram atque integram ſeruare potuiſſet. Sed impellente Dæmone mentem miſer & corpus polluit. Sȩpe autem fit,vt cuius grauitatem ſceleris non aduertunt homines, cùm patrant,tùm denique aduertant,cùm reprehendi magis quàm corrigi poteſt. Vt quorumdam anguium morſus,veneno ſe priùs produnt,quàm ictu.Perpetrato ſcelere pudor ſubijt,&infamiȩ metus.Itaque infamiam veritus, vt conſpectum fugeret multitudinis, voluntarium exilium conſciſcit. Oppreſſit nox in vaſta ſolitudine iter facientem. Nam vt erat occupatus ægritudine animus, non intellexit deficientem ſolem, niſi vbi nigræ tenebræ terram operuiſſent. Igitur cùm liberiorem pœnitentiam locus ac tempus daret, poſtquam diu labori ac lacrymis indulſit;Cur(inquit)miſeram vitam ago?cur latebras, infœlix, & fugæ ſolitudines capto? certè vt omnes lateam, meiſum nunquam latebò. Quoquò fugiam, me porto,reus idem & carnifex:ego mihi æternum ſupplicium ero. Quin nunc primum exoluo me hiſce curis, & finem viuendi ac lugendi facio?Vbi non ſis qui fueris,non eſt,cur velis eſſe. Ergò conſtituit ſe in fluuium dare, quà erat tranſiturus: eòque magna celeritate contendit, quaſi ad remedium mali. Vt acceſſit, conſtitit

aliquantiſper, haud credo deliberabundus, iam enim ſteterat mori, ſed vi quadam tacitâ naturæ. Tùm ſceleris à Deo veniam petit, & in extrema vota eius Parentem, ſuam Dominam, vocat, vt famulo velit adeſſe, quem inundantium æſtu cogitationum ſic pænitentiæ fluctus agitaret, vt vltimis immergeret ſupplicijs. Quis neget cœli Reginam ſuis famulis adeſſe? occupat pænè orantium preces. Vix ediderat voces vltimas, cùm matronam videt inſignis pulchritudinis ſuprâ humanum modum: & ad eum, *Bonum animum ſume: audacter me ſequere.* Hæc effata flumen ingreditur: quod ille cùm facit parens dicto, miratur quaſi marmor ſubſtratum pedibus, & hinc atque illinc liquidas diſceſſiſſe vndas; non aliter ac ſi parietis faciem referrent. Ità aduerſam ripam incolumis penetrauit. Nec tamen à comite deſeritur, antequã ventum eſſet ad ædiculam vrbi propinquam. Tunc enim eum admonet, vt ad bonam mentem & ad oppidum redeat: moxque puro ſeſe inſinuans cœlo clariſſimâ luce pulcherrimam faciem abſcondit.

35 In Collegio Braſiliæ quod dicitur fluminis Ianuarij, magna Parthenijs omnibus religio colendi Sanctos, eos præcipue qui in menſtruâ ſortitione obtigerunt. Deum adeſſe illos inuocantibus hinc agnoſcas. Quidam à vicinis hoſtibus confracto vulneribus capite & corpore conſciſſo, pro mortuo fuerat relictus: is, vt redijt corpus ad vires ſentiẽdi, cruce muniens frontem, & opem implorans B. Barnabæ

Apoſtoli vaſto ſe flumini committit, ſenſitque (vt dixit poſtea) ipſius auxilium, vitam pollicẽtis, addentis animum vireſque, & quaſi prætentâ manu adiuuantis natatum. Itaque iam præter expectationem ſanus effectus, eum in omni vita venerari amplius, decreuit.

ANNVS CHRISTI 1592. 1593.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 28. 29.

1 IN COLLEGIO Neapolitano, cùm Regnum vehementer morbis premeretur, & inopiâ, ſtatuerunt Congregationes ad iram diuinam placandam, vt quiſque aliquid in medium è ſuis opibus ſpiritualibus afferret, ieiunia, verberationes voluntarias, vſum cilicij, peregrinationes, eleemoſynas, varias corporis afflictiones, opera miſericordiæ atque pietatis. Numerum attigerunt octo & viginti millium. Et quidem his theſauris vexa-

tiones peccatis debitæ redimuntur. Quidam etiam Sodalis, cui frater erat interēptus, iniuriā amore Deiparæ Virginis condonatam, neque priuatâ vi, neque iudicio publico proſequi voluit. Sed curauit, vt percuſſor admitteretur in Congregationem; Vt, inquit, culpam clarius agnoſcat, deteſtetur vehementius, & meliore fide cum Deo in gratiam redeat. Animum inimico reddidit, qui corpus videbatur eſſe erepturus.

2 In Profeſſorum autem domo Congregatio Nobilium vſa occaſione, multorum ſanauit animos, dùm curat corpora. Nam ad ſacramentorum vſum, vitamque meliorem allexit familias honeſtas, ſed inopes, quas pudor à mendicando prohibet: ijs nomine extraordinariæ eleemoſynæ elargita eſt aureos mille quingentos. Quidam donauit aureos ducentos, vt defenderentur binæ Virgines, quarum honeſtatem ipſa mater oppugnabat.

3 Aletii quidam Parthenius mendicum vlceribus plenum, atque ſordibus, medio foro ſuſtulit in humeros, & non ſine magnâ omnium admiratione vſque ad Xenodochium portauit. Incertus planè ſum, vtrùm referam alium, qui migraturus è vita piâ quâdam ſimplicitate iuſſit, vt ſchedulæ omnes, quæ ſibi menſtruâ ſortitione ſanctorum obtigerant, monilis in ſpeciem contextæ de collo ſuſpenderentur; vt eo vel ornatu vel patrocinio munitior obuiam morti procedat.

4 Petrochorae in Aquitania, quidam

cùm iam tres & viginti annos, quotidie recitare coronā B. Virginis, eiuſque diebus feſtis obire ſacramenta ſolitus eſſet, ſemel incuriâ quâdam piam hanc conſuetudinem intermiſit. Nocte quæ diem illum conſecuta eſt, homini dæmon manus iniecit, & neſcio quò raptabat; cùm præſto fuit B. Virgo quæ eum in diuerſam partem retraxit. Benigna, quod inimicum à ſuo cliente repulit; fortaſſe benignior, quod inimicum in clientem immiſerit. Nam eo terrore, in eius animo magna diligentiæ, conſtantiæ, pietatis, cæterarumque virtutum ſemina excreuere.

LOVANII Congregatio B. Virginis inſigni atque imitanda vtilitate deſignauit è ſuis quinque, qui cuiuſque menſis initio in ſcholis triuialibus pietatem procurent, & pueros confitentes audiant. 5

EX DVACENSI Sodalis ocurrentem ſibi in platea pauperem ſcabieque horridum perduxit in proprium cubiculum, in proprium lectum, & cæteris omnibus charitatis officijs proſequutus eſt. 6

EX CRVMLOVIENSI vnus rationibus vicit hæreticum, qui cùm victoriam arti ſophiſticæ tribueret; prouocare auſus eſt ad emetiēdam nudatis pedibus viam ſtratam accenſis carbonibus, & corporis integritate religionis veritatem diſtinguendam. Deterrere fortaſſe voluit adoleſcentem: ſed is conditionem amplexus, ſeriò ſe ad nouum diſputationis genus oratione & ſacramentis diligentiſſimè comparat. Certo tempore, maximo concurſu mortalium 7

deſcendit in arenam, in qua inanis iactator ſuæ cauſæ diffidens apparere non eſt auſus. Retulit Catholicus Deo ſuæque religioni ſummam laudem & ſibi honorificum ſine pugna triumphum.

8 Mogvntino Sodalitio præfuerunt Bauari principes Philippus & Ferdinandus. Multa fecerunt illuſtria, ne dicam omnia. Nam è Sereniſſimis adoleſcentibus res ipſæ vulgares tantùm ſplendoris hauriebant, vt viderentur inſignes. Sæpe illi ſocios graui oratione ad vitæ, morumque integritatem hortati ſunt; ſæpius inuitarunt ad eam, quæ dicitur Crucis, Eccleſiam. Præibant pedites, totumque tempus itineris, quod eſt vnius horæ tribuebant Pſalmis, alijſque precibus altâ voce recitandis. In ipſo templo rem ſacram audiebant, mox litanias & alias orationes decantabant, tum ex ara ſuſpendebant munus magni precij cum votiuo carmine eleganter à ſe deſcripto. In die cœnæ Domini duodecim pauperibus ſuis manibus abluerunt pedes, pararunt conuiuium, miniſtrarunt edentibus, & donarunt luculentam eleemoſynam. Dùm Vormatienſis Epiſcopus ſacroſanctam Euchariſtiam in eius die feſto circumferret, proſequuti ſunt ad eius latera, precioſos ex auro textili pluuiales induti. Quæ res quoniam hic raræ ſunt, in adoleſcentibus præſertim ità illuſtribus, plurimùm valent ad decus religionis, ad nobilium incitamentum, ad documentum populorum.

9 Vallisoleti in Hiſpania factum eſt,

vt Congregatio Deiparæ Virginis amplecteretur inertes homines vagantes paſſim, & errantes, quorum ingens eſt in hac ciuitate multitudo. Curant vt tempore Paſchatis crimina expient, ſanctum Chriſti corpus ſuſcipiant, feſtis diebus rem ſacram audiant, alternis hebdomadis in Collegium conueniant, vbi de munere Chriſtiano docentur. Hęc iam propria eſt ipſorum prouincia. Iidem cætum inſtituerunt ex omnibus fiſci Regij aduocatis, cuius illud eſt munus præcipuum, vt annonam retentis in cuſtodia publica ſuppeditent;id quod bini quotidie miro ordine, miraque charitate perficiunt.

Romae Sodalitij virorum nobilium in quo numerantur multi Cardinales, complures Antiſtites, plurimi illuſtres viri, præcipuum inſtitutum eſt pacificatio diſſidentium; quod Deo cordi fuiſſe breui docuit euentus. Multæ ac graues, contumelijs vulneribuſque acceptis, etiam inter viros nobiles atque illuſtres, inimicitiæ, per Sodales mitigatæ & ad concordiam amicitiamque conuerſæ. Incredibile dictu eſt, quam facilè plærique ijs per B. Virginem obſecrantibus manus dent, iniurias condonent, redeant cùm inimicis in gratiam: vt facilè appareat, totum id ſecundum Deum B. Mariæ opus eſſe. Itaque in pacificationum tabulis Sodalitatis inſtituto perſcribitur, pacem Deiparæ Virginis causâ datam. Atque vt latius pateat inſtituti huius vtilitas, Curiones, & Parochi Vrbis omnes præmoniti, vt ſimul atque in eorum Cu- 10

rijs ſimultas inter aliquos extiterit, rem ad Sodales deferant. Qui certiores facti, per viros graues ac nobiles ac, ſi res poſtulet, per vnum aliquem ex Cardinalibus, inimicos ad concordiam adducũt. Multis verò, qui ob aliquod delictum comprehenſi, grauem aliquam pœnam expectabãt, pax per Sodales ab aduerſarijs impetrata ſaluti fuit; pœnis eâdem operâ aut condonatis, aut imminutis.

11 Ex hoc numero Sodalium nonnulli Epiſcopi, Archiepiſcopiue facti; alij honorificis legationibus, muneribus, adminiſtrationibus præpoſiti; complures B. Ignatij meditationibus exculti, commutata vitæ ratione, admirationi Vrbi fuerunt. Hæc porrò Sodalitas alteri famulorum Sodalitati occaſionem & initium dedit. Dum domini in Oratorio verſantur, famuli dominorum egreſſum præſtolantes, in alia ſede Chriſtianis præceptis ad ſalutarem Sacramentorum vſum, ad odium fugamque vitiorum, ad orationis ac virtutis ſtudium informantur. Ità vno tempore, & Domini commodiores famulis, & famuli fideliores Dominis melioreſque redduntur.

12 NEAPOLITANAE procerũ & nobiliũ benignitas ac virtus maximè enituit hoc anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo-tertio. Aureos mille octingentos ad ſubſidiũ pauperũ Sodales erogarũt, multiſque, qui neceſſitate adducti filiarum pudicitiam prodere cogitabant, ſubuenerunt; in quibus ſubleuarunt etiam egeſtatem vnius, qui deſperatâ ſalute ſe orco deuouerat, eumque ad ſpẽ ſalutis erexerũt. Duæ item me-

retrices à turpi quæſtu eorum operâ abductæ: & altera cũ viro reducta in gratiã;altera Deo in conuerſarum cœnobio conſecrata. Horum liberalitatem Deo eſſe gratam acceptamque, & ingenti cùm fœnore redditum iri quod dediſſent, memorabili documento intellectum eſt.
13 Pater qui Sodalitati præeſt,Sodales ad benignitatem in pauperes, inflammans, trito vulgatoque erat vſus argumento, benignos centuplum recepturos. Sub ſermonem vnus è Sodalibus aureum nummum in arcam ſacelli coniecerat; huic poſtero die Sacerdos quidam vnum & centum aureos ex reſtitutâ in confeſſione pecunia numerauit. Viſus eſt Chriſtus Patris illius, aut ſuam potius vocem,comprobaſſe.

14 Sodalitas quoque opificum & plebeiorum virtute ac pietate auctior fuit. Ex vno fiet de cœteris coniectura. Laniſta erat nobilis, & quidem vitæ liberiori aſſuetus. Is Sodalitati adſcriptus, incredibile dictu eſt, quam ſui diſſimilis extiterit, quantoſque breui fecerit in virtute progreſſus. Cilicio aſſiduè corpus affligebat, flagris ad ſanguinem ſæpius in hebdomada cædebat;ternarum quotidie horarum precationibus animum ad pietatem excolebat. Nec tamen nobilibus adoleſcentibus,qui ſe illi in diſciplinam dederant, in armorum ludo vnquam deerat; ſed artis ſuæ quæſtu verecundam honeſtorum hominum inopiam ſubleuabat; conuicijs & contumelijs malè acceptus geſtiebat. Nullis imbribus aut tempeſtatibus deterrebatur, quo minùs ſacras ædes obiret.

Diuorum omnium qui ei Calendis cuiuſque menſis per ſeptem annos (tamdiu enim in Sodalitate fuit) patroni obuenerant, memoriam & clientelam diligentiſſimè cuſtodiebat. Ad extremum cùm in morbum incidiſſet, ex quo eſt mortuus, nunquam à mulieribus, quæ ægrotanti præſto erant, attingi ſe paſſus eſt. Orantibus Deum domeſticis, & amicis, vt ſanum illum redderet; Bonum potius, inquiebat. Quãdiu cùm morbo ac morte luctatus eſt, cùm Deo ſanctiſſimaque eius parente, quam velut præſentem alloquebatur, identidem ingenti animi ſenſu ſermocinabatur. Funus eius à Sodalibus maximo honore celebratum eſt. Cilicium eius ſummis omnium ſtudijs expetitum, præmium in virtutis ſtadio currentibus propoſitum diceres.

15 In eadem vrbe complures è Sodalitio collegij, vt præcipuo ſtudio B. Mariam colunt, præcipuum eius ſunt patrocinium experti. Vnus cùm à ſicario per errorem vulneribus conficeretur, aduerſus ferrum, quo identidem petebatur, B. Mariæ nomen oppoſuit. Mirùm dictu! pro mortuo relictus, veſtimento pluribus locis perfoſſo, ipſe intactus euaſit, ne leuiter quidem cute perſtrictâ. Alter ruentis impetu plauſtri proſtratus, B. Virginem inuocauit. Nec fruſtrà; alterum crus, quod rotâ obtritum credebat, incolume ſubtraxit. Ex eodem numero alius, qui ſeptimum iam annum ex oculo grauiter laborarat, denique humanis remedijs fruſtrà tentatis, ad Diuina confugit. Ergò dum enixè Dei-

paræ

paræ Virginis opem magnâ ſpe erectus implorat; globuſum inſtar ciceris, ex oculo eijcit; ac repentè optatam recuperat valetudinem. Porrò alius cùm in vinculis haberetur, propediem, vt credebat, morte mulctandus; B. Mariæ quam vnicè colebat, auxilium implorauit. Nec fruſtratæ eum ſunt preces. Subinde anxium curâ animum ſomnus occupat. Per quietem, Virginis eximiâ pulchritudine ſpecies offertur, quæ illum bono animo eſſe iuſſum, iudici commendaret, imperans, vt eum quam primùm crimine abſolueret. Enimuerò haud ità multò poſt ab illo ipſo Iudice, quem in ſomnis viderat abſoluitur. Ex ijs vni prætereà mirabile quiddam euênit. Graui morbo afflictus iacebat; iamque eius ſalus à medicis penè deſperata erat, cùm viſus eſt illi in quiete eximiâ formâ puer, qui manu eius prehensâ, bonumque animum habere iuſſo, fore prædicit, vt breui conualeſcat. Et ita omninò factũ. Simulatque ſomno experrectus eſt, morbo leuari primùm æger, deinde ſenſim liberari, quoad breui planè conualuit. Alius Turcam moribundum & in auitâ ſuperſtitione obſtinatum adortus, peruicit denique, vt Mahomete deſerto ad Chriſti ſigna tranſiret. Ità Baptiſmo luſtratus euolauit in cœlum.

16 VIRTVTEM Sodalium Calataieronæ vno exemplo notare ſatis erit. Ex his vnus longè nobiliſſimus ab altero Sodali in maximâ ciuium frequentiâ, verbo. vt videbatur violatus, ſic exarſit; vt Sodalem pugno percuteret. Sed cùm

ille ſedato animo negaret ab ſe contumelioſè dictum, quod ipſe in ſuam contumeliam vertiſſet, vſque eò commotus eſt alter; vt illicò ſe ad eius pedes proijceret, ac ſuppliciter veniam petens, ſeſe ad quamcumque ſatisfactionem paratum diceret. Ille verò adeò libenter ei cõdonauit iniuriam, vt omnes qui aderant, non minus huius moderationem, quàm illius ſubmiſſionem animi ſuſpicerent.

17 RVTHENAE in Aquitania Partheniorum ciuium in multis rebus virtus extitit ſingularis. Cuidam ex his alius ciuis colaphum impegerat. at ille non modò tantam contumeliam ſilẽtio pertulit; ſed etiam Chriſti conſilium ſecutus, alteram illi paratam genam obtulit. Alius religioſam vitam cogitans, vt parentum ac domeſticorum oculos vitaret, in remotiſſimam ædium partem ſe abdere conſueuerat, vbi ſolus cũ Deo ſine arbitris verſaretur. Huic cubitum eunti, extincto iam lumine, oblata in tenebris eximia ſpecies Virginis, quæ illum timore perterritum, ac ſeſe auertentem nihiloſecius blandè intueretur. Hoc ille viſo mirum in modum ſe in ſuſcepto conſilio confirmatum eſſe dicebat; nec dubitabat, quin illa B. Virginis ſpecies fuiſſet. Porrò alius inſtitor non obſcurus, patiendi ſtudio ductus, Deum impensè orarat, vt aliquâm ſibi patientiæ materiem præberet. Nec defuit quod expetierat. Dum merces in taberna expoſitas venales habet, repentè ignotus importunuſque homo eum appellat, certam è veſtigio pecuniam, quam debitam ſibi diceret, iu-

bet numerare;ni quam primùm id faciat, ędium incendium minatur. Senſit bonus mercator ſuas à Deo preces auditas, ac ne in optata merce ſibi deeſſet, contumelias omnes ac minas æquiſſimo animo perferebat. Nec inanis patientia fuit: furioſi hominis clamoribus exciti vicini, ad tabernam accurrunt, contumelioſum hominem malè verbis accipiunt. Quorum ille conſenſu fractus, & inſtitoris patientia victus, petitâ ab eo, atque impetratâ veniâ, melior quàm venerat inde diſcedit.

INGOLSTADII magnus apud Parthenios ciliciorum vſus, voluntariorumque verberum, 18
atque aliarum afflictationum corporis. In ſupplicatione Hebdomadæ Sanctæ alij nudis pedibus, alij ſpinis coronati vrbem obierunt. Ex his vnus puerum frigore algentem cùm offendiſſet in via, introductum in Hypocauſtum cibarijs, lauatione, veſtibus iuuit. Alter diuturnis precibus ad Deum & Virginem, magnam à Deo vim ingenij impetrauit.

IN COLLEGIO Olomucenſi Sodalitas 19
B. Mariæ in cœlum aſſumptæ florentiſſima eſt. Ipſo patronæ ſuæ ſacro die, Sodales egregium populo ſpectaculum præbuerunt, myſticam Ieſſæ arborem duodecim regum ſtatuis inſignem. Inde triginta Sodales publicè in templo Catholicã fidem ritè profeſſi ſunt coram Epiſcopo Olomucenſi, qui deinde in Sodalium numerum adſcribi voluit. In ſolemni ſupplicatione ſacroſanctæ Euchariſtiæ, eorundem Sodalium pietas inſignis fuit. Qui etiam Sanctiſſimũ

Chriſti corpus ex omnibus vrbis templis cum accenſis facibus deinceps ſunt proſecuti, magna ſignificatione religionis. Itemque valetudinaria interuiſentes, ægris plærique eorum diu noctuque præſto fuere. Iidem in ſcholis vt modeſtiæ, ita doctrinæ facilè primas tuentur: & ità ſe piæ ſanctæque vitæ tradiderunt, vt multum curæ atque induſtrię ad aliorum vtilitatem ſalutemque deriuent. Certatim enim in vrbe maxima ex parte corruptâ elaborarunt, vt quàm plurimos tum ad Orthodoxam religionẽ, tum verò ad Sodalitatem pellicerent. Nec defuerunt qui hæreticos improbitate ac nequitia inſignes ſibi ad victoriam depoſcerent, eóſque magnis cõtumelijs, moleſtijſque deuoratis, denique patientiâ, & comitate deinctos ad religionis ſalutiſque portum adducerent. Sodalis quidam á Barone hæretico, ſuo Domino, iuſſus ſacram ædem demoliri, nec promiſſis, nec minis perpelli vnquam potuit, vt faceret, quod iuberetur, cùm diceret ſe Catholicum eſſe; atque ob eam cauſam Catholicorum templa extruere velle, non deſtruere. Quæ libera Sodalis vox illum ab ædis demoliendæ conſilio deduxit. Nec officijs ſolùm, ſed etiam exemplis multos ad vitam honeſtè agendam permouerunt. Conſtat permultos illorum exemplo, carne ex præſcripto Eccleſiæ temperaſſe, & ſub vna tantùm ſpecie Euchariſtiæ communionem adamaſſe. Per tumultũ verò Turcici belli, Sodaliũ & pietas
20 & virtus vel maximè enituit. Nam auctis priuatis precibus publicam quadraginta hora-

rum ſupplicationem adiecerunt, eamque tanto ſtudio peregerunt; vt complures eorum aſſignatis horis non contenti, ternas quaternaſue horas ſupplicarent. Tota res itá ciuitati placuit, vt eam deinde iterari oportuerit. Inde cùm ad bellum Turcicum delectus haberetur, ſeptuaginta Sodales nomina dederunt. Qui duci Catholico magnopere commendati, & Sodalium precibus adiuti, ad bellumità profecti ſunt, vt militiæ non ſecus ac domi, ſacris myſterijs vterentur; vt mirandum non ſit tales milites, Deo bene iuuante, tam nobiles victorias de victricibus Barbarorum copijs reportaſſe. Duo è Sodalium numero diem obiere, qui vt Sodalitati 21
adſcriberentur, ab hæreticis ad Catholicos trãſierant. Ad honeſtãdam Sodalium ſepulturam, & ſericum pheretri ſtragulum non parui pretij, & quatuordecim togæ funebres, quibus induti Sodales pheretrum deferebant, comparatæ. Itemque vmbella quadrata ex veſte Damaſcena purpureâ, aureis filis intexta, ad cohoneſtãdum ſanctiſſimum Chriſti corpus, cùm defertur ad Sodales ægros. Quamquã Sodalitas hoc ſuſcepit, vt eodem honore etiam ad alios deferatur, modò ex Catholicorum inſtituto vnâ fuerint ſpecie contenti. Quæ res multos perpulit vt ſacra myſteria Catholico ritu ſumerent.

E TREVIRENSI Collegio multi adoleſcentes Parthenij per anniuerſarias ſtudiorum 22
ferias in oppida finitima ad ſuos reuerſi, ità eos morum ſuauitate, ac modeſtiâ deuinxerunt, vt pleroſque eorum ad Collegium deinde conſi-

tendi cauſâ deducerent. Repertus qui lethali vulnere ab ebriorum manu accepto, non prius quietem caperet, quàm iniuriam condonaſſet. Eius funus ſummo Sodales honore curarunt; quæ res & parenti eius mœrorem abſterſit, & magnum Sodalitati nomen conciliauit.

23 IN MOGVNTINO Collegio non deſunt pietatis Sodalium argumenta. Ex his vnus ruſticanum hominem nactus iamdiu in peccatorum ſordibus iacentem, domum ſuam deduxit, eique & lectum ſuum conceſſit, ipſe interim humi cubans, & res omnes neceſſarias ſubminiſtrauit, quoad hominem ad omnem vitam confeſſione purgandam ſatis erudiuit, & ad Sacerdotem perduxit. Nonnulli eorum cùm mendicum, omni humanâ ope, atque inſuper membrorum vſu deſtitutum offendiſſent, certatim hominem ſubleuare cœperunt: alius ſolari ægrum, alius ſtipe iuuare, alius cibo recreare. Quorum exẽplo adductus medicus fortè prætериens curationem illi præſcripſit gratis, & ſimul medicamenta curauit.
24 Repertus eſt, qui domum ad hæreticos parentes reuerſus, nullis neque promiſſis, neque minis impelli potuerit, vt ſub ferias Paſchatis ad Caluinianam cœnam accederet. Itaque ob eam rem in vincula coniectus, omnia carceris incommoda forti atque inuicto animo pertulit, & impiorum acerbitatem piâ conſtantiâ vicit.

DE SODALITIO Spirenſi hæc pauca. Adoleſcentum Partheniorum ope duæ puellæ Lutherum repudiarunt. Fuit qui etſi prouideret

Digitized by Google

fore, vt exhæredaretur à patre, tamen Sororem ad Catholicam religionem perducere non dubitaret.

SODALES Collegij Turnonenſis hoc tempore dimiſſi per vicos, Chriſtianæ diſciplinæ elementa tradere talium rerum rudibus inſtituerunt. Itaque ſingulis propemodum Dominicis diebus Vicanj ab his cathechiſmo erudiuntur, magno ipſorum bono, parique admiratione & gaudio bonorum. Ijdem ægris identidem præſto ſunt in valetudinario, eiſque libenter,& officiosè miniſtrant, eoſdemque pro facultate verbis pariter rebuſque ſolantur, feſtis præſertim diebus, vbi cœleſtibus epulis ſaturati diuinam in ſe experti ſunt largitatem. Et cœleſtium Regina, ſuorum cliẽtium pietatem cordi ſibi eſſe, haud obſcuris declarauit indicijs. Horum vnus graui emerſus morbo, nondum recreatis viribus, ad proximum oppidum, pecuniæ exigẽdæ causâ ire decreuerat. Dimidiâ ferè itineris parte confectâ, ad torrentem peruenit rapidiſſimum & continuis imbribus tumeſcentem. Linter quo traijceretur nullus, pro ponticulo trabs erat in tranſuerſum collocata, quâ tranſiretur, non ſine prolapſionis atque interitus metu. Ergò ob pedum imbecillitatem arboris ramum defringit, cui nitatur. Quod auxilio fore ſperabat, penè exitio fuit. Ventum erat ad mediam trabem, cùm inflexo ramo inclinatus, in contrariam partem enitens, in medium torrentem delabitur. Quo caſu afflictus, & madida veſte degrauatus magnũ periculum adijt;

25

26

nam manibus ac pedibus rapido flumine ægrè obluctatus ſubſedit ; cùmque ſe aquarum vi abripi animaduerteret , ad Dei Parentem animum & vota conuertit. Res mira! ſubitò in trabem diuina vtique ope reſtitutus, in vlteriorem ripam incolumis euaſit. Alter pecuniâ onuſtus iter faciens cùm incidiſſet in latrones, comprehenſus eſt quidem cum reliquis comitibus, ſed ex aliorum caſu præcipuam D. Mariæ tutelam clientium agnouit. Nam cæteris nihil omninò
27 relictum eſt, ipſe intactus dimittitur. Eſt in vrbe Allobrogum finitimâ Sacerdos probitate morum inſignis, qui annum iam quartum adeò graui, ac pertinaci laborat ægritudine , vt affixus lectulo nullius membri præter linguam, vſum habeat. Is cùm de Sodalium B. Virginis eximiâ pietate fando multa inaudiſſet; cum his ſuppliciter egit per litteras, vt eum in ſuum numerum adſcriberet. Qua re impetratâ eam cœpit animo voluptatem, quæ magnâ ex parte vim mali leuaret. Iamque vt ſe Sodalitate non indignum præbeat, ſemper aut diuinis, piarumque rerum commentationibus ſtudet, aut de ſalutaribus rebus ad eos qui ſe inuiſunt verba facit, aut pueris circumfuſis rudimenta religionis Catholicæ inculcat , & diligentioribus ſacras imagines, coronaſque diſtribuit ; vt vnus omnium Sodalium valentium officia quamuis æger præſtare videatur. Ergò maximi fiunt ad eum concurſus eorum qui aut in dubijs rebus conſilium , aut in periculis orationis præſidium expetunt. Idem aliquam ſacræ ceræ particulam

honeſtæ mulieri ex partu periclitanti miſit:quo illa præſidio ſine dolore fœtum edidit, ac tam præſens experta remedium,apud ſe diligentiſſimè conſeruauit.

E SODALITIO Collegij Billomenſis quidam parenti perſuaſit vt opulentum Sacerdotiũ quod contrà ius faſque obtinebat,redderet. Alij domum reuerſi authores ſuis fuerunt animi confeſſione expiandi. Fuit etiam qui cæleſtis Patronæ auxilium in periculo ſentiret. Is ab hoſtibus captus, iamdiu in vinculis habebatur ſine vlla ſpe libertatis. At B. Mariæ ope imploratâ,votoque nuncupato,elabitur è cuſtodia,ac domum è veſtigio reuertitur. 28

E COLLEGIO quoque Diuionenſi Scholaſticus quidam pietate & ingenij laude præſtãs Partheniæ Sodalitati adſcriptus, cùm antè Natalem Chriſti diem domum ad breue tempus reuertiſſet,reipſa expertus eſt inimicos hominis eſſe domeſticos eius. Nam pater veritus ne tanta illa filij pietas orbitatem ſibi afferret, eum ad Collegium redire prohibuit. Ecce tibi puer morbo corripitur graui æquè ac diuturno, ex quo tandem recreatus cùm in villam animi cauſa proficiſceretur, ex equo deſiliens crus omninò comminuit. Senſit pater adeſſe vltorem paternæ indulgentiæ Deum, ac multò etiam magis filius,in cuius animo omnis fermè priſtinæ pietatis memoria cõſenuerat. Sed ſerò vterque ſapuit. Melius actum cum alio,qui à parentibus domum reuocatus, & ad hæreſim amplectendam incitatus, fortiter reſtitit, atque vt ab 29

hæreſi quam longiſſimè recederet, fugâ elapſus ad Religionis portum ſe recepit.

30 INTER Sodales Anicienſis Collegij duo graui diuturnoque morbo (ſemeſtris fuit) implicíti, patientiæ materiem & ipſi habuerunt, & reliquis præbuerunt. Sodales enim certatim, vtrique horum identidem interuiſendo, ſolatio fuerunt; alteri etiam ſubſidio Cùm enim matris, & pauperis & viduæ, facultates breui morbus exhauſiſſet, Sodales ſummo ſtudio prouiderunt, ne quid filio, matriue in tantâ rerum omnium inopiâ deeſſet. Itaque & de ſuo plurima in eos cõtulerunt, & oſtiatim, itemque ad templorum valuas à ciuibus corrogarunt. Denique ingraueſcente morbo dies noctéſque illi præſto fuerunt; & ægri patientia cum illorum benignitate certauit, quoad diſceſſit è vita. Vtriuſque funus elatum eſt à Sodalibus, & exequiæ cohoneſtatæ. Proſecuta eſt eos magna opinio eximiæ virtutis: quam opinionem auxit, quòd alter eorum duobus antè menſibus, tempus obitus ſui præſenſerat ac prædixerat.

31 MADRIDII in Hiſpania ipſo Paſchatis die, in ſacrario Sodalium B. Virginis datum eſt non illepidum drama Patriarchæ Alexandrino apud Philippum Regem Legato Apoſtolico. Rogatus deinde vt Sodalitatis ſuſciperet patrocinium, adeò libenter prolixéque id fecit, vt Eccleſiaſtico beneficio ſtatim in Præfectum collato, alijſque ſacris munuſculis in Sodales diſtributis tutelam ſuam omnibus teſtatam eſſe voluerit. Quæ res & Sodalitatis autoritatem

Digitized by Google

amplificauit, & Sodalium animos magnis pietatis ſtimulis concitauit. Horum pietas coniiciatur ex vno. Adoleſcens ſpectatæ virtutis B. Virgini vnicè erat deditus, eiuſque effigiem, ex eâ quam D. Lucas depinxit expreſſam, perpetuò ſuſpenſam geſtabat è collo. Is cùm morbo periculoſo magis quàm minaci premeretur (ſuſpirioſus enim erat, & ſine febri grauiter inteſtino morbo laborabat) diuinitus præſenſit, ac præſignificauit domeſticis adeſſe ſibi ſupremum diem. Inde cùm in ſellâ propter morbi genus recubans, parumper quieuiſſet, mediâ circiter nocte euigilans patrem appellat; rogat vt Sacerdotem cui confiteri conſueuerat, properè accerſi iubeat; ſe B. Mariæ monitu compertum habere non niſi ſacris myſterijs ritè ſumptis, diſceſſurum è vita. Pater qui Medicus erat, explorato venarum pulſu, cùm neque febrim neque aliud periculum adeſſe cerneret, ſuadet ei vti ad lucem quieſcat, nèue ſine cauſa Sacerdotem intempeſta nocte euocatum velit. Negare ille tantum ſpatij ſibi dari, inſtare vt vocetur Sacerdos. Itaque peruicit, vt vocaretur. Sacerdos ſimul ac eſt monitus, ſenſit acribus ſe ſtimulis diuinitus ad accelerandum incitari ſic, vt quoniam locus ab ædibus Collegij propè aberat, ne comitem quidem ſibi expectãdum putarit. Aeger illum conſpicatus tanto affectus eſt gaudio, vix vt eum adeſſe crederet. Exin animo confeſſione rite procurato, ſacroſanctum viaticum maturari iubet. Et in eo Dei numen enituit. Aliquãtò antè quidam admiſſo

maleficio, perfugium in templo quærens Parochi vicarium, qui forte aberat, crebrâ æris campani ſignificatione ad parœciam reuocauerat. Igitur æger ſacro inſtructus viatico, gratias Deo, Deique parenti impensè agit, ac B. Virginis effigiem, identidem amplexans, velut in eius complexu paulò poſt efflauit animam. Cultus egregij erga B. Virginem haud vulgare documentum.

33 In regno Mexicano adoleſcens è Topotzolanâ ciuitate B. Virgini vnicè deditus nullum abire diem patiebatur, quin eam aliquo inſigni officio coleret. Is cœli Reginam vidiſſe per quietem dicitur, filio comitatam, quę ipſum in octauum diem ad cæleſte domicilium inuitaret: atque extitit promiſſi fides. Præſtitutâ die adoleſcens diſceſſit è vita, & ad Patronam ſuam euolauit in cœlum. Eademque nocte eius ſoror virgo pari erga Dei parentem pietate, ſecundùm quietem ſimili viſo recreata eſt: quæ B. Virginis cohortatione ad perpetuæ virginitatis ſtudium accenſa ſeſe Deo deuouit. Ex eo tempore corpuſculum ſuum quotidianâ verberatione, ieiunio, vigilijs, cilicio domare; animum precibus, ſacræ confeſſionis & communionis ſacramentis munire non deſiſtit, vt ſacrum theſaurum cuſtodiat.

ANNVS CHRISTI 1594. 1595.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 30. 31.

ROMAE non minùs quàm alibi fauet bonorum Sodaliũ pietati Virgo clemẽtiſſima. Proficiſcebatur Parthenius vnus ad Lauretanam ædem: occurrit in itinere in aduerſam rhedã; quâ exterritum quo vehebatur iumentum, in rhedam impactum proſternitur, rhedaque toto onere vtrumque ſuperuehitur. Ille, ope implorata Sanctæ matris, nullâ prorſus offenſione, incolumis euaſit. Idem Romæ cùm præaltas fabriles ſcalas, parieti applicitas, certæ rei cauſâ ſuſpẽdẽdæ conſcendiſſet, illaſque vt à pariete paulùm remoueret, æquò maiore alterius pedis niſu vim feciſſet, retrôactæ ſcalæ reſupinabantur; hominemque ſuo rotatu grauiſſimè ad terram afflictum diffregiſſent, niſi eâdem ope implorata iuuaretur. Senſit enim occultâ manu ſe retineri; ſcalaſque, 1

rurſus ad parietem impelli, in ſuo ſtatu conſidere. Tanto tamque euidenti periculo perfunctus è veſtigio ad Collegij templum, gratias Matri
2 ſanctiſſimæ acturus, ſe contulit. Et quoniam nō minorem ſæpe habent vtilitatem diuinæ animaduerſionis, quàm bonitatis documenta; cognitum eſt, non modo ſalutare eſſe pios eiuſmodi cœtus frequentare, ſed ſæpe etiam perniciosum non illis conſtanter inhærere. Calendis Maijs quidam ad conuentum à Sodalibus vocatus detrectauit. Is circa horam veſperarum, dum ſe rixantium turbæ parum cautè immiſcet, interimitur. Paruiſſet ille vocibus Sodalium, vtique periculum vitaſſet. Signa tamen dedit moribundus animi ingenti pœnitudine perfuſi. Alter tertiùm iam aut quartùm conuentu Sodalium neglecto, dum die Dominico circa horam piarum exercitationum ſe Tiberis aquis nando abluit, peritiſſimus homo natandi, gurgitibus abſorptus ſuffocatur. Statim verò à duobus familiaribus, qui rei interfuerunt, nuncium ad Sodales adhuc coactos perfertur. Ijdemque tam acerbi caſus nuncij, pauore perculſi, & alterius edocti malo, illo ipſo die ſe in Sodalitium adſcribi poſtularunt. Ex quo etiam tempore ſemel quâque Hebdomadâ ad ſancta accedunt Sacramenta.

3 SODALITAS diſcipulorum Collegij Senenſis nunc primùm Romanæ primariæ eſt aggregata. Quo tempore omnes ad ædem B. Virginis, cui à Prouenzano nomen eſt, quæ extra mœnia magnâ religione colitur, agmine iuerūt,

Digitized by Google

tantâ modeſtiâ, & pietate, vt viri nobiles non poſſent aſpectu ſatiari. Librum carminum in B. Matris laudem à ſe ſcriptorum, venuſté & cum dignitate compactum, ſpecioſumque vexillum ſacro templo dono dederunt. Poëma dictum eſt, habitaque in ipſius Virginis laudem non inelegans oratio.

MACERATAE, illuſtre pietatis exemplum edidit vir primarius è maiorum Sodalitate & magnæ æſtimationis in ciuitate. Ab adoleſcente, quamuis locuplete, non tamen pari nobilitate, ob ſermonem in deteriorem partem detortum, palàm fuſte appetitus pulſatuſque, conuerſus placide percuſſoré affatus eſt: Iniuriam facis, inquit, adoleſcens; quid me petis? veniamque illi à Deo precatus omnem illam acerbitatem & ignominiam Dei ſe cauſa libenter ſuſcipere profeſſus eſt: templumque ingreſſus, gratias etiam egit Deo immortali, quòd ſe eo die illo beneficio affecerit: proteſtatuſque eſt ſe nullo modo iniuriam perſequuturum. Quinetiam de pace compellatus: Nihil opus eſſe affirmauit; ſe inimicitias nullas ſuſcepiſſe; eodéque die, propinquis licet aduerſantibus eumque ad vltionem inuitantibus, ad collegium contendit, accitoque adoleſcenti, nulla petita ſatisfactione, veniam dedit. Quinetiam Prætorem legibus ſe ad publicam iniuriam vindicandam armantem exorauit, ne Sacrificium, (ità enim ille dicebat) quod ipſe Deo obtuliſſet, contaminaret; & cùm Romam ad ſupremum eius iuriſdictionis tribunal ſupplex libellus 4

ipſius fratris nomine, de illâ puniendâ iniuriâ miſſus eſſet, Romanæ quoque Curiæ Magiſtratum à proſequendo crimine auertit, idemque vt faceret fratri perſuaſit: communique conſenſu conteſtati ſunt, libellum non à ſe ſcriptũ eſſe, ſed à ſycophanta falso nomine ſuppoſitũ.

5 QVIDAM è Sodalitio Panormitano domus profeſſæ, cum aduerſario non ſine aliqua diuinæ indignationis comminatione reconciliatus. Is ob iniuriam non leuem inimicum ſuum coërcendum curauerat; & vt eum peſſundaret, iter mari faciebat, non odio ſolùm, ſed ira etiam ſuccenſus: quod ore vultuque præferebat. Ibat eodem itinere eademque naui cùm alijs, etiam vnus è Societate Ieſu. Is vt honeſtâ aliqua oblectatione vectores à procacibus iocis auerteret, ludũ propoſuit, vt è libello Virginis precatorio ſuam quiſque ſententiam ſortiretur, quam certæ paginæ certa lineæ cuique dediſſet, paginam lineamque ſibi quiſque quotam vellet definiret. Sortientibus alijs, homo feruenti in inimicum iracundiâ, ne contumax in comitatu haberetur, & ipſe ſortitus eſt. Obtigit illi Antiphona, quæ legitur Dominica XXI. poſt Pentecoſten, *Serue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergò oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Tum ſeriò iocans Pater tam aptè eam ſententiam illi conuenire demonſtrauit, vt ſi in illa ipſa re tum primùm nata eſſet. Perculſus illicô homo ingentis ſpiritus, etſi remiſit, non tamen extinxit iracundiam. Poſtero die iter proſe-

Digitized by Google

proſequentes in pyratarum inſidias prolapſi, ægrè multâ prece periculum effugiunt. In eo periculo reſiduum illud iracundiæ, quod in ſtomacho feruebat adhuc, omne metus eiecit: ſeque totum poteſtati Patris permiſit; litteraſque dedit, atque id etiam Patri commendauit, acta omnia vt reſcinderentur, & miſer ille è cuſtodia emitteretur. Itaque Dei beneficio æquiſſimis conditionibus ſancita pax. Ille nunc curâ inimicitiarum liberatus, Dei ſibi propitiam benignitatem & agnoſcit, & vbique prædicat.

CATANAE, Nobilium Sodalitas viris in dies creſcit, & virtutibus: & cùm alijs pijs exercitationibus de more, tùm præcipuè egenis ſubleuandis inuigilat. Ex eorum numero moriēs Sodalis quinquaginta legauit modios frumenti, ſingulis annis pauperibus diſtribuēdos. Tres alij non modicam pecuniæ ſummam ad inopes ægrotos ſubleuandos.

EX PARTHENIIS alumnis Collegij Mineenſis eleemoſynas vicatim per vrbem emendicarunt nobiles adoleſcentuli, magna omnium probatione, ad carcere detentos ſubleuandos. Eorum vnus patris maluit experiri ſæuitiam, malè mulctatus ab ipſo, quàm ad laſciuiam comœdiam ſpectandam ſe conferre. 7

IN COLLEGIO Mediolanenſi, Oratorium eſt cœtus ſelectorum è tribus Sodalitijs. Hi arctiore diſciplina, ſtudioque maiore pietatem colunt. Bisquaque hebdomada conueniunt: ad ſtudium precandi Deum inſtituuntur accuratius: errata palam confitentur: pœnas ob cul- 8

pas quaſque leuiſſimas, iniungi ſibi poſtulant: adeunt Noſocomia frequẽtèr: doctrinam Chriſtianam rudes edocent: quos per vrbem audiũt impiè, procaciterue loquentes, modeſtè corrigunt: in edomando corpore ieiunijs, cilicijs, flagellis ardor tantus, vt fræno ſæpenumero ſint cohibendi. E multis ſatis ſit exemplum vnum
9 aut alterum. Solemne erat adoleſcentulo, cùm ad ſacram Synaxim eſſet acceſſurus, ad fœdas inſomniorum abigendas ſpecies, nocte, quæ antecederet, cilicino thorace ſe munire. Fortè contigit, vt nocte quadam diligenter conquiſitum non inuenerit. Ità illo omiſſo, ſe quieti dedit. Nocte intempeſtâ dormientem inimicæ imagines inceſſunt; odio obſcœni phantaſmatis, & vſu eius luctæ experrectus, proſilijt è ſtrato, vt flagello moleſtam diſpellat infeſtationem. Cùmque ne illud quidem reperiret, linteo tantùm indutus (& erat ſæua hyems) in hortum domeſticum deſcendit; ibique tamdiu inambulauit; donec nocturno frigore ardor ſathanicus extinctus ſcelerata phantaſmata aboleuit.

10 AGINNI in Aquitania, Sodalis grauem iniuriam ab alio acceperat, quem cùm ægrotare accepiſſet, vltrò adit, priſtinam reſarcit amicitiam, ſolatur amabiliter: itàque ab eo diſceſſit, vt omnia veræ illi deferret amicitiæ officia. Alter quotquot habuit induſia pauperibus diſtribuerat. Vnum etiam quod ſibi reliquum fecerat, vt inopi daret, ſibi detrahebat: ſed certorum interuentu hominum prohibitus, incœpto deſtitit. Hic tanto ſubleuandæ ac fouendæ pau-

Digitized by Google

pertatis & Chriſtiana doctrina mendicantis plebis imbuendæ ſtudio tenetur; vt pater pauperum vulgò nominetur.

11 In Collegio Diuionenſi, hoc Sodalitas proficit, quòd non niſi ſelecti, & diuino tantum inſtinctu valdè impulſi, in ea nomen dant. Plerique bis, nullus verò non ſemel ſaltem quâque hebdomada conſcientiam confeſſione purgant. Aliqui eorum graui morbo laborantes, medicis iam de ipſorum ſalute conclamantibus, vſu inſuper loquendi deſtituti, ſanctiſſimæ Patronæ precibus ſe ſuæ fatentur incolumitati reſtitutos: contra quàm à maledico vate eorum vni prædictum fuerat, fore, vt illo anno moreretur, ſi ſe in eam Sodalitatem adſcribi pateretur. Et fuit qui poſteriore anno, vt primùm ex graui morbo recreatus eſt, difficillimo anni tempore, itineribus per belli licentiam infeſtis, ſex leucarum iter nocte confecerit, vt tempeſtiuè Congregationi intereſſet, & peccata expiaret.

12 Opificum etiam Sodalitas quantum pietatis ſtudio progrediatur, ex aliquorum exemplo intelligetur. Quidam in morbo, qui illi poſtremus fuit, præter inſigne documentum patientiæ, pietatem etiam pro captu maximam præ ſe tulit. Nunquam enim á ſanctiſſimæ Virginis effigie intentum intuitum auertit, neque roſariũ, ſæpius quamuis alijs id ſuadentibus, è manibus miſit. Diem etiam ſui obitus prædixit (is fuit conuerſioni S. Pauli dicatus:) quo ille die in Sodalitatem eſt adſcriptus. Alius etiam, affecta

13 iam ætate ſenex, opus item in vineis facere aſſuetus, toto Aduentus tempore non alia re, quàm olere, & aquâ exercitam vitam ſuſtentauit; ſemel dumtaxat, idque ad veſperam, cibum capiens. Is cùm in ſuburbana caſa habitaret, captus ab hoſtibus, vexatus, ſuâ quantulacunque tenui re ſpoliatus, nonnunquam etiam cum vxore & liberis morbo proſtratus, tot malis circumuentus, nullam vnquam incommodam vocem ore proferre auditus eſt; quin illa identidem iterare, *Sit nomen Domini benedictum*: nec dũ ſe dignas ſatis pœnas pro ſcelere dediſſe: neque adhuc ad ſterquilinium cum Iob redactum eſſe. Ità quo maiore punitur calamitate, eo ſtudioſius remedium à confeſſione quærit. Relapſus iterum in morbum, quo die Sacramentis, & extrema Vnctione munitus eſt, diuino viſo ſe recreatum eſſe teſtatus eſt: vidiſſe ſe non ſemel de die noctuque Sanctos Iacobum, à quo nomen habet, & Philippum, quem coniunctim præcipua ſemper pietate coluerat, magno vtriuſque ſexus agmine comitante: quibus è Societate Ieſu præiret vnus, qui ſibi capite annueret. In iucundo tam læti ſpectaculi aſpectu multos ſibi Patrum Societatis animo ſermones recurriſſe: quo fiebat vt accepto roſario, ad preces pro ijs faciendas, quorum laboribus tanti ſibi fructus proueniſſent, excitaretur. Tertius addi

14 poteſt ex ijs, qui in vrbe degunt. Is captus ab hoſtibus, nullo vnquam die deſtitit Sanctiſſimæ Matri ſtatas preces offerre: quod præcipuè fecit in Pentecoſte. Quo die ipſe & alij

duodecim cum ipſo vincti è cuſtodia elapſi, fuga ſibi ſalutem quæſiuere. Sed eos hoſtes aſſequuti, cœteros quidem & robore corporis, & pedum pernicitate valentiores malè mulctatos retraxerunt. Hunc vnum aſſequi minimè potuerunt; quem Sanctiſſima Patrona, & ſeruitute, & periculo exemit.

Fauet præterea ſtudio adoleſcentium B. Virgo, & lectiſſimum eorum cœtum ſibi curæ eſſe,
declarat ſubinde non obſcuris documentis. In- 15
ciderat in hoſtium manus adoleſcens; cùm expeditum ei non eſſet, pecuniam quam hoſtis peteret, perſoluere, opem ſanctiſſimæ Virginis implorat; ſpondet ſi liber emittatur, ſe ipſius Sodalitati addicturum. Non abnuit voto ſancta Mater. Hoſtis ætatem fortaſſe miſeratus, adoleſcentem remiſſo pretio dimittit. Is poſtea immemor promiſſi, iterum in aliorum manus deuenit: pretium pactus perſoluit: ſed hoſtes poſt modum perſolutum negant. Et ſanè prioris ſponſionis perſolutum nondum erat: erat igitur alia pecunia expedienda. Mœſtus adoleſcens ad lacrymas, & nouas cônfugit ſupplicationes: vota rurſus eadem maiore animi ardore concipit. Audit iterum preces benigna Virgo. Milites, qui pecuniam bis ſolutam expetebãt, vltrò adoleſcentem ad ſuos abire permiſerunt. Qui libertati redditus firmiorem poſterioris promiſſi fidem, quàm prioris habuit.

D o l a n i Collegij Sodales natu grandio- 16
res multa palam edunt ſigna pietatis, cuiuſmoli ſunt, ſacras ædes verrere, nudis pedibus in-

cedere, flagra corpori admouere: quod ſane magnum eſt in viris grauibus,& inter ſuos ciues multi nominis, præſertim nomine Parthenio recens in illis finibus naſcente. Ex eorum numero Theologus ædes Sodalitio extruxit.

17 Sodalitas vero Scholaſticorum incredibile eſt quanta edat ſigna pietatis. Vnus moriens, mente licet abalienatus, impreſſam altè pietatem, vel ipſo extremo ſpiritu ſpirauit, cùm nihil aliud niſi Diuinam matrem loqueretur. Cuius extrema illa vox fuit: In cœlum eſt eundum: ita eſt: eamus, Deum, Virginemque oraturi. Alius horâ antequam expirauit, crucifixi dari ſibi ſignum poſtulauit; tempus extremi certaminis adeſſe ait; Sodales,qui ſibi aderant,enixe orans, ne ſe eo tempore deſererent. Tum ad ſe ſuumque rediens certamen, vocem illam iterum,& ſæpius ingeminans, Credo, quantò ad vitæ terminos accedebat propius,tantò à rerum quæ fiebant ſenſu longius abducebatur. Itaque totus in ſuum certamen intentus, quod de S. Hieronymo alijſque legitur, ſubinde illa poſtmodum,& ipſe iterabat: Non ita eſt; mentiris: & quaſi in aduerſum inimicum, crucem, quam manu tenebat, tanquam telum intentabat. Ad extremum,quaſi ſedatâ iam pugnâ, & partâ victoriâ,tranquillo animo: Quam bonum eſt, inquit, B. Matri in eius Sodalitio famulari? abſtractuſque à præſentium rerum ſenſu, Diuinæ bonitati gratias agens, animam emiſit.

18 In Collegio Anicienſi tantùm viget pietas, vt iuniores Sodales, non pueri,ſed for-

tes athletæ ſæpius aduerſus hæreticos extiterint. Supplicatione ſæpe multa vrbis templa adiuere; tum lino tecti; tum, quod maiorem habuit admirationẽ,etiam cilicio. Fuitque cùm quinquaginta in agmine proceſſerint, cilicio quatenus ſe porrigebat, nudo corpori admoto, quà deficiebat, alio velamine obducto. Ijdem ignotum ante in his terris vſum flagellorum, eodem cilicio locum verberibus aperiente, ad nuda verberanda terga induxerunt. Rigens igitur agmẽ nudis pedibus & obducto capite ambulantium, aſperitate ciliciorum & verberum duritiâ, horrore ſimul ac pietate talis ſpectaculi inſolentem perfudit ciuitatem. Quæ duo afflictationum genera paſſim iam tota ciuitate, etiã pueri, fœminæq;, præſertim qui Sodales pœnitentes nominantur, ita ſunt amplexi; vt vulgatum tritumque iam ſit, ſupplicationes cilicijs aſperatas, & flagellis horrificas, per vrbem traducere. Ità earum rerum nouo artis genere officinæ iam per vrbem ſunt conſtitutæ. Sed in his primam laudem B. Virginis Sodales meruerunt: quippe ſuper hæc omnia, etiã ægrotorum, & egentium curam ſuſceperunt. A locupletibus eleemoſynas, quas in eos diuidanr, quærunt. Operã quoque præſtant morientibus.

19 In Belgio, è Collegij Brugenſis Sodalitate expertus eſt diuinæ Matris patrocinium, & præſens in grauiſſimo periculo auxilium, vnus qui recenter Sodalitati nomen dederat. Huic ex onuſto curru elapſò rota circumacta collum preſſit, non modo innoxia, ſed ne vllo

Digitized by Google

quidem mali veſtigio relicto.

20 IN POLONIA, præter vſitata virtutum documenta, illuſtre fuit & non vulgarem laudem tulit in re iam veteri & vſitatâ Partheniorum Lublinenſium nouum factum. Cùm enim diebus neci Domini ſacratis biduo de more ſolemnem ſupplicationem adChriſti ſepulchrum traducerent, magnum flagellantium numerus cœpit hoc anno incrementum; cùm multi ſe adoleſcentes ad Congregationis alumnos adiunxiſſent. Rem fecit religioſiorem pia fœmina; quæ filiolum tenella admodum ætate ſeminudum, cum ſcuticula agmini ſe verberantium inſeruit, puerum palam his vocibus hortata: Habe puer grandem animum; vt iſta diſcas ætate, illius amore pati aſpera qui tui amore mortẽ paſſus eſt. Permouit ea res ità vehemẽter qui ſpectabãt; vt quòd tũc in agmine nõ poſſẽt, multi domi poſtea illo exẽplo flagris ſe cęciderĩt.

21 VIENNAE ex Sodalitate B. Virginis vnus inſigne dedit in morte documentũ pietatis. Ad eum confirmandum extremo tempore cùm veniſſent è Societate Patres, cœpit cum adſtantiũ voluptate incredibili B. Virginem præſentem compellare, illius ſibi aduentum gratulari; oculiſque in ſublime defixis, magna voce, ac maiore quàm pro viribus, in diuinæ Matris laudem ſe effundere. Et cùm magnam partem orationis, *Salue Regina*, percurriſſet, ſubiunxit illa S. Eliſabethæ: vnde ſibi tantum bonum, vt ad ſe veniret Mater Domini: multaque in eam ſententiam continuauit, vt emotæ mentis eſſe

Digitized by Google

videretur. Sed interpellatus ab adſtantibus Patribus, tam appoſitè reſpondit, & tam integris ſenſibus; vt appareret, illud non fuiſſe aut vaticinium, aut delirium; ſed verum Matris ſanctiſſimæ aſpectum. Et hæc quo maximè tempore mors imminebat euenerunt.

In Sodalitate Collegij Olomucienſis pueri tenerâ ætate, à grandibus aſſiduitate orandi, & contentione ſuperari ſe, paſſi non sũt. Fuereq; qui totas prope noctes, ne tẽpus orãdi eos pręteriret, inſõnes duxerint. Fuit qui dũ viueret, peculiari ſtudio cultuque Diuinam Matrem proſequutus, eius aſpectu ſub mortis horam recrearetur. Alij duo, hæreticis nati parentibus, & opulentis, ab ipſis in patriam reuocabantur, vt Caluiniano magiſtro corrumpendi traderẽtur. Hi in exilio, ſummaque rerum omnium indigentiâ vitam trahere, quàm in patria abundare, cum diſpendio aut periculo religionis maluerunt. Domi parentum alij diebus ieiunio ſacris, ſolo pane vitam ſuſtentarunt, ne vetitis cibis Eccleſiæ leges violarent. 22

Sodalitas domus Probationis Brunenſis non ita multò ante ex Italis, Germanis, & Morauis inſtituta, hoc anno procellâ aliquâ, ſed non magnâ, eſt aliquantulum agitata. Solent vrbis huius opifices certo anni tempore coire & ſuas querelas Senatui proponere. Conſpirauere ex eo genere aduerſus eam hæretici, maleuolique, vt eam per Senatum varijs criminationibus peſſundarent. Nouam, eamque pernicioſam eſſe in ciuitate, excitatam Sodalitatem B. 23

Virginis fraterculorum (ſic enim per ludibriũ nominabant) paci publicæ aduerſariam; tranquillo ciuitatis ſtatui inimicam; communi iuri, ac libertati, atque adeo ipſi Cæſareæ Majeſtati inſidioſam. In hæc verba imperiti conceperant criminationem; rati eam in iudicio, apud peritos tam facile admiſſam iri, quàm ipſi ſtultè eam excogitarant. Cum ad rei diſceptationem ventum eſt, qui omnia in verborum vento collocarant, non tam fortiter ea viris ſapientibus probarunt, quàm audacter in conuicio iactauerant. Decreuit igitur Senatus: Non videri tanti ſceleris eſſe poſſe ſuſpicionem. Hoc ſapienti reſponſo, moleſtæ repreſſa plebeculæ audacia, & latrantium obſtructa canum ora. Tantumque abfuit, vt illo motu quateretur Sodalitas, vt maiore firmitate eius fixa ſit authoritas,

24 & ſplendore maiore nomen illuſtratum. Multi enim hoc anno, & plerique aliarum familiarum religioſi viri, ei nomen dederunt. Ipſe Reuerendus P. Prior Ordinis Prædicatorum, cum ſuæ familiæ fratribus omnibus, in eam adſcribi voluerunt. Tres præterea magnæ authoritatis Senatores cooptati: vt multos interim prætercam, qui horum exemplo permoti idem fecerunt. Octo alij præterea, vt & ipſi adlegerentur,

25 tur, partim ſub vtraque ſpecie communionem, partim etiam hæreſim deſeruerunt. Ex ipſo Sodalitio vir primarius, anniuerſariæ expiationi animarum die ſacrâ, quinquaginta pauperibus Catholicis conuiuium dedit, rem antea in hac vrbe inauditam. Quinetiam ipſe cum con-

Digitized by Google

iuge, & aliquot è familiaribus, & è Societate Sacerdotibus duobus, nouum ſpectaculum admirante & probante ciuitate, menſę miniſtrarũt. Epulatos ſingulos pecunia donatos dimiſit.

In Collegio Græcienſi Sodalitas ſcholaſticorum inſtituta eſt: In quam Sereniſſimus Archidux Ferdinandus adſcribi voluit. 26

Crumlovii Sodales, vt omittam ea quæ cum cæteris habent communia, illud ſibi præcipuum ſtudium ſumpſerunt; alios vt à vitijs ad ſtudia traducant pietatis; ad feſtorum dierum ſeruandam ſanctitatem adhortentur; rudes inſtruant; precandi ſtudium, commiſſaque recognoſcendi rationem doceant; ſacramentorum vſum ſuadeant; blaſphemos caſtigent; conciliẽt diſſidentes; ſolentur mœſtos; eleemoſyna denique egentes ſubleuent. Neque harum rerum ſtudio tenentur tantùm, quæ honeſtam habent ſpeciem pietatis; ſed earum quoque quæ auerſam & ingratam. Res aduerſas & odioſas æquo ferunt animo: conuicia, contumelias, etiam verbera, pietatis tuendæ cauſa contemnunt. 27

De Partheniis Collegij Ingolſtadienſis hoc præcipue laude dignum eſt; quod ſolo ieiunij Verni tempore, plus ducentæ zonæ cilicinæ diſtributæ ſunt: nec tamen petentibus omnibus ſatisfactum. Et fuit qui vrticas, & roſarum ſpinas pro cilicio corpori applicuit. In conſuetudine autem conuictuque aliorum videntur id vnum propoſitum habere, vt alienam ſalutem procurent. Ità hæreſi infectos 28

odorantur, in eorum ſe inſinuant conſuetudinem; vt vel opportunè ſana conſilia inſtillent; vel ſi minus, ſaltem pericula amoueant afflandi alios. Si quem in officio Chriſtiani hominis languentem viderint, ad Sacramentorum vſum adhortantur: impias reprimunt voces exſecrãtium: maledicorum licentiam caſtigant: nec timent eius rei inuidiam, ſermoneſque hominũ ſubire. Nec defuere qui egentes fidei rudimentis inſtructos, largâ etiam eleemoſynâ donarint. Fuit & qui in vico extra vrbem coactos pueros, puellaſque dominicam docuerit orationem; & præmiolis etiam ſuo ære coëmptis exhilarauerit. Supplicatio quæ quotannis in Paraſceue noctu traducitur, hoc anno ſolito fuit apparatior, procedentibus in eam, & crucis ſignum præferentibus tribus Bauaris fratribus, & Sereniſſimo Archiduce Ferdinando Auſtriaco. Agmen etiam fuit ſolito inſtructius, maiora pietatis argumenta, & maior etiam vtriuſque ſexus
29 frequentia. Diuina bonitas non deſinit his, alijſque pietatis ſtudijs, bonorũ alumnorum animos ad maiorem in dies virtutem inflãmare, ſicut & contumaciam pœnâ ſubinde caſtigare. Exceſſerat è cœtu cauſâ non iuſtâ vnus: præſto diuina affuit animaduerſio. Dũ iter facit, equo excuſſus tã graui caſu allidituṙ ad terrã; vt medici nõ minus quã triennij curatione luxati artus in ſuas ſedes reſtitui poſſe affirmarẽt. Miſer ſuo malo doctus, contumaciam ſuã reprehendit ſpõdetque quã primùm Sodalitio ſe redditurũ. Voto cõcepto, dolor remittit, ægerque breui cõualeſcit.

Ijdē Sodales, pręter ſupplicationes, ad diuinā opem aduerſus belli pericula impetrādam, cùm dicta die votiuum in honorem S. Spiritus ſacrū, ſolemni cerimonia, & apparatu decantandū curaſſent, egentibus in ſingula capita (& confluxerant ad ducentos ſupra mille) ſingulos panes iuſti ponderis diſtribuerūt. Et vt beneficentia ad conſequens tempus manaret, collatâ pecuniâ cenſum conſtituerunt, quo ſingulis annis ſumptus idem ſuſtineatur. 30

DILINGANI quoq; Parthenij ſemel & iterū quadragenis horis Deo ſupplicarūt: & quo tempore comitia de Turcarū bello communibus viribus propulſando haberentur; & rurſum per mēſem Nouembrem, ad diram eiuſdem belli peſtem auertendā, magno exemplo ciuitatis. Neq; enim illi dūtaxat, ceteriq; ſtudioſi vniuerſi; ſed ciues etiā, tanta permoti pietate idem pręſtitere: vt ad ſanctimoniales quoque exemplum permanauerit. Nam & ipſæ pia hæc ſtudia imitatæ, eandem religionem obiuere. Mendicis etiam panes magno numero diſtribuerunt. Duo ex ijs Germani fratres, per æſtiuas ferias, in patriam cùm rediiſſent, magna cum ciuitatis vniuerſæ admiratione, ſuſceptam octauo quoque die adeundæ ſacræ menſæ conſuetudinem continuarunt. 31

INTER Parthenios Oenipontanos fuit qui egentem ac ſeminudū hominem obuiam ſibi factū, pallio ſibi detracto cōtegeret. Alij indumētis alijs nudos iuuerūt. Vnus ſuâ pecuniâ libros ab homine hęreſi infecto, eo tantū conſilio coëmit vt igni traderet. Et qui per ętatē nondū pecunię 32

compotes fiunt, parentes ad id genus officij vrgere non deſiſtunt. Fuit qui ſuo ſe demenſo defraudarit, eſcas vt famelico ſubmitteret.

33 RATISBONENSES non modò ſuæ quiſque virtutis, ſed alienæ etiam ſalutis, quantum cuique licet, curam ſuſcipiunt: & cùm pios libellos domeſticis prælegendo, tùm rite confitendi rationem alios docendo, ſtudent omnes ad officium Chriſtiani hominis hortari. Et ſane apparet interdum Deum eligere infirma, vt confundat fortia. Ex ijs vnus, & ætate, & menſura corporis puſillus, ità efficaciter homini hæretico integritatem ſuaſit exomologeſeos, vt is, & hæreſim, & onus conſcientiæ apud Sacerdotem è Societate Ieſu depoſuerit.

34 FRIBVRGI quidam ità grauiter ægrotabat, vt loquendi facultate priuaretur; nec dum peccata per confeſſionem expiarat. Eius vicem miſeratus Parthenius Sodalis, fruſtulum ſacræ ceræ cum luſtrali aqua in os infundit; addit preces; tantiſper loquendi ei facultatem impetrat, dum peractâ confeſſione reliqua ſacra myſteria obiret. Vniuerſim mira viget in multis Sodalium induſtria prauos naturæ motus comprimendi, & amor caſtimoniæ in aliquibus ſingularis: aſſidui in templis: in precibus feruentes: toto animi corporiſque habitu ſtudioſè compoſiti ad pietatem. Nec ſuæ plærique virtute contenti de aliorum quoque ſpirituali fructu ſunt ſolliciti. Ex his vnus Sacerdotio nuper inſignitus, quodam in vico, tam ſtudioſè Chri-

Digitized by Google

:ianæ fidei præcepta explicat; tanto etiam pie-
ıtis ſenſu audiendis confeſſionibus dat ope-
ım, vt Religioſus ad id munus deſtinatus vi-
eri poſſit.

MOGVNTIAE illud accidit inſigne quod 35
ıgenioſi pueri opera factum eſt. Hunc è lon-
inquo oppido ad Societatis IESV Gymna-
um miſerat hæreticus pater. Sed ea intermina-
one, ne ſe ſineret à Ieſuitis Papiſmo infatuari.
:ic condiſcipulorum conſuetudine ità ſenſim
:ofecit, vt & ad fidem Catholicam, & Sacra-
entorum vſum traduceretur: demum in So-
ılitium etiam B. Virginis admitteretur. Non
fellit ea res parentem. Mittit qui filium do-
um reducat. Data ſunt homini verba; & cum
teris ſine puero remiſſus eſt ad patrem. Pater,
ıod tunc erat in promptu, negat ſe filio in
mptus quidquam ſuppeditaturum. Interim
ıer, quâ erat conſtantiâ, accuratè ſcriptis litte-
: omnem conſilij ſui à Luthero diſcedendi ra-
ınem exponit. Pater, qui conceptam opinio-
m mordicus tenuerat, rationes altè non con-
lerauerat, percepto ſenſu filij ex litteris,
ıod nunquam antea fecerat, dubitare cœpit
rane eſſent, quæ de Luthero à filio ſcriberen-
r. Rem igitur defert ad miniſtros, nempe ad
ſpertiliones: orat, vt ſibi ſcrupulum eximant
animo; & litteris ſtudeant filium reducere.
rem ſuſcipiunt ſanè confidenter: ſed neque
tri planè dubitationem abſterſerunt; & ipſo-
m litteras filius copioſè confutauit. Cœpit
.tur pater filium laceſſere, ſæpius ea de re vt

ad ſe ſcriberet. Is è libris Coſteri, & Echij peti-
tis argumentis egregie paterno ſtudio ſatisfacit
Euocat tandem filium pater; nec detrectat iam
imperium puer, fretus bonitate cauſæ, & patri
iam ex litteris cognita propenſione. Pater por-
rò veritus, ne ſi ſolus cum filio iam exercitate
congrederetur, facilè diſputationum pedici
irretiretur, quatuor hæreſeos doctores adhibe
ad conuiuium, & ex arce vicina virum nobilen
Catholicum, qui puero præſidio ſit, inuitat. Ill
poſtquam vino caluerunt, animoſius quàm ſa
pientiùs rem adoriuntur. Quæſtiones puer
proponunt: ille admirabili promptitudine it
reſpondet, vt omnem exhauſerit difficultatem
Viciſſimque ipſos de numero Sacramentorun
interrogat. Reſpondent, tãquam ex adyto pro
latum oraculum, eſſe duo tantùm. Tum ill
prolatò in medium Lutheri catechiſmo, eorur
doctrinâ oſtendit, eſſe tria. Ità primâ pueri ve
litatione aduerſarij proſtrati. Rurſus paulò po
vrget eandem quæſtionem: illi, cùm iam d
priore ſententia conclamatum eſſet, ad quer
ſcopulum tempeſtate delati erant, ad eum ad
hæreſcunt: reſpondent confidenter; illud eſ
tenendum, tria eſſe Sacramenta. Atqui, pue
inquit, hic Lutheri liber (& profert librum a
terum) duo tantum eſſe aſſeuerat. Hic procl
matores egregij inconſtantiâ victi, & rerum ſu
rum inſcitiâ deprehenſi, quanquam alioq
verbis abundantes & audacia, ſtatuâ tacitu
niores hæſerunt. Pueri pater, & nobilis ille ac
uocatus, qui huc vſque quieti ſpectatores ce
tamin

taminis ſteterant, continere ſe non potuerunt, quin vaniſſimos nugatores, tam facilè à puero conuictos, exploſos, irriſoſque domo exigerẽt. Ità qui initio amice honorificeque cõuiuio excepti erant, bene poti ob ſuam vanitatem dignâ contumeliâ eijciuntur. Victor certaminis puer non modo de aduerſarijs proſtratis, & eiectis, ſed etiam de patris ſalute triumphauit. Nam Catholicæ fidei præceptis imbutum ad Eccleſiam traduxit.

HERBIPOLI fuerunt inter Parthenios, qui pietate multùm, ingenio parùm fœliciter inſtructi, B. Virginis ope implorata, naturę tarditatem ſuperarunt. Ex ijs vnus, cùm adhuc ante annos aliquot in humilioribus ſtudijs verſaretur, nec poſſet ingenij imbecillitate facilè emergere, religioſam milliariorum aliquot ad B. Virginis ædem, & certum precationum penſum, vouit. Ità verò ſe adiutum ſenſit; vt & in ſtudijs humanitatis, & philoſophiæ, multis eorum quibus natura benignè admodum fauit, anteceſſerit; & nunc inter primos, qui ſub ipſum Theologici ſtadij finem decurrunt, numeretur. Et quoniam hæc apprimè ſunt vtilia, ad iuuenum animis inijciendam pietatem, non pigebit exemplum hoc vnum proferre. Adoleſcens notæ ſatis, & perſpectæ tarditatis, eodem vſus B. Virginis confugio, accuratiùs ſolito, ſacro Miſſæ colendo ſacrificio, ſacriſque myſterijs frequentandis, ſanctiſque obeundis precibus ſe dedidit. Ità his ſtudijs mentem excitàuit, vt ad primos ſui ordinis veniret; & præmia etiam tu- 36

H

lerit inter primos. Quæ cognitares multùm condiſcipulorum pietatem excitauit: vt multi, præter commune ſacrum, quo ſcholæ cunctæ conueniunt, alterũ etiam audire anteuerterent.

37 E FVLDENSI Collegio, Quadrageſimâ extremâ multi Sodalium nullum perfectæ religionis ſpecimen omiſere. Nam & cibum in cœnatione pauimento appliciti ſumpſere: voluntariam inediam ſibi indixere: ad viliſſima etiam ſe culinę miniſteria demiſere. Quinetiam extra domeſticos parietes eorum ſe effudit pietas, vt ieiunij diebus extra vrbem in vicinis pagis mendicatò ſibi cibũ quærerent. Mitto cilicia, flagra, duritiam cubilis, aliaque id genus vſitata: quibus multi ſe etiam ſuprà ætatis captum afflixere. Quæ in adoleſcentibus nobilibus, molli cultu educatis, &, quod plus eſt, in hæreſi à prima ætate inſtitutis ab ingenti amore erga Deum proficiſci neceſſe eſt.

38 IN ARAGONIA Sodalium domus Profeſſæ Valentinæ in primis illud laudatur inſtitutum, carcere detentos adiuuandi. Bini ſingulis menſibus, qui noſocomia inuiſant, ægrotantiumque indigentias cognoſcant, deliguntur: bini item, qui in carcere idem charitatis officiũ exerceant. Et cùm ſuperioribus annis multos, tũ biennij huius priore trecentos nonaginta ſex è carceris pædore exemerunt: poſteriore quadringentos & triginta nouem. Ac ne in ijs tantum, quæ ſplendorem habent ad vulgus, & humanæ laudis ſpeciem, pietatem colere; quę verò cùm Chriſti humilitate ſunt conuincta minus

diligere videantur: ex ijs vnus vir primarius in conuentu Magiſtratuum multis appetitus contumelijs, ac tantum non plagis violatus, magno animo ſibi vim faciens, tam inſignem contumeliam tulit ſilentio: cùm alioqui natura eſſet iracundus, & vehemens. Qua animi æquitate victus aduerſarius proteruiæ veniam petijt: & de Sodalium pietate, præclara apud ciuitatem omnem opinio manauit.

CAESARAVGVSTANI Collegij Sodalitas pietatis cultu maximè commendatur. Stata die menſibus ſingulis ad noſocomium ſe conferunt vniuerſi; ægrotiſque omnia charitatis præſtant officia. Sordes ijs abluunt, lauant manus & faciem, vngues præcidunt; dulciarijs, aliſque munuſculus afflictam illorum alleuant fortunam. Tum ſingulis hebdomadis legũtur duo, qui cibum capientibus præſto ſint; ſolentur; quæ opus ſunt, miniſtrent. Duo alij item ſingulis hebdomadis carcerem inuiſunt: de vniuſcuiuſque ſtatu, cauſaque cognoſcunt. Hi rem ad Patrem Præſidem Sodalitatis, Præfectumque deferunt. Præſes, Præfectuſque ſuſcipiunt procurationem miſerorum: ære alieno obſtrictos pecuniâ iuuant: cum Magiſtratibus agunt, vt qui inde mitti poſſunt, liberentur: cęterorum commoda procurant: & quibus poſſunt officijs illorum miſerijs occurrũt. Quo factum eſt, vt centum quinquaginta, illorum operâ, emiſſi ſint. Cuius rei fama multos Principes viros, & in ijs Comitem à Saſtago ad eam Sodalitatem expetendam excitauit. 39

40 TVRIASONE lętum fuit vnius è Sodalibus parenti, quòd cùm filio pecuniam offerret ad comœdiã ſpectandã, ille id ſpectaculũ eſt aſpernatus, quod B. Virginis Sodalẽ minimè deceret.

41 CORDVBAE è Parthenia Sodalitate, noua alia quaſi germen nouũ prodijt. Hæc cœnobij curã ſuſcepit, quò pœnitentes fœminæ à turpi vita ſe recipiunt. In eam priore anno primarij viri ad triginta nomen dedere: collatâq; in mediũ pecuniâ, illarum domicilium vetuſtate iam fatiſcens, ac ruinoſum reſarſerunt, impenſâ omnino trium millium aureorum. Ijdẽ in magna annonę caritate trecentos tritici modios coëmptos in ſubſidium eius familiæ dederunt. Auxit annus poſterior hanc Sodalitatem magno Sacerdotũ numero, vt tota pene Sacerdotibus conſtare videretur. Hi non in vrbe ſolũ, ſed oppida etiã diſcurrentes, eleemoſinas inopi familię alẽdę corrogãt; ita vt, & ad neceſſaria vitæ pręſidia, & ad tẽpli etiam ornatum abunde illi ſuppetat. Ijdem per vrbem, cùm in eos incidũt, peierãtes aut maledicta in Deũ cœliteſq; cõijcientes corrigunt; vagos, erroneſq; ad Chriſtiana diſcẽda præcepta, confeſſionemq; faciendam compellunt. Sæpe accidit, vt operarios & inopes, diurni operis mercede perſolutâ, ad nullum opus aliud conduxerint; neque operam ab ijs vllam exegerint, quàm vt peccata confiterentur. In Catechiſmi ſupplicatione puerorum agmine admiſſi, aut tintinnabulum quatiunt; aut vnà cum pueris pia carmina decantant.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 1596.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 32.

PANORMI in Sicilia experti ſunt multi è Sodalibus, magnis in rebus periculiſque grauiſſimis, B. Virginis tutelã. Vnus Genuam mari iter faciens, aduersâ coortâ tempeſtate, maximum vitæ periculum adiuit, cùm ſubinde magis magiſque fluctus intumeſcerent, neque in duodecimum vſque diẽ increbreſcẽtium ventorum violentia remitteret. Nautæ arte diffiſi iam animo conciderant, expectabaturque proximus decumanus, qui ſi aduenisſet nauim merſurus omninò putabatur. In eo diſcrimine conſtitutus adoleſcens maris ſtellam magna fide inuocauit. Erat is duodecimus à tempeſtate ortâ dies Purificationi ſanctiſſimæ matris dicatus; quo tempore Sodales quadragenarum horarũ precationi inſiſtebant. Cui cũ precationi quòd nauigatione prępedit⁹ 1

præſens intereſſe non poſſet, operâ & ſtudio quantum potuit interfuit: abiens enim cereos in lumina ad ſupplicationis apparatum dedèrat. Haud fide procul, in mari miſſas preces, cum ijs quæ à Sodalibus in oratorio fundebantur coniunctas, cœleſtem à diuina Matre opem impetraſſe. Alius dum Cephaledium petit, (ciuitas hæc Panormo diſtat ſexaginta ferè milliaria) cymba qua vehebatur, hæſit in ſabulo. Nautæ, vt ſunt fermè id genus homines prauo ingenio & peruicaci, Deum cœliteſque execrantes, hærentem nauiculam incaſſum nitebātur euellere. Ille B. Virginis implorato auxilio nauigium non extrahit modò, ſed Turcarum quoque manus perſequentium euadit. Magnam alius auri gemmarumque copiam, dum intereſſet Sodalitio, furto amiſit; quam furibus comprehenſis, B. Virginis recuperauit auxilio; cuius etiam amore de ſontibus pœnas nullas repetijt. Fuit etiã qui indictâ ſibi ſabbathi diebus ab ouis, lacte, caſeo abſtinentiâ, primo à conceptâ religione ſabbatho ad ciborum condimentum venenum ſubminiſtratum eſt non ſentienti: quod cùm prægustaſſet, Dei matris ope & dolum ſenſit, & nullum ex eo guſtatu damnum paſſus eſt. Itaque tantum a ſanctâ Matre acceptum beneficium impunitate maleficij conceſſâ compenſauit. Et vt ſtudiosè
2 pietatem colentium clementiſſima parens tuetur innocentiam; ità etiam negligentium nonnunquam clementi animaduerſione coërcet leuitatem. Nobilis Adoleſcens quoniam infre-

quens erat in Sodalitio, à cœtu reliquorũ exemptus erat. Is intrà paucos mẽſes in lethalem incidit morbum. Accerſito igitur Patre qui Sodalibus præerat, vitæ noxas ſacra confeſſione expiauit, ac Dei Matris patrocinio (cuius natali die morbi atrocem vim ſenſit, octauo deinde extinctus eſt) paratum ſe in vtrumque, ſeu viuere, ſeu mori, profeſſus eſt. Ex eoque die Patri ſpirituali ad extremum vſque ſpiritum in rebus omnibus dicto audiens fuit: veniâque ab omnibus petitâ, ſacramentis omnibus munitus, totum illud octo dierum ſpatium pijs meditationibus precationibuſque traduxit: excluſis etiam, ne ſuas cogitationes interturbarent, domeſticis ac familiaribus. Ità inter pias preces quaſi placidiſſimo ſomno conſopitus, animam Deo reddidit.

Non minus illuſtris fuit & piæ plenus voluptatis alterius adoleſcentis obitus. Huic mortifero morbo implicito nonus dies mortem attulit; ſed vt primùm lecto afflictus eſt, ſtatim ſeriò de exceſſu vitæ, deque perpetuis cœli gaudis cogitare cœpit. Patrem qui illi erat à confeſſionibus, rogauit, quibus inſidijs in ſummo vitæ certamine animum Dæmon oppugnet: eundem, Sodaleſque cœteros rogauit, ne ſe in extremo illo articulo tam periculoſo pijs monitis confirmare, precibus ſubleuare, graue ducerẽt. Matri ſollicitè de ipſius curatione cogitanti, & loquenti: Quid medicamentis opus eſt, inquit, intra octauum diem morituro? quod prorſus ità euênit. Cùm tribus antè mortem diebus linguę 3

vſu deſtitutus eſſet, ſub ipſum mortis diſcrimen hortabatur eum Sacerdos, vt ſi non ore, ſaltem corde, Ieſu & Mariæ nomen iteraret. Conanti loquendi facultas reſtituitur; Ieſum & Mariam identidem appellat; preceſque & Hymnos Sacros piè pronuncians obdormiuit in Domino. Elatus eſt proſequentibus Sodalibus vniuerſis, accenſis funalibus, nouum ſpectaculum probante maximè Ciuitate. Adoleſcens fuit non modò parentibus obtemperans; ſed etiam erga omnes ità manſuetus ac mitis vt ne verbo quidem vnquam quemquam læſerit: adeo in ſua pietate ſtudioſus, vt conſuetas preces intermiſerit nunquam. Fama tam felicis obitus cõplures excitauit adoleſcentes, vt eiuſdem Sodalitij vota conciperent.

4 SODALITAS Collegij Mamertini quæ eſt Nobilium, & pietate floret, & numero. Noſocomia ſedulò frequentant: nec deſunt qui vel aperto capite, vel ſubmiſſo genu inſeruiant ægrotis: vlcera exoſculētur. Statutum præterea ſibi quiſque diuinarum rerum commentationi tempus tribuunt: ac multi eam in rem, integram è matutinis horam impendunt. Non minor laus eſt adoleſcentium: quippe eâ ſunt pietate, ac virtute, vt fræno potius quam calcaribus indigeant. Mirum eſt illorum ſtudium in cilicijs, flagellis, cæteriſque edomandi corporis inſtrumentis efflagitandis. Id quod ſolemne eſt omnibus eo præſertim tempore quo ſe ad percipiendam Euchariſtiam comparant. In contemnendis illecebris edomandiſque vitijs,

Digitized by Google

quas quiſque de ſe victorias tulerit, referre non eſt operæ. Vnius exemplum monſtri habet admirationem. Hic à muliere improbè ſollicitatus obnixè Reginæ Virginum tanto in diſcrimine opem implorauit: nec defuit Sanctiſſimæ Patronæ auxilium. Quippe ne vllo ſenſu eius animus emolliretur, repentè illa viſa mulier, horrenda ſpecie, ſpectrum in ſæuum commutata, horrida, terribilique totius oris habitu, conuerſo in angues crine, qualis in picturis eſſe ſolet furiarum. Quo terrore ità commotus eſt, vt nõ difficile illi fuerit in ſuſcepta conſtantia perſiſtere, & graui oratione pijſque monitis, alterius intemperantiam corrigere. 5

CALATAIERONAE aliqui Sodales ægrũ ac depoſitum hominem in via cùm offendiſſent, ſublatum in humeros, populo inſpectante in Noſocomium detulere. 6

PATAVII Sodalis vnus è præcipuâ nobilitate adoleſcens, ab homine tenui in publico virga percuſſus, cùm ira acceptę iniuriæ ſubijſſet animum, & facilè poſſet ignominiam delere, alter errore cognito ſibi timeret; omnem tamen offenſam libens iniurioſo homini remiſit; memor, vt ipſe poſteà narrabat, eorum quæ in Sodalitio didicerat. Idem parentem à Patribus Societatis alienam, neque antea multùm ſtudio pietatis deditam, domeſticoſque omnes, ad Collegium confeſſionis causâ adduxit. 7

PLACENTIAE Parthenia Sodalitas fuit hoc anno admodum frugifera. Ex eâ Sodalis in patriam reuerſus, ſuo exẽplo, efficacitateq; lo- 8

loquendi multos ad ſacramentorum frequentiam excitauit; nouum etiam in honorem Chriſti Matris inſtituit virorum, adoleſcentiumque Sodalitium: quos etiam ad meditandi rationem pro modulo inſtruxit.

9 AVENIONE ſodales, omnes per ſuas quiſque vices diſtributi quotidie Xenodochium inuiſunt. Enituitque præter cæteros vnius caritas, qui grauiter ægrotanti pauperi magna ſedulitate quotidie aſſedit; corporis illuuiem, lectuli ſordes abſterſit; multas etiam opportunitates illi mendicatò comparauit.

10 DOLAE vocabatur quidam Parthenius prauo gentis more ad Sacerdotium, quod per ætatem adhuc habere ei fas nō erat: maluit hic eius emolumenti iacturam facere, quàm quidquam aduerſante conſcientiâ in ſe admittere. Ad Epiſcopum mittebatur alius iam Sacerdos, vt in locum demortui Parochi ſufficeretur. In itinere puerum videt ex aduerſo monte lapillos tenello digito ſcalpenten, tanquā cuniculis omnem illam molem vellet euertere. rogat quo is conſilio eam rem ſit aggreſſus; Vt hunc montem exæquem, reſpondet ille. Tum blande puerum monet Sacerdos, inani operâ vt deſiſtat: rem eam ea ratione confici non poſſe. Citius ego (inquit puer) his digitis hunc montem complanauero, quàm tu Curio factus numeris omnibus munus valeas explere tuum. Hoc viſo haud dubiè diuinitus ſe moneri arbitratus, dum quid agendum ſit cogitat, inopina mors ei dubitationem omnem præcidit; onuſque regendę

paroeciæ alteri conceſſit. Sodalis alius deſperata valetudine, cùm diuina myſteria percepiſſet, multis adſtantibus è Sodalibus cum ſummâ omnium admiratione ſe febri leuatum ſenſit; neque ita multò poſt planè conualuit. Adoleſcens alius iam planè deſertus à medicis, ac tantum non depoſitus, vt animum confeſſione expiauit, ſtatim morbi grauitate ità leuari cœpit, vt iam citra periculum conſtitutus, breui deinde tempore integram corporis ſanitatem recuperarit. 11

VIRIDVNI in Francia Partheniorum magna laus in virtutum ſtudio, & magni ad pietatē proceſſus, ſic vt eorum exemplo, & fama ad emulationem excitentur alij. Nam non in conſuetudine ſolùm conuictuque familiarium, ſed in domeſticâ multò magis diſciplinâ, ea ſunt morum æquitate & facilitate, vt matres familias non poſſint tantum domeſticum bonum non foras proferre, & cum matronis alijs communicare. Ità cæteræ, vt ſuæ quoque familiæ quieti conſulant, maritos filioſque hortantur, vt ſe quoque in eam Sodalitatem adſcribendos curent. 12

PARTHENIORVM Collegij Monaſteriensis ad Rhenum, admiratione in primis digna eſt virtus ac pietas. Eſt ex eorum numero vir ſummo loco natus, qui aſſidua nouiſſimorum meditatione ſeipſum ſemper maiorem ad pietatem, & ſui ipſius victoriam incitat in dies; corpus horrido cinctu apprimit; & bene ſæpè ad menſam epulis inſtructam, rigidam ſibi eſuriem 13

indicit. Alium pellexerant amici, vt Sacerdotium in ſuam fidem reciperet, tantiſper, dum puèr cui illa emolumenta quærebantur, ad maturam veniſſet ætatem; ſponſione facta, ſe puero, cùm Sacerdotio maturuiſſet, conceſſurum, eiuſque ſponſionis ijs, qui pueri rem procurabant, ſyngrapham dederat. Is poſtea quid fraudis ineſſet in ea re edoctus, ſponſionem reuocauit: ſyngrapham repetijt. Cúmque illi ſui nefarij iuris tenaciſſimi tergiuerſarentur; maluit omni illo emolumento priuari, quàm his conſcientiæ vinculis teneri. Itaque ſe omni iure quod in Sacerdotio habuerat abdicauit. Duos ibidẽ Parthenij pio argumẽto dedere dialogos; quorum alteri humaniſſimè interfuit Liuonum Epiſcopus cum aulicis; ſemel etiam in ſcenam induxere de roſarij myſterijs piũ æque ac feſtiuum cum perſonato Prædicante colloquium. Quæ Sodalium actiones, & doctrinæ documenta, multos excitarunt ad eorum Sodalitium expetendum: ita vt ex interiore vſque Saxonia viri duo doctiſſimi, ſuæ patriæ decora, in illud ſe adſcribi poſtularint.

14 E SODALITIO Collegij Fuldenſis vnus in conuentu hæreticorum plagis multis primùm, deinde etiam promiſſis ſollicitatus ad defectionem, maluit inops, & omni ope deſtitutus in fide manere, quàm cum fidei iactura diuitijs abundare. Itaque egenus, & nudus profûgit ad Collegium firmâ ſpe diuinam ſibi opem nunquam defuturam. Neque eum ſua fiducia fruſtrata eſt: quippe nunc piorum virorum beni-

Digitized by Google

gnitate ſuſtentatur. 15

MOGVNTIAE, tempore Quadragenario,
& diebus ijs qui feſtos B. Virgini ſacros ante-
cedunt, tantum fuit Partheniorum omnium
ſtudium, ieiūnijs, cilicijs, aſperitatibuſque alijs
edomandi corporis, vt eorum qui pia contrà ſe
certamina ſuſceperint numerus iniri nō potue-
rit. Et verò in eo ſtudio ità feruēt aliqui, vt licet
occultare ſtudeant virtutē, ipſa tamen ſe prodat
vel inuita. Tres eorum adultâ iam ætate, ac ſpe- 16
ctatâ eruditione iuuenes, ipſis exeuntis Quadra-
geſimæ poſtremis ferijs, mutatis veſtibus, men-
dicantium ornatu in proximos vicos exierunt,
oberrando ſtipem quæritantes; neque alio cibo
per eos dies, quàm quem ſibi mendicatò com-
paraſſent, victitarunt. Digni profectò, vel hoc
ipſo, qui cum robuſtæ virtutis veteranis com-
parentur. Ex eodem cœtu alius adoleſcen- 17
tem tetro correptum morbo, ac propte-
reà ab omnibus deſertum in ſuam curam ſu-
ſcepit, cibum illi comparauit, atque ad viliſſima
quæque miniſteria ſuam operam præſtitit. E
conuictoribus Parthenijs vni morti vicino 18
B. Virginis ſpecies obiecta, ſe illi extremo in
certamine promiſit affuturam. Ex quo ille viſo
etiam ſui diem obitus prædixit. Horâ vnâ ante
obitum, cuidam è Patribus Societatis rei totius
ſeriem expoſuit; cùm tamen idem anteà multi
euidenti ducti coniecturâ ſciſcitati, nihil extor-
quere potuiſſent.

HERBIPOLENSIVM Sodaliū mirus quo- 19
que fuit ardor pietatis in operibus pœnitentiæ

frequẽtandis. Sub exitu Quadrageſimæ viginti ſex pauperibus adoleſcẽtibus pedes lauerunt;a-
20 liis totidẽ cõuiuiũ dederũt. Vnus maioris ieiunij tẽpore quinquies in quadragenas horas traxit inediã:cuius etſi moderãdus fuit impetus ad pietatem;in adoleſcente tamẽ id ætatis ſtudium laudandum. Alius pio S. Catharinæ ſtudio incenſus,annum totum illius reuerentiâ carnibus abſtinuit.Horum fama iuuenum commotus legatus Pontificius , bis comitante Franconiæ Principe,ſemel ipſe ſolus eos inuiſit.

21 VALLISOLETI in Hiſpania, inſtituta eſt Congregatio : in quam permulti nobiles , alijque inferiorum ordinum adſcripti ſunt , qui eam viuendi rationem iniuêre , ad eamque ſe modeſtiam , morumque probitatem temperauerunt , vt omnium oculos animoſque in ſe conuerterint. Duo ex ijs magnâ dignitate , in iudicio de controuerſia inter ſe paulò feruidine altercabantur. Et vt incaleſcente irâ ſæpè fit , eorum alter adhuc recens in ſuſcepto Congregationis inſtituto , promptus irâ , modeſtiæ oblitus , in iurgio mentiri alterum conuiciatus eſt, multiſque præſentibus ei colaphum impegit. Tum alter cordatior , religionis memor,irâ ſuppreſſã : Meis ſceleribus , inquit , debentur grauiora ; & hæc pro Dei amore , æquo feram animo: aſſeditque animo pacatiſſimo. Hac animi conſtantia , exemploque pietatis fractus ille alterius furor , ſubitò concidit vniuerſus ; ſubijtque animum facti pœnitudo , irâque in verecundiam verſâ, ijſdem præſentibus teſtibus ve-

Digitized by Google

niam petijt, cumulatèque læſo ſatisfecit. Nam & ſeipſum reuocauit, inſaniâ atque amẽtia prolapſum teſtatus; nullamque earum notam, quas in læſum conieciſſet, illius vitæ adhærere. Virgini Matri illud certè tribuendum; prioris vt pietate & conſtantia fieret; vt repentina poſterioris cõtumacia tam ſubitò deſederit, iratique animus ad mentis tranquillitatem, ſerenitatemque redierit. Eadem Sodalitas etſi diſpendio nonnullo, pio tamen, abiectæ perditæque multitudini viam aperuit ad animi ſalutem. Hebdomada ſancta vniuerſam vagorum, mendicorumque, ac circumforaneorum multitudinem vnum in templum coëgerunt, aduocatoque magno numero Sacerdotum inconditam illam, vilemque turbam, diſtributâ ſingulis pecuniolâ, ad confeſſionem incitarunt. Hac arte, & hac pecuniæ dulcedine illecti multi remedia ſalutis quæſiuere, qui alioqui neglexiſſent. 22

ABVLAE in eodem regno, ad veterem ſtudioſorum Congregationem, noua nobilium virorum, tum Eccleſiaſticorum, tum Laicorum acceſſit recens inſtituta Sodalitas. In eam triginta ſunt adſcripti: quorum ſpectata pietas in oculis eſt vniuerſæ ciuitati; & planè digna quæ per omnes oras clariſſimo præconio celebretur. Singulis menſibus vnà omnes ſacram Synaxim percipiunt. Solemne habent ægrotis & egentibus opitulari: omnemque ciuitatem partiti inter ſe, ſuam cuique partem quam tueatur adſcripſere. Aegrotos ſicubi ſtratos inueniunt in via, ad Noſocomium ferunt: ſi vnus 23

inuenit, non dubitat in humeros ſublatum per medias vrbis geſtare vias: ſin duo, geſtatoriam adhibent ſellam in eum vſum paratam: ſin plures, certare videas inter ſe ne quis eorum à pia vectatione excludatur. In pauperum funeribus geſtandi pheretri idem inter eos certamen: vt beatos ſe putent qui primi locum occuparint, ità ſe mutuò quodammodo alteri alteros propellunt. Funeri omnes interſunt, exequias celebrant, cadauer piâ miſericordiâ terræ mandant. Quintâ quâque feriâ ad ſacroſanctæ Euchariſtiæ inſtitutionem pia memoria venerandam, noctem in vigilijs traducunt. Alij ſextâ feriâ à prima hora poſt meridiem ad quartam vſque pijs meditationibus precibuſque ad Deũ tres illas horas venerantur, quibus viuens in cruce acerbiſſimos cruciatus Dei filius noſtræ ſalutis cauſâ ſuſtinuit. Ex ijs horam alij diſpaſſis in crucem brachijs, eâdem religione, nec ſine cœleſti diuinæ dulcedinis rore traducunt. Sunt etiam qui pridie eius diei ſub noctem mendicum domo excipiant; ſitus ſordeſque corporis eluant; veſtes reſarciant; pedeſque exoſculati eleemoſynâ iuuent; atque ad maiorem de ſeipſis victoriam eodem cubare ſecum lecto iubeant. Eorum quidã mulierculas duas, quæ pudicitiâ proiectâ, corporis quæſtu malè viuebant, ad honeſtatem traduxit. Alia confeſſionis & inſolens & ignara, ab alio eorum, quemadmodum & ritè confiteri & pietatis poſſet affectum imbibere edocta, factâ culparum confeſſione abundè ſuæ animæ ſaluti ſatisfecit.

Cuius

Cuius rei cauſa licet ille paterfamilias eſſet, tamen poſthabitis occupationibus, quotidie temporis aliquid, ipſa audiente, lectioni librorum ea de re ſcriptorum per aliquot dies tribuere non dubitauit; vt illam ad confeſſionem piæque vitæ inſtitutionem quàm aptiſſimè inſtrueret. Ex hoc Sodalium numero lectiſſimo non 24
pauci ſubinde ſpiritualibus exercitationibus dant operam. Denique in hanc Sodalitatem ſunt omnium oculi animique coniecti, ciueſque vniuerſi, tanquam rem admirationis pleniſſimam, ſuſpiciunt: cætuſque hominum triginta tanta eſt in æſtimatione, vt licet difficillima ingruant, in eorum tamen pietate, ac ſanctimoniâ, commune totius ſitum eſſe ciuitatis perfugium exiſtimetur.

OLYSSIPPONE in Luſitania adoleſ- 25
cens nobilis, cuius erat præter cæteros erga cæli Reginam inſignis pietas, feriatis à gymnaſio diebus redibat in patriam; iter ingreditur, duobus mercatoribus comitatus; ſed quâ maximè tutus eſſe credebatur, eâ maxime parte fuit exitioſus. Nā belli metu quod imminere credebatur, duo illi benè nummati comites ingentem pecuniæ vim Olyſſippone exportabant. Eam rem ſubodorati latrones, illorum iter intercipiunt; atque in vaſta ſolitudine in eos coorti, mercatorum alterum ſclopo interficiunt, duos reliquos circumſiſtunt, arcam in qua nummi claudebantur arripiunt. Tum vnus è latronibus, ſclopum admouet adoleſcenti, eum contumelioſè, minaciterque compellans, clauem

iubet proferre : ni ſtatim exhibeat mortem eſſe in oculis. Negat hic ſe habere, animumque ad necem componens, in ipſo iam complexu mortis, auerſa facie ne ſuum interitum videret, tacitâ prece Virginis Matris opem implorabat. Tum latro moræ impatiens, nihil cunctatus calybem in ſilicem immittit, ictu irrito. Excuſſa enim ſcintilla fomitem non attigit; haud dubiè Diuina matre alumnum ſuum protegente. Latrones ablatâ pecuniâ, illæſum adoleſcẽtẽ dimiſere : qui poſtea ſanctiſſimæ Matris in ſe beneficium deprędicauit. Enimuerò periculoſus comes eſt pecunia : longeque tutior vbique paupertas. Fuit & alterum illuſtre diuinæ bonita-

26 tis, & Virgineæ tutelæ documentum. Vir Sacerdotio, & multa dignitate venerandus, cuius non pauca in Sodalitium ipſum extant merita; die quadam mane, inſolito amictu Patrem eum qui præeſt Sodalitio, conuênit. Miratus Pater rei nouitatem, quid tandem contigiſſet, expectabat; O mi Pater, inquit ille gratulabundus, Sanctiſſimæ Matris bonitas hac me nocte ſeruauit : narrauitque ipſo noctis ſilentio, cùm maximè ſomno conſopitus eſſet, monentis vocem Angeline præſidis an Diuinæ Matris, incertum; pecepiſſe ſe, quæ diceret : *Proripe te è lecto fili, & ex iſto cubiculo excede.* Cùm ſomno preſſus ſegnem ſe præberet, ſollicitudinem tamen exauditâ voce animum extimulaſſe; ſomnoque excuſſo à ſtrato ſurrexiſſe; atque amiculo raptim circumiecto è cubiculo exiluiſſe; repentè pauimentum, ac domus contignationem

ingenti fragore corruiſſe, quâ vtique ruinâ oppreſſus eſſet, ni cæleſti monito obtemperaſſet.

POTOSII in Peruuio, quotidie Miſſæ Sacrum audire, Roſarium Virginis percurrere, concioni, ac Catechiſmo intereſſe, ſingulis mẽſibus peccata confiteri, ſtatis temporibus ſacroſanctam Euchariſtiam percipere, omnibus iam Peruuianis Neophytis ijs, qui Sodalitijs nomen dedere, commune & vſitatum eſt. Neque ijs iucundius quidquam eſſe poteſt, quàm de rebus diuinis audire, & ſermocinari, ac noui ſemper aliquid cognoſcere. Cuius rei cauſâ crebrò Patres adeunt, ſciſcitantur, edoceri poſtulãt; vt nulla in re Chriſtianis veteribus deteriores iudicentur. Statis certiſque diebus carcerẽ ac valetudinariũ inuiſunt. Videre eſt cuiuſque hebdomadæ ſecundâ feriâ, virorum, ac mulierum agmen ſcopis inſtructum per mediam vrbem ad verrendum valetudinarium, vaſa purganda, ægrotiſque piâ operâ miniſtrandum incedere; quæ res non probationi ſolum, ſed admirationi etiam ciuitati fuit vniuerſæ. 27

HISPALENSIS Congregatio nobilium, pauperibus nexui addictis iuuandis inſtituta, maiora capit in dies incrementa, & multitudine & pietate; & hoc ipſo anno plus bis mille homines omni humana ope deſtitutos, nexu liberauit. 28

TVRIASONE in Hiſpania illud ſuſceperunt Parthenij, per vrbem pecuniam vt corrogent, quâ leuetur inopia pauperum ſtudioſorũ, 29

B. Virginem non in virtutum modo, ſed in litterarum etiam ſtudio patronã colunt: id quod eorum vnus indicauit. Is cùm ad examen, quod ſtato tempore fieri ſolet, de more veniſſet; præterque omnium opinionem, & ſe & condiſcipulos omnes, magna admiratione, reſpondendo ſuperaſſet, id totum Diuinæ Matris patrocinio, cui ſe ſtudiosè commendauerat, acceptum retulit.

30 In eodem regno Sodalitium domus profeſſæ Valentinæ, quod eſt nobiliorum, hoc vno anno trecentos ſeptuaginta quinque homines, inopes ære alieno obrutos, nexu liberauit. Idem fœminas quatuor ſuſtentat, quæ in Noſocomio periculosè ægrotantibus cibum ipſæ parant ſuis manibus, fœminas verò tum decumbentes, tum de nouo aduenientes inuiſunt, ſordes eluunt, vngues exſecant, ſqualorem, illuuiemque perpurgant. Cum viris ipſi, amotis fœminis,

31 hæc munera obeunt. Nec minus quam in egentibus operâ iuuandis, etiam in faſtu, humanaq; gloria deſpicienda ſe præbent ſtudioſos. Ex ijs clariſſima quidam ſtirpe natus, grauiore verbo laceſſitus, nõ leuiter quidem initio cõmotus eſt: cùm tamen ipſius animũ ſubijſſet Sodalitatis cogitatio, non modò eam contumeliã erecto tulit animo, ſed etiam æquiſſimo remiſit.

32 In Aquitania, è Sodalibus Collegij Auſcitani vnus Canonicatu inſignis, Sodalitatem ipſam nouæ rei celebritate apud ciues vniuerſos fecit notiorem; quippe magno ciuium concurſu, in eius ſacello ſui Sacerdotij primitias

Deo dedicauit. Alius dum filij ſui valetudinem Deiparæ commendat, voti compos factus eſt. Neque eſt dubium quin eiuſdem Virginis tutelæ tribuenda ſit priuatæ vnius familiæ incolumitas. Die quodam Virgini ſacro, vnus è Sodalibus de more pijs exercitationibus in Sodalitio occupabatur; eodem tempore reliqua familia tota templum petierat nullo domi relicto: cùm repentè ædificium totum à culmine ſolutum collabitur; omnes vtique ex eâ familiâ ruinâ oppreſſurum, niſi exhibendi Virgini Matri cultus ſtudium eos domo illo tempore euocaſſet.

AGINENSIS Collegij Sodales eò feruentius ſe hoc anno ad ſanctiſſimæ Matris amorem incitarunt, quòd didicerunt ſe, tanquam boni ſucci tenellulos ſurculos, in fœlicem arborem Romanam Sodalitatem inſertos eſſe. Flagellorum ac ciliciorum vſus vbique receptus, & frequentatus, hic quoque tanquam in recens proſciſſum & excultum agellum introductus; ęgrotos in noſocomijs inuiſunt; Chriſtianam ibi explicant doctrinam, hæreticos ad Collegium adducunt, magno ſtudio, vt ad fidem conuertantur. Eorum quidam æqualem ſuum ſibi familiarem non ad Catholicam fidem ſolùm adduxit; ſed etiam vt eandem ſecum iniret Sodalitatem perſuaſit. Erat ſacratiſſimi Chriſti corporis pompa per plateas educenda: ædes hæretici hominis, quà erat tranſeundum nullis ornatas periſtromatis vnus è Sodalibus conſpicatus, epigramma foribus affixit, chartamque alte-

(margin: 33 beside "AGINENSIS"; 34 beside "tem perſuaſit")

ram inſignibus crucibus ornatam. Id ille ità
ægrè tulit, vt ſi cruciarium eius foribus affi-
xum eſſet: ſtatuitque cum adoleſcente agere
iniuriarum: ſed metu maioris probri deſtitit
incæpto. Alij, vt facilia ſunt ingenia adoleſcen-
tium, & parum prouida, quòd famelicum quen-
dam, & tenuem Miniſtrum irriſiſſent, & vltra
modum etiam ludificaſſent; vocati in iudicium,
cum riſu abſoluti ſunt. Libros hæreticos, alioſ-
que parum caſtos, præſertim poſt ſolemnem in
ſtudiorum repetitione habitam eâ de re oratio-
nem, perdendos aut caſtigandos detulerunt.
Eorum quidam à parente diſceſſit, quòd eum
ab obſtinata hæreſi non poſſet multis rationi-
35 bus, & longa diſputatione amouere. Quidam
Sodalitati, & ſtudio bonarum artium ſalute di-
ctâ, habenas cupiditatibus laxauit, ac ſeſe mi-
ſer in omnem petulantiam viuendi licentia ef-
fudit. Sed infœlici non diù impunè furere con-
ceſſum fuit. Vix dum liberioris vitæ curſum ar-
ripuerat, cùm dyſſenteriâ corripitur: pauciſque
flagitiosè conſumptis diebus, omnem bene an-
teactæ vitæ gratiam peſſundedit. A mente enim
alienatus, ebrioſis vocibus, & pocula incla-
mans ac luxurioſas pagellas, eiecit animam
horrendo ſane exemplo, & omni digno miſe-
ratione.

36 TOLOSAE duos eximiâ ſpe adoleſcentes
Parthenios diuina bonitas in cælum ad ſe trans-
ferre occupauit. Eorum alteri, triduo antequam
extremum exhalaret ſpiritum, B. Virginem vi-
ſam eſſe, non obſcura coniectura eſt. Nam ta-

citus, atque in altiſſimo ſilentio defixus, oculis ſemper in locum vnum intentis, ſubinde in has voces erumpebat, O quam ſpecioſa es Virgo Maria! Eum quidam de Sodalibus, qui illi aſſidebat, aliquando monuit, vt curam aliquam ſuſciperet valetudinis, & pio aliquo ſolatio laxaret animum. Reſpondit: Opportunam tu quidem mihi recreationem narras: ſed ea mihi mundum ſapit. Eſt ille hoc genere mortis non modo ad æterna præmia tranſlatus: ſed opportunè etiã ex magnâ moleſtiâ, ſollicitudineq;, ac proinde etiam maiore ſui cum victoria, exemptus. Menſis tum agebatur, cùm grauiſſimum cum patre, aliiſque viris primarijs, atque adeò illuſtriſſima matrona, cuius erat in famulatu, certamen ſuſtinuerat, ne contra leges Eccleſiaſticas certi Sacerdotij fiduciariam poſſeſſionem ſibi dari pateretur; quam immaturo adhuc adoleſcenti, cùm poſtmodum creuiſſet ætate, ceſſurus eſſet. Ita tot virorum ſimultatem non dubitauit diuinæ indignationi poſthabere. Alter vir honeſtiſſimus cùm in ſacello Soda- 37
litatis ipſo die Virginis in tẽplo Præſentatæ ſacro cœleſtem Euchariſtiam ſumpſiſſet, octauo inde die moriens, octoginta nummos aureos, eidem Sodalitio legauit. Sodalitatis Præfectus, idemque publicus in Academia Toloſana Theologiæ Profeſſor, omnibus quadrageſimę Sabbathis conciones habuit de laudibus Patronæ Virginis.

IN GERMANIA, Collegij Auguſtani Sodales præclaro agmine funus proſequuti ſunt

vnius qui primus ex eorum numero vitâ conceſſit:neque is adhuc erat in cœtum adſcriptus cœterorum, ſed in tyrocinio tantùm verſabatur:imminente tamen morte, ipſo enixè flagitante relatus eſt in album, magna cum ſpe, Virginis Matris tutelâ expeditius ſibi ad cœleſtem
38 vitam iter futurum. Hæc illi communiter. Alia præterea magna pietatis ſigna multi ſingillatim dedêre. Vigilarunt non pauci totas noctes aliquando, & precando Deum traduxerunt. Alij è cubili plumis, ſtramentiſque ſubtractis, cilicia ſuppoſuerunt. Fuit qui quartâ hebdomadæ ſanctæ feriâ, Chriſti dilacerationem, & necem in argumenta viginti quatuor tribuerit; eorumque in horas ſingulas ſingulorum memoriam repeteret, diemque cum nocte, excluſo prorſus ſomno, eas exercitationes continuaret. Non nemo tribus poſtremis eiuſdem temporis diebus, nihil præter panem, & aquam adhibuit ad menſam. Alius in publico ciuitatis, audito ſtatâ horâ ad ſalutandam Dei Matrem ſigno, hæreticis vndique circumfuſis, atque eam rem irridentibus, prouolutus in genua ter ritè ſalutationem pronunciauit, magno animo aduerſariorũ irriſionibus contẽptis. Alius culpæ accuſatus, cuius expers erat, quoniam ex ea re nullus aduerſus rumor, aut ſiniſtra oriebatur opinio, cũ purgare ſe poſſet, cõticuit. Magnũ in re parua vigilãtis in animo ſtudij placẽdi Deo documẽtũ. Sedulã prę tereà operã dederũt, vt familiares ſuos ad Collegiũ deducerent, vel ab hęreſi reuocãdos, vel ad vitę pręceptis, moribuſq; chriſtianis inſtruẽdos.

Ex Collegii Oenipontani Parthenijs,ciuis 39
honeſtus poſtquam in album relatus eſt, Domi-
nicis,feſtiſque diebus duos pauperes in honorẽ
B. Virginis menſæ ſemper adhibuit. Idẽ eiuſdẽ
Virginis amore partem ædium ſuarũ egenti So-
dali gratis incolendã dedit. Alius cũ in hæredi-
tatis poſſeſſionẽ veniſſet,exactâ iã ętate pupilla-
ri,non paruã pecuniæ ſummã, quam ei tutores
ex fœnore bonorũ ipſius collectã,numerabant,
cõſtantiſſimè repudiauit. Alius rei familiaris an-
guſtiâ,magnis difficultatibus iactatus fuit. Nã à
creditoribus quod ſoluẽdo non eſſet,bonis om-
nibus exutus,in carcerẽ coniectus eſt. Ei nocte
intẽpeſta dæmõ humana ſpecie ſe viſendũ præ-
bet,plenũ pecuniæ marſupium oſtentans polli-
cetur: tantùm quę ſecum geſtaret petit, vt abij-
ciat, & Chriſti, Matriſque eius cultum deteſte-
tur. Percõtanti quænam illa eſſent,quæ iuberet
abijci: nõ auſus plura; Ad collũ, inquit,& in ca-
ligis,quæ habes.Habebat ille ad collũ agnũ ce-
reum,& roſarium in pera caligarum. Negat cõ-
ſtanter Sodalis ſe vnquam illi obtemperaturũ:
quin contentius B.Virginis,pręſidiſque Angeli
opem in poſterũ imploraturũ.Denique poſt lõ-
gam trium horarũ altercationẽ infernus hoſtis
victus abſceſſit. Et vt appareat gratos eſſe cæli- 40
tibus huiuſmodi cœtus hominũ, Dei, & ſanctæ
Matris cultui dicatos;nõ deſinit infernus hoſtis
eos obtrectatorũ vocibus, & infeſtationibus la-
ceſſere.Ciuis grãdis natu cõſtituerat aliquot an-
nis ante, hãc adSodalitatẽ ſe adiungere;ſed ad-
uerſis maledicorũ hominũ rumoribus retardãs

Digitized by Google

procraſtinabat. Is iter faciens, cœnosâ & lubricâ viâ prolapſus, latus grauiter offendit: tum negligentiæ, atque errati memor, ſpōdet B. Virgini, ſe cùm primùm conualuerit, curaturū vt in eius Sodalitatem adſcribatur. Senſit confeſtim benignæ Matris opem; nam & dolore leuari cœpit; & non ita multò poſt planè conualuit. Alteri familiares apertè denunciarunt, ni ab ea Sodalitate ſe abduceret, ſe neque ipſum, neq; ipſius liberos amicorū loco eſſe habituros; neque ſi quid ipſi aduerſi accidat, vllam opem laturos. Tanto ergò, inquit ille, ſtudioſius in ſanctiſſimæ Virginis, quæ neminem deſerit, patrocinium me dedam. Denique is eſt omnium amor in Deum, ea in ſanctiſſimam Matrem animi propenſio, vt nullam de alijs benè merendi omittant occaſionem; rudes quibuſcum verſantur, edocent; catechiſmum explicant; alienos in fide catholica inſtituunt; à vetitorum ciborum vſu auocant; ad ſacramentorum frequentiā hortātur; omnia denique faciūt, vt quæ à ſanctiſſima Matre ijs collata ſunt bona, quoad eius fieri poteſt, ad alios etiam promanent.

41 Eſt hic altera Sodalitas ſcholaſticorum. Ij ſanctioris hebdomadæ poſtremis diebus atris linteis induti, flagris ſe cædentes, ſupplicantium more agmine ad templum Collegij venerunt. Noua res & inſolens in ciuitate, magnam habuit probationem, eòque laudem maiorem quòd à tenera ætate adoleſcentibus tanta animi alacritate geſta eſt. Et ſane mirus eſt adoleſcentum quorundam ardor in puniendo

Digitized by Google

corpore, vt mirum non ſit potuiſſe eos tam facile cœtum vniuerſum ad eam diuerberationem inflammare. Nam priuatim ità ſe ieiunijs, cilicinis thoracibus, ac zonis, flagriſque contetrũt, vt fræno cohibendi ſint. Fuere qui quadrageſimę diebus ſingulis flagella corpori admouerĩt; & aut in ſtramine, aut nudis aſſeribus cubarĩt. Et hęc adoleſcẽtuli faciũt, & Germani adoleſcẽtuli molliſſimo ferè cultu domi educati, & inter eos apud quos nuper inuectarũ opinionum vitio, nihil eſt inuiſius, quã odio habere carnẽ ſuã.

IN COLLEGIO Monachienſi, Sodales iuniores quantum in amore proficiant virtutum, ex ijs quæ ſubinde in eorum vita, & actionibus ſigna interlucent pietatis, non obſcurè intelligitur. Puer ciuem ſuum iam adultum multos annos in hæreſi hęrentem, precibus hortationibuſq; adortus, multa de virtutibus B. Virginis deque eius erga ſuos clientes patrocinio, multa de miſero ſtatu hæreticorum, multa de pœnis infernorum ediſſerens, eò adduxit; vt ipſius victus perſuaſionibus in viam rediret, & abiurata hæreſi, totius uitæ noxas pœnitentię Sacramento perpurgaret. Nonnulli ex eo die, quo ſupremam Chriſti cum diſcipulis initam cœnam annua memoria recolimus; adeò ſeuerum indixere ſibi ieiunium, vt (quod in adultis, ac grandibus mirere) nihil omnino deguſtarint, donec optatiſſima lux aduênit, quam Chriſti recepit reſurgentis gratulatio. 42

Ibidem Sodales, die quæ Paraſceuen conſequitur, ſupplicationem ad Chriſti Sepulchra 43

(quæ in templis adornata, antiquâ religionis conſuetudine, etiam vltra feriam ſextã ad ſanctum vſque Paſchæ diem retinentur) inſtituêre. Septem eo die templa eiuſmodi monumentis ornata obiere: varia Chriſti patientis argumenta præferentes, in quibus aliqui non modo rerum ſimulachra geſtabant, ſed veros Chriſti cruciatus in ſuo ipſi corpore referebant, ſpinas, vincula, virgas, flagella ipſi ſibi incutientes. Quæ viuæ rerum imagines, multo magis, quàm alia efficta ſimulachra, hominum animos permouebant; vt ad ſpectaculum populus, neque lacrymas, neque voces contineret, quin ad vnumquemque cruciatum Chriſtum multi ea ludibria, eos dolores pro ſe paſſum eſſe ingemiſcerent. Ijdem, eodem, alione tempore? in Monte Sancto (locus eſt inſigni religione venerandus) panis ingentem numerum pecuniâ collatitiâ coëmpti, pauperibus tribuerũt: tantâ cùm omnium probatione, vt etiam poſtero die à turbis pauperum fauſtis vocibus gratiæ illis agerentur.

44 DILINGAE vtrumque Sodalitium capit in dies maiora, & numero, & pietatis amore incremẽta. Teſtes menſtruæ ſchedæ, quas quiſq; Patri defert, notas earum exercitationum, quas ad certa extirpanda vitia, virtuteſque inſerẽdas ſuſcipiũt. Elucet quoq; eorum ſtudium in egenis iuuandis, ęgrotis inuiſendis, mœſtis amica alloquutione ſubleuandis. Et fuere, qui cùm pecunia minus poſſent, diebus ieiuniorum detractũ ſibi cibũ pauperibus ſubminiſtrarẽt. Quin-

etiam Apoſtolicorũ hominũ æmuli, & ipſi docendis rudibus,ad pietatem alijs hortandis,maledicis vocibus comprimendis, hæreticis ab errore reuocandis nauarunt operam.

INGOLSTADII in ea Sodalitate, quę minorũ eſt,centũ ſeptuaginta ſunt collecti, in qua præter duodecim Barones,inſignemq; nobilitatis florem, meret quoque iam ſub ijſdem auſpicijs Deiparæ,Sereniſſimus Albertus Sereniſſimi Ducis Bauariæ filius: quem Sodales, quo die in album relatus eſt,dramate cohoneſtarunt,& tẽpori,& homini appoſito,producto in ſcenã Alberto Magno, vt ipſi Principi cognomine, ita eruditionis quoq; laude,& eximia aduerſus cęli Reginam pietate clariſſimo. Placuit actio frequenti ſpectaculorum theatro,plauſumque tulit,tum argumenti dignitate, tum actorum in dicendo,& agendo elegantiâ,maiore vtiq;, quã è tãtula ętate ſperatur. Sed nihil maiori ſpectaculo fuit,quã Princeps ipſe, cùm magna pietate nixus genibus,elatâ voce,ſolemni verborũ formâ pronunciatâ in B. Virginis clientelam ſe commiſit. Fuerunt quoque ex ijſdem Sodalibus qui carnem cilicinâ tunicâ quatuordecim diebus continenter attererent; alij ad tres hebdomadas; ad integrum menſem alij rem traxerunt, adiuncto interdum tridui ieiunio, eoque tam arcto nonnunquam, & ſeuero, vt ad panem nihil præter aquam adhiberent. Quod quidem eſt cum per ſe magnũ, tum gentis more non nihil ab ea conſuetudine alienæ,&ætatis imbeçillitate multo maius. Eam voluntariæ

45 46

inediæ rationem alij præter hos, vel vitijs edomandis, dæmonumque incurſionibus auertendis, vel virtutibus à Deo impetrandis ſuſcepere. Iam quod in alijs Tranſalpinis partibus, vt nouum, & admiratione dignum narratur, hic cæleſti dono tritum & vulgatum eſt, flagris ſe cædere; Quadrageſima quidem publicè, priuatim verò nullo non anni tempore; vt ſilentio iam prætereunda res ſit, tanquam vetus, & vſitata. Multorum præterea inopiam ſubleuarunt Sodales, non modò ſtipem elargiti ijs qui oſtiatim victum quæritant, ſed & alijs, quos pudor ſolet à mendicando deterrere. Quinetiam annuum vectigal per eos conſtitutum ad egenos eleemoſyna iuuandos. Et nuper Præſentatæ Virginis feſto die, in eiuſdem Virginis æde peracta re diuina, inuitatis priore Dominica in concione pauperum turmis, mille & ſexcenti panes tenuioris fortunæ hominibus diſtributi ſunt; idque eo conſilio factum vt Deus hac tantâ benignitate, & tantâ multitudinis prece placatus, Turcarum impetus à Chriſtianorum finibus auerteret. Cuius etiam rei causâ ineunte menſe Iulio, decem horas publicè precando Deo in templo Collegij, partiti inter ſe vices, Sodales Deo dederunt.

47 Adoleſcens nobili loco natus, ingenijque & corporis dotibus probandus, in eo fuit aliquando Sodalitio. Is cùm ætatis lubricæ ſpatia inoffenſo pede aliquandiu decurriſſet, iniectâ ſenſim animo rerum terrenarum illecebrâ, ha-

benas paulatim cæpit cupiditatibus remittere. Inde prauorum incitamentis ablatus, liberioris vitæ curſum inijt. Eòque vſque conſuetudine prouectus eſt, vt quæ antea magna veneratione coleret ſtudia pietatis, ea demum riſui contemptuique haberet; nec quicquam illi magis cordi eſſet, quàm vt per ſummam laſciuiam compotationibus, ac pergræcationibus tempus conſumeret, ijſque genialiter indulgeret, quæ illi vitæ comitari ſolent. Et vt miſer humanæ prauitatis venenum altiùs imbiberet, in aliorum ſodalium genio deditorum familiaritatem ſe penitus immerſit. Hi ad cæteram laſciuientis ætatis licentiam, etiam illud addiderunt, vt ardentibus tędis, aut ſarmentis accenſis, tanquam Oreſtem furiæ, modò hunc, modò illum ex ſuo numero ex improuiſo adorirentur, flammis circumſiſterent, corpus amburerent, ni properè cænam expediret. Cumque multos iam furioſa illa alea in orbem percurriſſet, die, qui Purificationis Virginis feſtum inſequitur, hunc miſerum nihil minus cogitantem ebrioſa illa turba tædatorum de repentè opprimit, homini flammas admouet, cænam exigit. Paratur ea ſtatim, expediuntur pocula, potaturque in multam noctem. Poſtquam poculis indultum eſt ſatis, onuſti vino ad ſuos quiſque lares reuertuntur. Hic in ſuum ſe recipit cubiculum; & vt quieti ſe daret, veſtes detrahit, ad linteum induſium; inde vino, ſomnoque victus, vt erat ſeminudus, in menſam quæ poſita erat in cubiculo dormitabundus ſe acclinat, innixus cu-

bito. Interim miſero alto ſopore preſſo, ardens candela caſu admota induſium inflammat, idq; peruadit totum non ſentienti. Concepta flamma expergiſcitur tandem ſemiuſtulatus: exclamat amens, horrendis vocibus familiam conciet; cùmque ſe ex flammis exuere non poſſet, humi prouoluitur, ſi fortè preſſu corporis flammas opprimeret. At nihil proficitur: flamma iã valida magis ſæuiebat. Accurrunt familiares; & miſerum adoleſcentem, quas fruſtrâ malè vitarat ante cænam, poſt cænam flammis vident abſumi. Perculſi pauore initio, cùm quid eſſet ignorarent, verebantur accedere; periculo audaciam faciente, licet ſeram, aliquam tamen opem ferunt, pertinaceſque flammas, qua poſſunt ratione reſtingunt, conſumpta ſindone, cute corporis iã penitus ambuſta. Et eſt ille quidẽ præſenti periculo ereptus, ſed incendij vis tam altè viſceribus inſederat, vt nullis remedijs coërceri potuerit, quo minus aſſatæ cutis tabes intus ſerpens, acerbiſſimo cum ipſius cruciatu etiam vitalia depaſceret. Itaque octauo die, eâdem pene horâ, qua in eandem calamitatem inciderat conſumptus eſt. Sed ne eâ quidem vitæ licentia, totque ac tantis offenſionibus Sanctiſſima Mater irritata, eum qui ſe aliquando in ſuam tradiderat clientelam, deſeruit: tanti refert primæ ętatis initia illius ſanctiſſimo cultui addicere. Quin tam acerbo oppreſſum caſu alumnum ſuum, quondam ſibi carum, licet in pręſens ęſtu quodam abductum, ità ſua diuina luce illuſtrauit; vt ille ad ſe rediens, eam ſibi calamitatem, ſolu-

ſolutiſſimæ, quam duxerat, vitæ caſtigandæ diuinitus immiſſum fateretur. Ità ſummam dolorum acerbitatem, quibus vndique membra omnia continenter vrebantur, magna ſignificatione pietatis, non patienti ſolum & æquo animo, ſed etiam libenti pertulit. Et cùm in rebus omnibus toto illo tempore, tum maximè cùm ad Sacramenta excipienda ſe pararet, magna ſigna dedit pietatis. Speramus eius animum, diuinæ ſinu Matris exceptum, non alio fortaſſe, quàm quo illi depaſta vita eſt, incendio ad ſui expurgationem eguiſſe.

IN POLONIA Nieſuiſienſium Sodalium operâ, puella Hebræa eſt ad baptiſmum adducta; eam de ſacro fonte Palatinus quidam, & illuſtriſſima Duciſſa Radiuila exceperunt. Ex eadem Sodalitate duo facti Sacerdotes antequã ad diuina primùm peragenda myſteria accederent, diuinis ſe aliquamdiu commentationibus ad cæleſte munus compararunt. 48

E SODALITATE Collegij Græcienſis, Parthenius morti vicinus cùm iam extremo chriſmate eſſet inunctus, de nocte quàm potuit contentiſſimâ voce Chriſtum ingeminauit. Rogatus ab eo, qui ei vigilabat, quid id eſſet, & cur ſic clamaſſet? Quia ipſe adeſt, inquit, & en hic eſt: nonne vides? eſtque cum ipſo Virgo parens cum cælituum magno comitatu. Ex eo tempore ſubinde ſciſcitari quàm mox futura eſſet hora ſeptima antemeridiana. Quæ ſimul aduênit, ſancta illius anima, cum cælituum magno comitatu, vt piè credimus, in 49

cælum euolauit. Creditur ei exitus ſui hora illo cæleſti viſo indicata.

50 IN PARTHENIO Sodalitio domus Probationis Brunenſis contigere nonnulla digna quæ narrentur. Præfectus fuit vir ex illuſtri familia oriundus, qui Bacchanalibus (quo tempore viuendi licentiâ ſolutiore cæteri genio indulgent) ab aliorum congreſſione ſe ſubducens in domum Probationis ſeceſſit, ibique ſe per eos dies magno cum animi ſui fructu peculiaribus B. Ignatij meditationibus exercuit. Vnus è Sodalibus diues & eruditus, matrimonio iungendus, Chriſto auſpice rem tantam aggredi conſtituit. Itaque pridie quàm nuptię celebrarentur, ipſe cum vniuerſa familia cœleſte conuiuium iniuit: ac triduo poſt, trecentos egenos benignè admodum menſâ excepit; quibus etiam ipſe & ſponſa ſubminiſtrandis epulis inſeruierunt. Quare iam, Chriſto laus, incipiunt hic quoque antiqui illius Chriſtianiſſimi ſigna reuiuiſcere. Illuſtrauit multum Sodalitatis nomen Nauguicius, Baro imprimis clarus, & ſupremus Marchionatus Morauiæ iudex. Hic non ſolùm hoc anno in Sodalitatem ſe cooptari petijt; ſed pretioſa etiam periſtromata, in vſum Collegij & Partheniæ Sodalitatis dedicauit.

zed by Google

ANNVS CHRISTI 1597.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 33.

IN POLONIA, è duabus 1
Sodalitatibus Collegij Pultouienſis ea quæ ciuibus conſtat, egregium ſuæ pietatis ſpecimen cum aliàs, tum hoc anno dedit, iuuandis pauperibus quorum magnum numerum fame & frigore deficientium ſuſtentarunt; & nunc pecuniam ad menſam corrogant, quâ Pietatis Mons conſtituatur. Altera Sodalitas quæ conſtat ſtudioſis, cùm pecunia minus poſſint egentem turbam ſubleuare; patresfamilias, quod poſſunt, ad miſerationem adhortantur: ipſi in Xenodochijs aſſiduè omnia charitatis in ægrotos officia impendunt. Et cum in quadragenarum horarum ſupplicatione, quam ter hoc anno digno apparatu habuerunt, flagellationem inſtituiſſent; illorum exemplo permoti cum Eccleſiaſtici, tum ciues, & in ijs ipſe Con-

ſul ciuitatis, pijs ſe iuuenibus adiunxerunt, tanto numero, vt ad octingentos peruenerint. Qui numerus in magna ciuitate magnus habeatur: in parua multò maior.

2 DILINGAE in Germania, ad ſupplicationem in Paraſceue ſuperiori anno traductam illud additum; Chriſti vt ad Caluaria euntis agmen totum ſpeciem referret; adoleſcentibus multis vario ornatu, dolorum ipſius ſpecioſa oſtentatione argumenta referentibus; & hæc omnia Sodalibus faciferis diſtincta. Commouit multis lachrymas tam ad viuum expreſſa luctuoſæ hiſtoriæ imago; & pium adoleſcentium ſtudium, vt dignum fuit, laudem tulit. Abierat in patriam vnus ex illis, & vt conceptum religionis ſtudium ad aliorum ederet vtilitatem, pueros, puellaſque in locum vnum coactos Chriſtianam doctrinam inſtituit docere. Id pater eius indignum ratus, conuicijs, plagiſque adoleſcentem ab honeſtâ actione deterrere contendit. Sed vicit illius patientia patris iracundiam, perſtititque in incœpto; rurſuſque cùm maturum fuit, à patre impetrauit, Dilingam vt ad ſua proſequenda ſtudia rediret. Alius hæreticis duobus ſeriam iniecit de Catholica religione amplectenda cogitationem. Idem odore virtutum, & ſermonis ſanctimoniâ duos alios ità permouit, vt de ſuſcipiendo ſanctioris & nimirum religioſæ vitæ inſtituto conſilium ceperint.

3 MONACHII in eadem Germania, adoleſcens & corporis formâ, & naturæ dotibus in-

Digitized by Google

ſtructus, quamdiu tulit ætas, in Collegij Societatis fuit diſciplina. Cùm ex ephebis iam excederet; à patre, viro locuplete, reuocatus eſt à ſtudijs: & in eo flexu ætatis Syrenum blanditijs illectus, quem vnum diuitiarum fructum cœca iuuentus arbitratur, ſenſim fræna cupiditatibus laxare cœpit, ſeque paulatim in mulierum conſuetudinem demittere. Ab vna cum ſe aliquando turpiter ſpretum indignaretur; domo furenter egreſſus, inſtar lymphati per vrbem debacchatur. Incidit in vnũ de Sodalibus B. Virginis ſibi notum: ſentit ille intemperias: rogat, quò tanta properet celeritate? Ad Iſaram, inquit, flumen, quo me demergam. Tum Sodalis furori tantiſper obſequendum ratus, dum modicâ interiectâ morâ cupiditas reſpiraret, & medicinæ aliquid animus admitteret: Ego te, inquit, ducam, & itineris compendia monſtrabo. Addit ſe illi comitem; greſſuſque celeritati moderatur; ſenſimque leni ſermone aggreditur excitatum animo incendium temperare, donec per longas viarum circuitiones, hominem nec opinantem ad Collegium ad vnũ è Patribus adduxit. Qui cùm illum apud ſe retinuiſſet die toto, non ante dimiſit, quàm ſuæ integritati reddita mens eſt, & turbulentus æſtus ille penitus ſedatus. Is nunc & Patri & Sodali acceptam vitam refert.

OENIPONTI qui ſunt de maiore Sodalitio, ſupplicationem ad Seefeldenſe templum, tribus milliarijs diſſitum, peregrinantium habitu, quemadmodum ſuperiore anno ſcholaſti- 4

ci,ſuſcepere. Fuere viri iam grandi natu & magnæ inter ſuos authoritatis,ſpectaculi nouitate, exemplo ciuitati. Eorum cùm præfectus, vir canicie, opibus, virtuteque ſpectabilis, lenâ indutus, roſarium circa collum, & viaticum baculum manu tenens, domo prodiret, admiratique;famaliares per iocum; Quo cum armis illis tenderet, rogaſſent: opportuniore ille ioco, ad abigendum diabolum, reſpondit.

5 RATISBONAE Sodalitas B. Virginis duobus claris Antiſtitibus aucta eſt hoc anno;quorum alter,quo die in vrbis templo maximo Abbas conſecratus eſt, eodem die voluit ad alumnorum numerum B. Virginis adſcribi. Alter præpoſitus Monaſterij S. Magni non ipſe modo ſe Parthenio cœtui addixit: ſed illius exemplum ſequuti etiam cœnobitæ reliqui eandem religionem ſuſceperunt.

6 FRIBVRGI quidam militari laude clarus cùm Sodalitati præfectus lectus fuiſſet, ad munus illud cum fructu obeundum, Collegij ſeptus parietibus, diebus aliquot ſe pijs meditationibus exercuit. Senatorij ordinis alius, vir & nota pietate, & honeſta canicie verendus, cùm Paraſceues die ſub veſperam Sodalium ſupplicatio ad Chriſti ſepulchra traducenda inſtitueretur, patientis Chriſti ac crucem ferentis perſonâ indutus, ad eius dolores cogitandos, & ſuam quemque crucem ferendam, appoſita actione, geſtuque pietatis pleno ciuitatem cōmouit. Toto deinde agmine, ſpectaculū Chriſti ad Caluaria tendentis,ſingulorum eius dolo-

Digitized by Google

rum argumenta præferentes, magno apparatu, magnaque dignitate reliqui Sodales exhibuerunt. Agmen proſequebantur tum religioſi alij, tum canonici. Peracta verò ſupplicatio eſt, omnium ordinum, & ſexus vtriuſque concurſu tanto, vt templa multitudine conferta, ægrè acclinandis in genua corporibus ſpatia præberent.

RVTHENAE in Aquitania viget Partheniorum pietas, multique adoleſcentes deprecatores adhibent parentes, vt in Sodalitatem adſcribantur. E Sodalibus vnus tranquilliſſimo exitu vitam illi conſentaneam concluſit; cùm parentes ad animi æquitatem hortaretur; ſeque in Diuinæ Matris opem, magnam ſpem habere, teſtaretur. Alius è paternâ domo ſe proripuit, ne laſciuas inire choreas cogeretur. 7

AVENIONE inducta eſt inter Parthenios priuatorum conuentuum ad pertractanda ſtudia conſuetudo, quas academias in Italia ſolent nominare. Ità diebus à ſchola feriatis, præter pios cœtus, quos frequentant, habēt etiam boni Sodales ad repetenda communi ſtudio quæ didicere, deſcripta tempora. Et conſtat, Dei beneficio, vtriuſque ſtudij operæ pretium; nouis quotidie ingenij, diligentiæque edendis documentis; & ad vitæ ſanctioris inſtituta non paucis ſubinde ſeſe conferentibus. Ijdem hic quoque majoris hebdomadæ feria V. albo induti ſacco, nudis pedibus, ſpineis ſertis coronati ſupplicabundi proceſſere. 8

ANICII cùm ex Parthenia Sodalitate vnus 9

in hominem ætate, inedia, morboque confectum, in via iacentem incidiſſet, in humeros ſublatum aliquot ſtadijs in vrbem, mirante ciuitate, curationis cauſa deportauit.

10 BIZVNTII ſexaginta circiter recenter inſtituto Sodalitio nomina dederunt, viri nobiles, tenueſque omnis ætatis, docti, indoctiq;, ſcholaſtici, alienique à litterarum ſtudijs. Vir litteratus, & multa canicie verendus, magnâ aliorum admiratione, ſtudio ſe admodum flagitauit, vt in numerum adſcriberetur. Et is nunc finem nullum facit laudandi inſtituti. Nobilis alter, dum admittitur, ad Præfectique pedes aduolutus B. Virginem ſupplicabundus orat, ſuis lacrymis aliorum lacrymas expreſſit. Theologiæ alius Profeſſor ęquè doctus, ac pius, quo die eſt admiſſus, plenam lacrymarum & ſingultibus interruptam ad Sodales habuit hortationem.

11 CAESARAVGVSTAE in Hiſpania quantopere Sodalium pia ſtudia Virgini Matri chara ſint, argumento fuit proximè placida vnius mors è lecto illo numero: qui non maior anno quintodecimo, ſemeſtre in Sodalitio verſatus erat, cũ opportunis monitis à Sacerdote ad fortem illum agonem ſubeundum firmaretur; prædixit ſibi non in præſens, ſed aliquot dierum interiectu, certâ die eſſe moriendum. Cùm dictis nulla eſſet fides, quòd imminentis iam interitus certa ſigna tenerentur; id ſe à ſanctiſſima Dei Matre eſſe admonitum aſſeuerauit. Veram prædictionem euentus declarauit.

TVRIASONENSIS Collegij Sodalitas, tum ſtudijs alijs, tum non modicè ad pietatem ſua capit incrementa, ſuſceptâ rudium inſtitutione. Res mira contigit, nec ſine peculiari diuini numinis auxilio. Tanta ingenij quidam fuit hebetudine, vt multis annis præcipua religionis noſtræ capita, & legitimas precationes, nunquam comprehendere memoriâ potuerit. Eapropter cùm accederet ad confeſſionem, à Sacerdotibus repellebatur. Aeger animi vni è Parthenijs traditur erudiendus. Ad Sodalis vocem tanta hebeti menti diuina lux affulſit, vt quæ ab alijs non niſi longo tempore percipiuntur, horæ quadrante firmiter perceperit. Ità ſe ipſum admirans, feſtinus ad Confeſſarium accurrit: magnâque cum vtriuſque lætitiâ, & admiratione voti tandem compos factus eſt. 12

BALEARICI Collegij Sodalitas hoc anno conſtituit annuũ vectigal quingenorũ aureorũ; qui in ſubſidium vrbanorum pauperum, & in hoſpitali domo decumbentium impenduntur. Cuius maxima pars ab eo qui fundator fuit Collegij & qui tunc toti cõgregationi præerat, eſt attributa. Nonaginta poſtea legauit moriẽs vir nobilitate clarus, qui Sodalis erat, & à conſilijs Præfecto vrbis. Octoginta tres præterea è carcere inopes eduxere. Et cùm de ipſius Sodalitatis cum Romana coniunctione litterę perlatæ eſſent, eum diem ſummâ religione celebrarunt, ſolemni Miſſarum apparatu, Antiſtitis concione, & epulo in Noſocomio decumbentibus dato: quibus pij Sodales, poſito pallio, & 13

detecto capite, multâ cum reuerentiâ miniſtrarunt. Die ipſo cœlitibus omnibus dicato Prorex ipſe eſt Sodalibus adſcriptus.

14 IN COLLEGIO Cordubenſi ſcholaſticus erat totus à pietatis ſtudijs officijſque alienus. Iniecta eſt homini mens pijs ſe S. Ignatij commentationibus exercendi. Admiſſus intra Collegij ædes, cùm ſe iuſto dierum ſpatio exercuiſſet, ità eſt immutatus, vt omnibus exemplum eſſet imitandum. Frequens Noſocomia adibat, omniaque ægrotantibus officia præſtabat: in orationis ſtudio intentus erat: item quâque hebdomade flagellationem vſurpabat: ter item ſuo ſe demenſo defraudabat, vt eo egentes recrearet. Ipſius exemplo, monitiſque domeſtici omnes peccata totius vitæ vna confeſſione expiarunt. Videturque ſanè contentione properandi longum, quod reliquum erat, vitæ curſum, breui compendio feſtinando confeciſſe. Nam lapſus in morbum, cùm ad vitę finem perueniſſet, domeſticos ad ſe accerſitos, ſingulos manu prehendens, magno diuini amoris zelo obteſtatus eſt, ne vnquam vllo ſe mortali crimine obſtringerent. Morti proximus magnam cum infernis accuſatoribus viſus eſt altercationem ſuſtinere; cum illorum reſponderet accuſationibus, crimina partim negando, alia fatendo; ſed diuinæ miſericordiæ iura atteſtando, ea & confeſſione & lacrymis eluta eſſe. Ad extremum, modicâ interpoſitâ quiete cuſtodem Angelum ſalutauit; imprudentiamque quòd præſentem non antè vidiſſet, & ſibi conſpicuus

Digitized by Google

diu adſtitiſſet, excuſauit. Conatuſquè brachia collo eius circumijcere, in eo conatu expirauit: cum antea & diem & horam, quâ ad Dominam ſuam (ſic ille loquebatur) proficiſceretur, prædixiſſet. Illius ſtudia & mores Parthenij Sodales omnes magnâ curâ imitantur.

In Mexicano Collegio Parthenij præter ſtatos dies feriarum, quotidie etiam poſt alteram pomeridianam ſcholam ſuos cœtus celebrant, & pia aliqua, vel lectione, vel narratione ſe ad maiorem pietatem excitant quotidie. Maioris ieiunij diebus ter ſingulis hebdomadis ad flagellationem conueniunt. Perſæpe Xenodochia tum Hiſpanorum, tum indigenarum inuiſunt: cibos etiam ægrotis afferunt. Et cùm anniuerſaria Euchariſtiæ ſacra peragerentur; in templo Collegij diem totum antè aram flexis genibus traduxerunt, diſtributis horis per vices ſibi ſuccedentes. 15

Olyssipone Præfectus Sodalium nobilis Sacerdos, cùm circa vnum è B. Virginis diebus ſacris vehementi tertianâ laboraret, certa ſpe Virgineæ ſibi opis affuturæ, voluit ipſo die feſto ad templum Collegij deportari. Ibi ergò rei diuinæ interfuit: factiſque precibus, ſenſit ſe penitus moleſto morbo releuatum: poſteroque die ipſe ſuis pedibus templum repetijt, ad debitas Diuinæ Matri gratias agendas, & diuinum beneficium enunciandum. 16

Vaipicotae in India Sacerdos vnus è Seminario Parthenio miſſus in patriam ſuis collocutionibus, publiciſque hortationibus 17

tantos fecit motus animorum ; vt apud eum plurimi peccata confeſſione expiarent: cum tamẽ ille eos ad Sacerdotes alios remitteret. Hominem ad eum adduxerunt , quem dæmon triginta circiter vexarat annos. Eum Romanæ Eccleſiæ exorciſmis Chaldaico idiomate tranſlatis,ſanauit. Vocatus ad ægrotum,cùm ei confeſſionis, aliaque Eccleſiæ ſacramenta ſuaſiſſet; præfractè contendebat qui illi erat à curationibus,ipſum nequaquam Eccleſiæ ſacramentis ſanatum iri. Quinetiam , niſi certa pro eo dæmonibus ſacrificia offerrẽtur, ipſum intra octiduum moriturum. Succenſus hic diuini honoris zelo Sacerdos , certâ diuinæ opis ſpe conceptâ , aſſeuerauit , omninò intra illud tempus ægrotum ipſum ſanum futurum. Magnâque cum Chriſtianæ rei gloriâ, & loqucis impoſtoris dedecore , Sacerdotis veram prædictionem comprobauit exitus. Nam , confeſſione obita, Chriſtianis pro illo preces facientibus , cùm re ipſa de eius ſalute ſpes amiſſa eſſet , conualuit ad dictam diem. Ex eodem Seminario Sacerdos alius, iiſdem exorciſmis è tribus corporibus iamdiu obſeſſis, dæmones exegit. Quibus rebus fit , vt hi quoque Sacerdotes vbique in his montibus magno in honore habeantur ; à multiſque expetantur. Ipſi porrò exemplo vitæ,& doctrina omnibus admirationi ſunt.

ANNVS CHRISTI 1598.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 34.

MACERATAE in Italia inſtituta eſt hoc anno Opificum Sodalitas, quæ breui itá creuit, vt Sodales habeat ſupra centum. Hi multùm in cœtibus frequentandis proficiũt: & res inibi auditas miro cum ardore tum domeſticis, tum vicinis enarrant. Præcipua verò in quibuſdam pietas elucet in eo colendo cœlite, cuius nomen eo menſe ipſis obtigerit; tum pœnâ aliquâ depoſcendâ, tum feſto illius die ſacris myſterijs obeundis. Sanè ciuitati eſt hoc Sodalitium maximè probatum, ſiue quòd intellexerit quodcunque hominum genus à Patribus Societatis iuuari, negligi nullum; ſiue quòd Opifices complures, noua prorſus inſtitutâ vitæ ratione, dies feſtos quos antea flagitijs ferè non ſine graui aliorum offenſione conterebant, eoſdem in pijs iam Chriſtianoque ho- 1

mine dignis exercitationibus cum laude omniumque approbatione traducunt.

2 E PARTHENIIS Collegij Rhegini quidã non ex infima plebe grauibus contumelijs in publico exceptus impatientem animum coërcuit, deque eo triumphauit egregiè: Vade, inquit, in animæ ſalutem incumbenti reſpondendum non eſt, illatam tamen iniuriam condono. Hoc patientiæ monumentum diu in ore ciuiũ fuit. Ex eoque tempore Sodalitia magis commendari cœperunt.

3 IN COLLEGIO Montis Regalis hoc anno inſtituta & ad primariam Romanam aggregata Sodalitas nobilium virorum, quæ eorum indigentium curam ſuſcepit quos à cogenda ſtipe reuocat pudor. Horum Sodalium primus cùm ægrotaret ſummiſque doloribus cruciaretur, viſus eſt ſibi videre B. Virginem, quam demiſſé compellans rogauit, vt quam primùm ſe tot tantiſque eriperet conciatibus. Cui illa: *Fili per angores multos cælum attingendum eſt*: tum repente receſſit. Hoc viſo confirmatus æger, vt ipſe narrauit, non æquo ſolum ſed etiam libenti animo,& morbi dolores & mortis extremum ictum excepit.

4 PARTHENIVS quidam Aronenſis Congregationis è medijs fluctibus ereptus eſt, patronæ vnius Virginis ope implorata. Hic enim infimæ ſortis homo, cùm ſub veſperam diei feſti ſolus nauigaret, appulit ad quandam littoris partem; vnde lignorum neſcio quos faſciculos capere atque exportare nauiculâ conſti-

tuerat. Dum proiecta in littore ligna ſuſtollere, & in nauiculã inſerre conatur, recedit interim à littore nauicula, aut ventorum aut fluctuum vi: ſtatimque ligna quæ ſuſtollere tentabat demerſa ſunt, impetuque illum ſuo ac pondere ſecum traxere. Iamque extrema patiebatur; os oculique & fluctibus & obſcurâ nocte obſtruebantur, vt neque compellare, aut cernere vllo pacto poſſet, neque ab alijs ipſe poſſet cerni; cùm ad patronam conuerſus ſupplices tendit manus, vt præſto ſit extremo vitæ momento. Haud irritæ preces: in eandem partem traijcit alia nauicula: auditur ſonus intermorientis: accedunt nauigeri, & dexteram porrigunt: tumentem frigidâ hominem atque adeò ſeminecem ſuſtollunt, & appendunt pedibus, quò facilius aquas euomat. Ille verò incolumis tandem ad eum, qui è Patribus Sodalitati præerat acceſſit, remque totam eidem ipſe narrauit.

TOLOSAE reſtituta duorum amicitia quæ 5
totos ſeptem annos planè deſperata fuerat. Hi cum primò renuerent, nec poſſent humanis remedijs perſuaderi, recurrerunt Sodales ad opẽ Virginis per Litanias implorandam. Mirum dictu! Dum eæ recitantur, miteſcunt illi ſtatim: atque ità in reconciliationem proni, magna omnium gratulatione, mutuis amplexibus antiquum amorem redintegrarunt. Alius item vxori, à quâ ſex annos integros diſſidebat, cœpit opẽ Virginis per Congregationem imploratâ bene velle.

6 BIZVNTII adoleſcens morti proximus multis lacrymis Sodalitatem expoſcit. Vbi adſcribitur, extemplo morbus remiſſus; & correcta ſimul adoleſcentia eſt. Quo verò tempore magna pars hominum compotationibus intẽperanter ſeſe ludiſque immergit; ità moti ſunt Sodales ad exemplum hic inauditum prodendum, vt ſane non mediocrem excitarint ſui admirationem. Lautum, vt pro Bacchanaliorum tempore, pauperibus inſtitutum conuiuium, quo viginti ſupra centum alerentur: ſuis omnia ordinibus congeſta confectaque. Nam præter quam quod ſe Sodalium profudit liberalitas; in officijs quoque ſordidis atque humilibus procurandis, & obeundis non ſine pia quadam ambitione, pietas enituit. Sodalis demortui obi-

7 tum paucis hic addo. Is præter loci conſuetudinem, ſtatim ac morbo tentari ſe ſenſit, Sacramenta ſuſcepit auidè; & vultu ſemper hilari ſuauiſſimè de Deo dum verba facit, frequenter viſitur à multis, quibus imitandi ſtudium excitabat. Adeſt interea dies vltimus, cùm aduigilantibus ægro Sodalibus quibuſdam, de repente in pugnam cum dæmone deſcendit eâ vocis contentione, vt audirentur hæ voces; Non te offendam Domine, non te offendam: Credo, Credo: Opitulare Virgo Maria: Ieſu bone miſerere mei, adiuua me, & ſimiles; manu interim ità crucem vibrabat, vt ſi manus cum aliquo confereret. Tandem velut è magna contentione reſpirans, ter, Victoria, ingeminat. Rogatus quid tandem rei? quieto reſpondet animo,

animo, à ſe quoſdam præeuntes videri quos exoptaret & ſubſequi, ſi non conſequi; Angelos, interrogatus, fuiſſe dixit. Quibus in verbis placidiſſimè obdormiuit in domino.

8 IN BELGIO Gandenſes Parthenij toti ciuitati egregio ſunt ornamento. Ex his diem clauſit extremum vir domi nobilis, ordine Senatorio clarus, Deiparæ Virgini admodum addictus. Eius religio in vitæ termino emicuit. Quo ſane tempore eò vitæ cœleſtis recordatio hominis mentem abſtulit, vt nihil in hoc mundo habuiſſe videretur. Accepto demum ſalutari viatico in hæc verba prorupiſſe auditus eſt: Quid moror in terris? cur in Dei optimi amplexus illicò non feror? Tum verò poſtulatam crucis imaginem complexus & exoſculatus humeris impoſuit, ſuauiſſimumque Ieſu nomen ingeminans, ſuauiter in domino quieuit.

9 INGOLSTADII hoc anno iuuentus in Sodalitio Parthenio nouus Scæuola, qui tandiu ſubiectis prunis manum impoſuit, quandiu aliam in corpore ſenſit ardere flammam.

10 FRIBVRGI ciuis quidam bono amici dolo attractus in conſeſſum Parthenium, Patrem de operum bonorum communitate, quam Sodales inter ſe participant diſſerentem, audiuerat. Inclinabat animum ad Congregationem, necdum procumbebat, dum germanus frater è ſcalis ſemimortuus decidens inclinatum impulit. Hic igitur ſollicitus conclaue intrat, pro fratris ſoſpitate Matrem clementiæ precatur, meliora pollicetur, ſe nomen Sodalitio

daturum vouet. Votum ratum habetur; æger ſenſim ſenſus, animoſque reuocat; poſt noctis medium incolumis ſibi reſtitutus. Retractabat adhuc alter votum exſoluere, pecunias pro voto offerebat; donec ancilla, quod mirum fuit, furore neſcio quo acta, Dominum inuadens differentem compulit, vt ſe Sodalibus adiungeret.

11 PARTHENII Treuirenſes feriâ quintâ maioris hebdomadæ tam gratis animis Paſſionis beneficium complexi ſunt, vt diem noctemque in oratione iungerent: nec ibi finem precandi feciſſent, niſi ad templa religioſè obeunda eos pia conſuetudo auocaſſet. Ijdem egenis tribus & decem præbuerunt epulum. Nec minori digna laude demiſſionis contentio in eorum abluendis pedibus. Præfectus Theologiæ Licentiatus peluim cæteris prærípuit; reliqui Sacerdotes lintea ſibi extorqueri non ſunt paſſi.

12 MOGVNTIAE, veteri Sodalitati noua hoc anno pro pueris adiuncta eſt, miro applauſu & fructu pueritiæ, quæ nullâ in re cedere vult maioribus. Itaque & iſti ad ſuorum Præfectorum pedes accidunt promptiſſimi, pœnitentiam in honorem Sancti ſui depoſcunt, corpuſcula ſua, licet alioqui ætas illa fugiat dolores, flagellis, & cilicijs affligere contendunt. Ex hoc numero puer nobilis cùm in vacationibns vindemialibus ad ſuos redijſſet, id effecit, vt ne ſe præſente, carnes apponerentur diebus vetitis. Conſtat quoque ex veteri Sodalitio quendam cùm ad ſuos redijſſet, & Sacellani Parochi munere fungi

cœpiſſet, quando Clerici omnes ob ingraueſcentem peſtilentiam fugâ dilabebantur, ſolum conſtanter apud ſuos poſito metu permanſiſſe; vt omnibus peſte laborantibus adeſſet, atque adeò, (ità placeret Deo) etiam animam in charitatis officio profunderet.

Herbipoli cœptus fuerat mos ante bienniũ, vt ſtatis quadrageſimæ diebus conuenirent Sodales, & poſt decantatum pſalmum, pœnas qui vellent à ſe exigerent publicis diſciplinis. Quæ res apud rudes ob ſuperfluam verecundiam; apud ſciolos propter Flagellantium hæreticorũ memoriam, in Germania pene infamis, hoc anno deterſa ſuſpicione ad priſtinam originem reuocata eſt, factoque Partheniorum in vulgus probata. Numerus eorum in ſeptimanas creuit; itâque nocte Paraſceues eſt auctus, vt ſeptuaginta viſi ſint in hoc certamen prodijſſe, viri graues, Doctores, Nobiles, Academici. Inſtituebatur certamen in publica aula, ad quam omnibus aditus pateret. Exciti ſunt famâ è ciuitate multi, & ex Canonicis Cathedralibus aliquot, quos omnes non tam permouit quàm obſtupefecit noua pietas, qualem Herbipolis nunquam ſe vidiſſe meminerat. Nam erat magnum ſilentium & quies: alij in preces ſupplices incumbebant, alij cantu & fidibus ſpiritus excitabant; qui in ſtadium erant deſcenſuri (quod fiebat per certas turmas) prodibant alij protenſis brachijs, alij coniunctis manibus inſtructi flagellis; ipſoque habitu & geſtu non minus quàm flagellationibus animos ſauciabant; vt 13

multis lacrymæ per ora defluerent, & confite-
rentur omnes ad diei iſtius veterem carnificinã
in memoriam Chriſtianis reuocandam, Chriſti-
que paſſionem exprimẽdam, nullum ſpectacu-
lum accommodatius, nullam illecebram ma-
iorem excogitari potuiſſe. Illuſtrarunt Sodali-
14 tatem qui magiſtratum geſſerunt, viri in ciuita-
te & Academia conſpicui. Quinetiam hoc tem-
pore clariſſimus Prælatus ità ſe gerit, vt omnia
ipſe Præfecti munia obeat: ventitat in conſiliũ,
ſententiam dicit, ad officium ſingulos publicâ
priuatâ oratione hortatur. Cupiuerunt ab hoc
ſtudio tanquam humiliori & ſe indigno non-
nulli eum auocare, quibus ipſe conſtanter re-
ſpondit, ſe in caſtiſſima Virgine poſt Chriſtum
omnes ſuas ſpes fixas habere: nihil dolere gra-
uiùs, quàm quòd à prima ætate Magiſtros non
habuerit, quibus ad colendam maturiùs fuerit
edoctus: nunc velle iuuentutis iacturam reſar-
cire, & omnes quos poſſet ſuo exemplo ad idem
pietatis ſtudium pertrahere. Fuit de hac ipſâ
Sodalitate adeò peuulgata opinio virtutis, vt
quos calamitas aliqua exciperet, ad hoc aſylum
15 opem flagitaturi perfugerent. Aliqui morituri
particulam ſuæ hæreditatis in Sodalitatem tran-
ſcripſerunt, non ſanè fruſtra. Idem enim hic,
qui legatum D. Virgini reliquerat, redditâ pro
hæreditario dono mercede, cœleſtes conſola-
tores in vitæ exitu habuit. Adſtabant morien-
ti duo è Societate, quibus illi: Aperiantur ſubi-
tò feneſtræ; non auditis ſuauem Sanctorũ An-
gelorũ cãtũ? qua in voce animã lętus expirauit.

Digitized by Google

MONASTERII adſcripti in Sodalitatem plures viri primarij, quorum vnus è vita diſcedens teſtimonium petijt inſerendum teſtamento, vt haberent poſteri ſuæ in B. Virginem obſeruantiæ certiſſima veſtigia. Irriſiones ob religionem conſtanti animo pertulere quidam. Vnus 40. taleros ſibi coram ſocio à parente iniectos in manum, & amplas promiſſiones, ſi à Scholis Ieſuiticis ad Caluinianas tranſiret, generosè contempſit. Extulêre Sodales, vt nouâ ita iucundiſſimâ pompâ, adoleſcentem filium ciuis Monaſterienſis. Conficiebatur tabe iuuenis: nec quidquam adeò angebat, quàm non adſcriptum eſſe in numerum Sodalium; id vbi infimis precibus extorſit, lætus diſceſſit. Subibant pheretro nobiles adoleſcentes; ſubſequebatur ordo Sodalium, effuſis ad ſpectaculum plurimis; ita placuêre exequiæ, vt optabilem dicerent huiuſmodi mortem, nec vnquam Conſuli tam honorificè parentatum. Duæ certe Virgines nobiles, argenteis donarijs & veſte holoſericâ Sodalitati donatâ, animum ſuum & piam quam è funebri pompa hauſerant voluptatem, teſtatæ ſunt. 16

CAESARAVGVSTAE, præteribat forte Sodalis imprimis honeſtus pontem quem Iberus ſubterlabitur; cùmque quo vehebatur equus, ex inopinato euentu concitari ac ferocire cœpiſſet, equitem in altiorem pontis crepidinem ità deiecit, vt excuſſus ex 17

ephippio, ſederet in ſumma trabe tranſuerſa: quod diuinitùs factum eſſe nemo dubitauerit, ſi parum attentius perpendat loci illius anguſtias, equi ferociam, & periculi magnitudinem. Redijt ad ſe pius videlicet eques, animaduertitque ſe recitare tunc roſarium in honorem D. Auguſtini qui ſibi eo menſe in ſortitione Sanctorum obtigerat.

18 HISPALI præter menſtruas omnium confeſſiones multi octauâ quâque luce iugiter Chriſti conuiuium celebrant, Mariani præſertim, quos Deiparæ Congregatio ad omnem diſciplinam, & religionem educat. Succiſiuas horas in aſſidua precatione traducunt; feſtis diebus ſub veſperam priuatum cœtum efficiunt, vt in lectionem piam, vtilem veteris hiſtoriæ narrationem, commodam vitæ perfectioris collationem, ac denique in veſpertinas preces intendant: quibus peractis adeunt Noſocomia, ſternunt lectos, conſolantur ægrotos, famelicos paſcunt, & eleemoſynis donant. Alumnos vitâ functos humeris efferunt, honorariumque funus in ſacello Congregationis proſequuntur, & in Collegij templo quotannis de integro faciunt iam ſepultis; quod & concione, & funebri oratione, & templi maximi cantoribus, ac ſymphoniacis cohoneſtatur.

19 IN MEXICO, eorum qui ad Latini ſermonis peritiam excoluntur in Collegio Guaxacenſi, ea pietas eſt in Beatam Virginem; vt ſuperior Collegij victus illorum precibus, &

Digitized by Google

vitæ ratione ſæpius poſtulatæ Congregationis poteſtatem fecerit. Quotidie in ſacellum D. Virginis congregati ſacram corollam, cœli Reginam ſalutantes, percurrunt; & facto non pœnitendi numeri cœtu, celebriorum dierum tempus, quod ab adoleſcentibus huius vrbis per luxum plerumque conteritur, in lectione ſacra, & alijs ex inſtituto Sodalitatis honeſtis muneribus, inſumunt. Dominica quam vulgus Bacchanalium appellat, domito ætatis vitio, & ſpreto popularium exemplo, pijs rebus intenti, ſeſe in Collegij ædibus continuerunt; & die quæ ſubſecuta eſt, nouo & inuſitato exemplo ad ſacram ſynaxim acceſſerunt.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 1599.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 35.

1 NEAPOLI, qui ſunt ex ſummo Sodalitio domus Profeſſorum, præcipuum Chriſtianæ pietatis ſtudiũ egregiè profitentur. Argumento ſunt res ab illis geſtæ, dignæ memoria poſteritatis. Cùm quidam Epiſcopus Sodaliũ inuitatu ad aram Sodalitij faceret, iamque cœleſtem de more panem ſingulis impertiret; aderat diuino conuiuio Sodalis quidam Epiſcopo propter veterem ſimultatem iratior, qui tamen ab illius manu cœleſtem animorum conciliatorem accipere non grauatus, mox peractis ſacris, inſpectantibus qui aderant, nobiliſſimis viris, ad Epiſcopi pedes accidit; ſeque accuſans diuturnæ alienationis veniam deprecatur, profusâ vi lacrymarum. Epiſcopus in amplexus hominis ruens incredibilem tanti viri demiſſio-

Digitized by Google

nem erubuit, ſtatimque ſubleuatum humo, in intimos animi ſinus excepit. Fuit ea res eò maiori exemplo, quò inferior videbatur illius viri dignitate tantam ſubmiſſionem exhibentis.
Alter non minori exemplo, grauiſſimis cri- 2
minibus per ſummam iniuriam inſimulatus, & ea re in tetrum carcerem, ſecretumque ab omni hominum commercio coniectus; iniquiſſimam calumniatorum improbitatem ità pertulit, vt in eos ne vocem quidem aſperiorem emiſerit; quinimò ſummam carceris ſolitudinem, non tam mœroris incitamentum, quàm piarum meditationum illecebram habuit. Ad extremum perſpecta hominis innocentia calumniam prodidit, & inſigne patientiæ documentum dedit.
Eſt & illud in more poſitum apud hos Sodales; 3
vt ſingulis annis eo die qui ſanctæ Magdalenæ ſacer eſt, ſumptuoſiſſimum epulum dent ægrotantibus in quodam Noſocomio amplius octingentis hominibus; idque tam liberaliter, & abundè, vt ex epularum reliquijs ad multos dies Noſocomio ſuppeditetur nō mediocre alleuamentum inopiæ. Adhibent ad conuiuium ſymphoniam è lectiſſimis vocibus. Adſunt eo die diſcumbentibus ægris nobiliſſimi quique de Sodalitio ad miniſtrandum accincti, nec vllam in tam humili miniſterio partem obſequentiſſimi famulatus omittūt. Et habet ſanè ſpeciē eximiam pietatis, Chriſtianæ ſubmiſſioni tam ingenuè mancipata nobilitas. Dato epulo ſingulis ægrotis ſua datur ſubucula: quod tamen hoc anno factum non eſt. Sed is ſumptus aliò

Digitized by Google

ceſſit: empti enim ſunt ægris quindecim lectuli, ad quos etiam pro tempore inſtruendos Sodales ipſi lineam, laneamque veſtem abundè ſuppeditant ex armario, quod ibidem in hunc vſum aſſeruant. Exhibent præterea ſemel in hebdomada familiare conuiuium, hoc eſt minus oppiparè comparatum, idque etiam vniuerſis ægrotis eiuſdem hoſpitij; cuius inſuper duos tantùm ordines, in quibus centum & quadraginta cenſentur, bis in hebdomada paſcunt. Porrò eorum, qui è vita migrarint, animas piacularibus quoque ſacrificijs iuuant ad aram priuilegio inſignitam.

4 In Collegio autem Neapolitano quadragenarum horarum comprecatio pro more quater habita fuit, ſolitâ pietate apparatuque. Mos prætèrea inductus, vt omnes ſextâ quaque feriâ flagro corpus affligent, idque ad ſpatium temporis non exiguum. Singulis etiam hebdomadis quarto die, ſolemni ritu Xenodochium, quod vocant inſanabilium ægrotorum, inuiſunt. Hic lauto conuiuio ægris dato, eorum quoque animos quà concentu deliniunt, quà ſpiritualium ſermonum paſtu reficiunt. Videre licet hoc loco iucundum ſanè Chriſtianæ demiſſionis cum ſæculi nobilitate commercium. Sodales enim quamuis nobiles, vel honeſti diſcumbentibus ægris ad omnia miniſtrant, ac præſtò adſunt famulantium ritu: non illi ægrotorum pedes abluere, non lectos ſternere, non ſolum verrere, non patinas ollaſque purgare, vel faſtidiunt vel erubeſcunt. Nec virorum So-

Digitized by Google

dalitio ſua deſunt incrementa virtutum. Eorum vnus colapho percuſſus in publico loco, tantùm abfuit vt grauius iraſceretur; vt etiam ab eo qui ſe tam grauiter læſerat ignoſci ſibi poſtularet, ſi quo vel facto, vel dicto talem contumeliam prouocaſſet.

Sed neque ſuis clientibus cœleſtis patrona 5
defuit. Nam & deploratam ſalutem multis inuocata reſtituit: & imminẽtem, ab inimico, cuiuſdam iugulo mucronem auertit. Cuidam manibus, pedibus, membris omnibus capto & prędedito viſa, ſæpius animum ad ſpem bonam erexit; futurum enim vt conualeſceret; neque aliter factum. Alter cuius os fœdum in morem intumuerat, cùm ab impijs hominibus incitaretur, vt à veneficis opem peteret, nefarium conſilium auerſatus, tantum Ieſu Mariæque nominibus ter inuocatis ad oris tumorem ſignum crucis appreſſit, itâque ſtatim conualuit. Alius ex editiſſima parte domus delapſus ad ruinam ligneæ machinæ, Deiparã inclamans, incolumis defertur ad terram, exceptus in ſubiectam calcem; ex qua tamen leuiter ambuſtus abſiluit. Nec obſcurum habet miraculum liberata cuiuſdam ſalus ab ingruẽte periculo. Is infeſtiſſimâ armatorũ iuuenum coronâ circundatus, dum in ſumma effugij deſperatione B. Virgini ſe commendat, ſtatim ab ignoto quodam homine manu prehenſus, tractuſque, in ædes ſuas quæ proximè aberant, introducitur. Hîc hominem adhuc trepidantem vir ille ignotus admonet, vt timorem deponat:

quo dicto ſtatim euanuit.

6 IN COLLEGIO Nolano admirabilis in primis viſa eſt, & præclara vox cuiuſdam nobilis viri è Parthenio Sodalitio: & hoc ſanè digniori hiſtoria, quòd pari comprobata facinore. Hic forte in medio foro palam iniurioſè laceſſitus ad ſingulare certamen, licet eſſet non imperitus armorum, negauit Chriſtiani hominis eſſe, prouocantis iniuriâ commoueri.

7 ADOLESCENS quidam è Parthenijs Collegij Salernitani cùm infenſam ſibi mulierculæ procacitatem, libidinemque fregiſſet, ſtatim ad Sodaſitium accurrit, & quam de fœdiſſimo hoſte victoriam reportarat B. Virgini acceptam retulit; quinetiam in ſignum grati animi flagello acriter ſe ipſe pulſauit. Alter ingerentem ſibi dæmonem libidinis faces, nec vllo abſiſtentem repulſu, tandem teterrimi odoris obſfactu, guſtuque fœdiſſimarum rerum, abegit.

8 AVENIONE quidam Parthenius è præcipuâ nobilitate, deſperatâ à medicis valetudine properabat ad mortem; ad quam vt tutiùs perueniret deſtinauit è ſuis aliquem, qui Patrem Sodalitio Parthenio præpoſitum admoneret conclamatæ valetudinis. Mirum dictu! Cùm primùm per Patrem re cognita Socij in preces effudêre ſe, melius habuit; & paucis poſt diebus omninò conualuit. Alter verò cum ei ad negotium magni ponderis obeundum ſalubri conſilio opus eſſet, pro ſua pietate ad B. Mariæ Donorum adit, & conſilij exorandi gratiâ

Digitized by Google

roſarium percurrit attentè; ad cuius finem cùm obdormijſſet, Virginem ſuauiſſima facie magna cum animi ſui voluptate videre ſibi viſus eſt. Expergefactus viſi vehementiâ precationem abſoluit, & ſpe plenus repetit domum. Ecce iterum nocturno in ſomno ſeſe videndam offert B. Virgo, certumque hominem nominat, à quo quid facto opus ſit, ediſcat. Vix illuxerat, cùm ille ipſe, quem pia patrona edixerat, pro foribus affuit, eiuſque præſenti patrocinio è certa pręſentiq; ignominia ereptus eſt. Duobus 9
è minori Sodalitio, ipſo Palmarum die, hoc cōtigit miſerabile. A prandio inambulabant ad Rhodanum, cuius inſpiciendi gratiâ inuitatu condiſcipulorum, qui aduenerant, carioſam cymbam conſcendunt, quam dum per ludum impellunt, ecce illa Rhodani impetu fertur in vortices agiturque. Imperiti nautę in tam inopinato exitu & exitio quid agant? Nauis erat exarmata, & verò inſtructa; ſed qui gubernet, nemo erat. Ergò ad uota confugiunt, Sodaleſque palàm Virginem implorant. Nec fruſtrà. Nauis cœpit ſtare, & conto qui vnus omnino erat impulſa, ad littus ferri; ſed tanto impetu, maximum vt eſſet periculum, ne in ſcopulos impingeret: ad quos cùm rectà Rhodanus ageret, ingemiſcentibus iterum pueris cum effuſa ad tam miſerum ſpectaculum multitudine, ad ſacram iterum votorum anchoram refugiunt omnes, Sodales iterum Virginem orant. Et quò clarius eſſet eius patrocinium, parentes puerorum qui aduolauerant, accepto de morte filiorum nun-

tio cum nautis paciſcuntur de ferẽdo ſubſidio; ſed illi iurant ſanctiſſimè nulla remorum vi eò temporì poſſe perueniri. Cùm igitur in ſcopulos toto impetu ferretur nauigium, repentè nudato ad enatandum Sodali funis piſcatorius apparuit, quo arrepto illud ſuſtinuit, ſenſimque regente fune deduxit ad littus incolume. Quid aliud hoc loquitur, quàm præſentem ſuis eſſe Virginis opem?

10 LOVANII illud in vno Sodali mirabile. Laborabat is annuâ ſcabie; vouit Virgini communionem octiduanam; nec voto fruſtratus extẽplò conualuit. Sed paulò poſt incuriâ propoſitum interrupit; nec mora iterum corripitur. Irati igitur numinis vindictam expertus, ad officium redijt, ac denuò ſanitatem integrã eſt conſecutus.

11 IN GERMANIA fuêre è Parthenijs collegij Dilingani qui SS. Benedicti & Franciſci exemplo, vincendæ cupidinis ergò, ſe abijcerẽt in ſpinas, & niues; aut digitum extenderent in ignem; aut pectora ſaxo tunderent; aut pugnos in faciem ſuam infligerent. Quidam ſex horis necem Domini flexo genu contemplatus eſt: alius ſtato vino abſtinuit, vt eo ſuccurreret inopi ægroto: alius viginti ſex diebus interdiu noctúque cilicium geſtauit.

12 FRIBVRGENSES Parthenij orandi, meditãdiq; laborem cũ carnis petulantis afflictione, prauarum cupiditatum moderatione, in Deũ & proximum charitate coniungunt. Liberalibus, in Sacello Collegij duodecim horarum preces

celebrarunt. Quidam exardeſcente libidine in niues ſe abiecit nudū. Alius corporis pulchritudine,&vano cultu elatior, ſalubria monita aſpernabatur; ſed adito B.Virginis ſacello, humilitatis inde hauſto ſpiritu, vanitatē deteſtatus, in lutū ſe abiecit, gregalibus illudendum obiecit. Alius ſuas corporis dotes ſuſpiciens, in locum mortuorum caluarijs aſſeruandis dedicatū deſcendit, earum oſculo & ſeria meditatione quā caducæ ſint res mortaliū, in ſui cognitione deſpicientiaque non mediocriter profecit.

A b v l ae in Hiſpania, duo ex Sodaliū numero mortui: quorum alter nobilis laicus. Hic ſe quotannis in ſpirituali palæſtrâ diuina commentans atque conſiderans exercebat; bis in hebdomada communicabat; & vxore conſentiēte thori genialis vſum hoc vltimo vitæ quinquennio neſciuerat. Fuit ergà inopes & ægrotantes officioſiſſimus. Quin & moroſæ cuidam mulierculæ, valdèque ingratæ, quæ ſe pro debilitate pedum mouere nō poterat, cibum quotidie de propriâ menſâ ſuppeditabat. Alter fuit Sacerdos, & generoſus, & ſanctus. Hic in ſacra altaris hoſtia immolanda horā ponebat;& cùm, Philippo Hiſpaniarū Rege audiente, cuius eleemoſynas quodam tempore diſtribuit, aliquādo ſacrū faceret, nihilò ſe celerius expediuit. Miſericordiæ Sodalitium ad pauperes ſubleuādos quod vn⁹ è Patribus Societatis erexerat, ille ſuis quaſi humeris à ruinâ ſuſtentauit. Nam cùm ex primarijs viros permultos aggregaſſet, author omnibus fuit, vt ſe in Collegio ſpiritualibus me- 13

ditationibus expolirent, ſeque ipſe primus exercuit; ex quo factum eſt, vt in egentes miſericordia maior eſſet, profecta quippe à purioribus animis. In hoc Sodalitio ijs, qui confeſſi erant ſacram communionem ipſe impertiebatur; ſocios venerabundus ad fletum incitabat; ægrotorum lectos ſuis manibus ſternebat. Quinetiam ſellas ad languidos in Valetudinaria publica deportandos introduxit; & ad maiorē ſui victoriam, vbi qui obierat pauper humatus eſſet, vacuum pheretrum per vias publicas pius veſpillo reportabat; quippe qui baiulis vtendum eſſe negaret, quorum euitata merces pauperum alendorum theſaurum augeret, ſoluta minueret. Quam ob cauſam frugaliſſimus erat, ſuaque temperantiâ multorum famem ſaturabat; ſibi parcus & inops, egenis liberalis, & diues. Caſtitatem denique licet Regis aulicus diligentiſſimè conſeruauit.

14 Bilbili à Parthenijs multa piè geſta ad vicinam peſtem auertendā. Nam & bis in hebdomada ſeſe flagris cæciderunt, & quotidie B. Virginis Litanias recitarunt.

15 In Collegio autem Gandienſi, quàm grata ſit Deo eiuſque Matri noua Sodalitas, vel illud argumento fuerit, quòd cùm tabella quæreretur in quam Sodalium nomina referrentur, inuenta, ſeu an diuino conſilio, quædam alium in vſum multò ante comparata, totidem ordinibus diſtincta locorum quot erant nomina ſcribendorum. Hi erant 56. quem numerum expleſrat quidam, qui ad diem dictum nomen ſuum

ſuum dare recuſauerat. Is nocte proximâ vigilans ità intimis ſenſibus angi premique cœpit, vt ſibi animam agere videretur. Et quanquam initio Sodalitatis recordatio animum ſtimulabat, in propoſito tamen permanebat. At cùm rurſus eodem angore premeretur vehementius, vt frigido ſudore manaret totus, viſo etiam ſplendore quodam, omninò ſtatuit apud ſe Sodalitatem inire; ſicque angor omnis abſceſſit, poſtridieque manè vbi rem omnem vti geſta fuerat expoſuit, in eam receptus eſt.

ANNVS CHRISTI 1600.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 36.

AVENIONE, inter Sodales B. Virginis cúm vir pius ſæpius admitti flagitaſſet, in grauem lethalem morbũ incidit. Moderatores re intellectâ hominem antequã moreretur, admittendum iudicarunt. Igitur venit ad ægrotum Præfectus cum aliquot Sodalium co- 1

mitatu, ſalutat humaniter, alloquitur: ſed qui reſponderet non erat; ſiquidem ęgrum ante horas quindecim, & vox, & ſenſus propè omnis defecerat. Pergere nihilominus Præfectus appellare hominem quis eſſet, & quam ob cauſam veniſſet, inſuſurrare. Res mira! vix audiuit Parthenicæ Congregationis nomen, & cauſam aduentus; cùm ecce veluti ex altiſſimo ſomno excitatus loqui cœpit; pronuntiare orationem eam, quam quiſque quo die admittitur, ſolet; alternatim etiam reſpondere ad hymnum in gratiarum actionem tanti beneficij; quo recitato ſimul obticuit. Moxque ſuauiſſimè patrocinio B. Virginis recreatus, obdormiuit in Domino.

2 PERILLVSTRE fuit cuiuſdam è Sodalitio Collegij Camberienſis factum, ac tutelaris Virginis ope præſenti planè inclytum. Erat is Marchionis cuiuſdā Secretarius. Cùm tardiùs, equo ſæpius ceſpitante, herum Principi obuiā feſtinantem ſequeretur, petulanti cuiuſdam cachinno exceptus eſt. Grauius id ille ſcomma tulit, & malum minatus eſt. Poſtridiè in vico ſibi cùm occurriſſent, recruduit dolor, & ad manus vtrinque ventum. Sed per inguen in imum ventrem ſiculâ lethale vulnus accepit Secretarius. Vicinam Chirurgi in officinam ſemianimis delatus; vbi ſpiritum mentemque aliquantulùm recepit, Confeſſarium requirit ocyus; ſimul viuatne qui læſerat, an liber effugerit; ſaluum ſe eum cupere, atque omnem ei vltrò noxam vitamque condonare. Quod idem

ſæpius Prætori iuſtitiæque miniſtris, qui ſuper ea re interrogatum venerant, & Principis iuſſu ſicarium proſequebantur, proteſtatus eſt. Adeſt confeſſarius, & è Sodalibus præfectus, & alij nonnulli. Magno conſcientiæ ſenſu confitetur, preces pacemque superûm & Sodalium poſcit, vnum veritus ne ſe aut mortuum ſuffragijs, aut ſuperſtitem cætu Sodales excludant. Aſſiduè in magnis doloribus & acerbiſſimis cruciatibus Litanias roſariumque Virginis percurrere, pacem nominatim ab ea expoſcere, meliorē frugem vitamque ſtrictiorem in poſterum polliceri. Socij de more inuiſunt, ſolantur, adſunt, Litanias B. Virgini tutelari, pro ſalute vitaque Sodalis, ſecundùm ſcholas veſpertinas, communiter in ſacello perſoluunt. Mirum dictu! Cùm ante orientem ſolem occubiturus diceretur (neque enim vulneris altitudo præ ſanguinis ebullientis copia explorari adhuc potuerat, & rupta ilia credebantur) plurimùmque ei febris illa nocte permetueretur; Sodalium precibus effectum, vt ſine fèbre commodè placidèq; quieuerit, & triduo poſt multâ ſanie & tabe ſponte de vulnere profluente, dubia & hactenus anceps ſpes vitæ, certa ſecuraque, (ſic tamen vt perpetuò ex coxa claudicaret) pronuntiaretur à medicis. Sed vt vitam, ſic coxam integram ſeruauit patrona Virgo, vulnere ſane admirando, vt ſica quaſi ad artis oſtentationem impacta, neque viſcera in imo ventre, neque neruos aut muſculos in inguine grauius læſiſſe ſit inuenta. Statim vt tantillum ingredi potuit, voti reus, &

moræ impatiens ad Sacram Euchariſtiam in tẽplum Collegij pedes perrexit, & paulò poſt in Sodalitio veniam cum lacrymis ab vniuerſis Sodalibus petijt.

3 In hoc ipſo cœtu numerantur aliquot diuerſarum familiarum Religioſi: qui alios item Religioſos exemplo & monitis, tum ad arctiorem diſciplinam, tum ad Sodalitatem pellexerunt. Benedictinus ex ijs, monaſterij haud procul à Geneua Superior, prius exercitijs ſpiritualibus ad aliquot dies excultus, auctoritate exẽploque ſuo monachos ſibi ſubditos ad meliorem arctioremque diſciplinam traduxit; atque ad eam rem teſtatur plurimum precibus Sodalium ſe profeciſſe, quas identidem per litteras popoſcit. Sanctorum, qui in ſortitione menſtrua ſibi obtigerint, ſtudioſiſſimi ſunt: eoſque nonnulli in patriam reuerſi etiam à viginti & amplius leucis expetunt, & ad ſe perferri magnâ religione curant.

4 E SODALITATE Collegij Bizuntini, vnus morti proximus ſyndonem, qua proximè ſepeliendus erat, voluit ſemper habere ad caput, homo ſimplex ac feruens ſpiritu: qui præterea Crucifixum ità alloquebatur, ſæpiſſimè ob oculos poſitum, vt eſſet ſpectantibus ſtupori. Narrauit ipſe Patribus Collegij quibuſdam, audijſſe ſe vocantis tubæ ſonitum, viſos Angelos ipſo D. Michaëlis feſto die, Diuum eundem apparuiſſe, hortatum eſſe bono foret animo, vitam ſuppeditaturam: quinetiam duos è Societate lætâ occurriſſe fronte, qui ſe monerent de recu-

peranda valetudine, quarę vię plurimum adhuc ſupereſſe, & laboris pro Dei gloria ſuſcipiendi. Viſum ſecuta eſt valetudo, præter medici ſententiam teſtantis miraculum. Alterius Sodalis crus plumbea glans affecerat, caſu neſcio quo, mortem vt immaturam inde Sodalitium illi timeret. Et quidem, vt globulus extraheretur, adhibenda erant flamma & ferrum: ea verò ità patienter tulit, nullum vt ederet penè doloris ſenſum, niſi vſurpatione nominum Ieſu & Mariæ. Planè è materno Deiparæ ſinu haurire ſe talem patientiam prædicabat adoleſcens: qui vt conualuit, globulum B. Virgini in beneficij memoriam attulit. 5

Ingolstadii in Germania, vnius ex maiore Congregatione B. Virginis, memoranda extitit charitas. Studioſum vehiculo ex Hũgaria aduectum, febri vel inſaniâ potius laborantem, hoſpitio & lecto ſuſcepit ſuo, eique omnia obſequia diū noctuque exhibuit. Morbus à peregrino in hoſpitem ipſum migrauit: qui vitã illius, morte ſuâ redemit. Aeger autem oſtendit, quantum religioni ſtuduerit ſanus. Perpetuò aliquid orabat; inſaniebat propemodum ſine inſania, adeò precibus, obedientia, comitate circumſtantes exhilarabat. Defunctus & ſepultus eſt magnâ pompâ; iuuenis non modò virtutis, ſed & ingenij doctrinæque ornamẽtis ità excultus, vt præceptor eius diceret Principi Cancellarium eſſe mortuum; adeò iam in Iuris cognitione proceſſerat. Vniuerſa illum Academia ſic luxiſſe viſa eſt, vt nullum ex 6

ſtudioſis alium.

7 E PARTHENIIS Collegij Monachienſis, vnus libros hæreticos in amici bibliotheca repertos non paucos in conſpectu illius libentis, aut certè non repugnantis exuſſit.

8 AB AVGVSTANIS verò Sodalibus bini ad fidem reducti; libri impij ablati; coëmpti ſaniores; cætera vſitata virtutis opera non omiſſa.

9 EX HALENSI Sodalitio quidam bis terue pauperem quæſiturus domo exiuit, inuentum domum duxit, cibo refecit. Parauerat alius duro labore paruulam pecuniæ ſummam; quam cùm optimè collocatam eſſe cuperet, B. Virginis ſacello donauit. Quidam pro impetranda adoleſcentibus caſtitate totum menſem lumbos magno conſtrinxit fune. Quem ſéquenti menſe imitatus eſt alter, additis pluribus eiuſdem generis: quorum intentio præcipuè prædicanda.

10 EX FRIBVRGENSI quoque Sodalitate quidam ad conuiuia lauta ſæpè inuitatus, vt cupiditati frœnum inijceret, delicias eas non tantùm repudiauit (periculum peccati imminere præſentiens;) ſed dum alij genio indulgent, ille domi proſtratus Deum pro noxis quæ inter pocula contrahi ſolent, ardenter deprecatus eſt. Diuorum Franciſci & Benedicti exemplo nonnulli, ex iuniperis lectulos ſibi compoſuerunt, & ſuper illis horas aliquot, aut etiam integras

11 noctes corpus volutarunt. Aliqui vt flammam libidinis reſtinguerent, ſe nudos in niues pro-

iecerunt. Accidit, vt cuidam faces impuræ veneris à procaci muliere, tum verborum lenocinijs, tum munuſculorum pollicitationibus ſubijcerentur. Cùm iam ſerpentem flammam in pectore perſentiret, ſubit animo promiſſum Deiparæ factum, ſimulque diuinæ offenſæ recordatio; atque ita non tantùm ſe, ſed etiam mulierem ſermone de ſempiternis flammis habito, ab hoc incendio fædo liberauit; itâque illam perculit, vt facta peccatorum expiatione à prioris vitæ turpitudine ad honeſtatem ſe receperit.

12 IN SODALITIO Collegij Treuirenſis pridie Natalis Domini poſt breuem in oratorio de Saluatoris amore & humilitate ſermonem, Præfectus eximia pietate Sacerdos, vt illud exēplum imitaretur, poſitis humi genibus, opus aliquod pium, quod exequeretur, imperari ſibi petijt. Quem reliqui facto illo piè commoti, certatim ſequebantur. Sed inſuper egregia virtutum illarum documenta in Noſocomijs præ-

13 ſertim, ediderunt. Sanctioris autem hebdomadæ præcipuas ferias hunc in modum celebrarunt. Quartâ feriâ bini incedentes templa obiuerunt, atque in ſingulis ſtatos pſalmos & Litanias, præeunte Præfecto pro neceſſitatibus Eccleſiæ recitantes, valdè pietatem populi accenderunt. Feriâ quintâ, cænæ Dominicæ typus quidam exhibitus eſt, quando duodecim è Sodalitio delectis pauperibus epulum præbuerunt apparatiſſimo loco, & argenteâ ſupellectili inſtructâ menſâ. Miniſtrabant præcipui quique

Philoſophorum ac Theologorum, qui vſq; ad lances abluendas, magnâ ſe ſpiritus alacritate demittebant. Ipſe verò Vniuerſitatis Rector Doctor S. Theologiæ cænatis illis pedes lauit, & eleemoſynâ pecuniariâ ſingulos perliberaliter donauit. Feria ſexta obſcurato peripetaſmatis oratorio Sodalitatis, duodecim horis comprecationes ac meditationes, aliaque pietatis exercitamenta continuarunt.

14 MOGVNTINI Collegij Sodales, cùm initio Quadrageſimæ intellexiſſent, ipſorum preces & pia opera à R.P. Generali Societatis Ieſu poſtulari; omnes ſe quàm libenter & liberaliter obtulere, ac præter ea quæ ſibi quiſque priuatim facienda delegit, omnes communiter quâque hebdomade quaternis diebus Litanias in oratorio ſuo recitarunt; aut Muſicâ pſalmodiâ decantato quinquagenario pſalmo, & prælatâ cruce, nunc duodeni, nunc viceni corpora ſua duobus per hebdomadam diebus diuerberarunt. Huic communi Sodalium ſtudio id amplius Conuictores adiecerunt, quòd publica illa in ſe animaduerſione non contenti, quâque feriâ ſextâ, & per ſacram hebdomadam quotidie in carnem ſuam deſęuierint. Quorum & illa propria laus eſt, quòd omnes nomen Sodalitati dederint; quòd octauo quoque die ad pedes Sacerdotis accidant, plurimi quoque ſacræ menſæ accumbant; quòd profeſtis B. Virginis ferijs ieiunio, cilicijs & diſciplinis ad cõmunionem ſe comparent.

15 Sodalis quidam à parente cogebatur nauigare in Angliam, vt ibi

mercaturæ faciendæ exerceretur. Verùm ille ne fidei & pietatis naufragium faceret, maluit omnium fortunarum, quas à patre ſatis copioſo expectabat, ancipitem aleam iacere. Itaque petito à Sodalitate teſtimonio longè gentium abijt, tantillum doctrinæ in paupertate collecturus, quantum ſatis ſit aliquando ad ruſticanos homines pietate Chriſtiana imbuendos.

HEILIGENSTADIANA ſcholaſticorum Sodalitas hoc primùm anno flagellis vti publicè cœpit, antè ſepulchrum Dominicum in templo Collegij erectum. Res noua, multitudini quæ deuotionis cauſa confluxerat, primùm cũ admiratione horrorem incuſſit, tum lacrymas publicumque eiulatum elicuit, etiam illis ſi qui in Italia Hiſpaniaque id frequenter vidiſſent. Nimirum præ gaudio flebant, quòd in locis hæreticâ prauitate horridis, auitæ pietatis ſuauitas reſpiraret. Factũ abijt in exẽplum. Venêre deinde complures enixè petẽtes pęnitentiæ inſtrumenta: eſtque deinceps vſurpatum multis, peccatorum à ſe pœnas flagris expoſcere, & carnem cilicijs edomare. Quòd præterea lites componere, ad exomologeſim peccatores adducere, libros hæreticos magno numero ad Collegium hoc deferre Sodales conſueuerint, cum alijs ferè Collegijs eſt commune. 16

IN MOLSHEMIENSI Sodalitate tam B. Virginis, quàm SS. Angelorum, illud præcipuè animaduerſum; plęroſque quos antea in diſcendo ſtupor & tarditas obtinebat, mirificè, poſteà quàm in Sodalitatem cooptati ſunt, immutatos fuiſſe. Agnoſcunt ipſi nimirum ſuis 17

ingenijs offuſam quaſi nubem, Sacramentorum frequentatione diſcuſſam.

18 De Monasteriensibvs Parthenijs multa dici poſſunt quæ peculiarem commendationem promerentur. Ex his in varios VVeſtphaliæ ludos alij ſunt expetiti, alij verò ad obeundam animarum procurationem, curiosè conquiſiti: qui deinceps illis muneribus adhibiti, præclarè conceptam de ſe ſpem & opinionem ſuſtinent, atque etiam ſuperant. Vnus præterea reuocatus domum, in Friſiam, familiares ſic omni arte percoluit, vt domus cænobium perbenè conſtitutum videretur; ità roſaria, preces, alia ſanctitatis officia frequentabantur. Nec minus ardens fuit aliorum in ſimilibus officijs ſtudium, quos breuitatis cauſa omittimus; vt & eos, quorum in obitu præclara virtutum exempla emicuerunt.

19 Vnus tamen omninò tacendus non eſt, vir omni hoc tractu, virtutis famâ celeberrimus, Cathedralis Eccleſiæ Oſnaburgi præpoſitus; qui in extremis cùm eſſet, propinquorum hæreticorum ſeptus coronâ, Sacramenta nihilominus perquàm religiosè accepit; nec ſubmoueri à lectulo ſuo cilicium, funemque ſetis hiſpidum ante mortem eſt paſſus. Fratriam quoque Caluino impensè deditam adegit, vt ſponderet, nepotes ex ſuo germano fratre, piè admodum educatos inſtructoſque abs ſeſe, curaturam porrò à Catholicis perdoceri.

20 Nec prætereundum miraculum, cui Sodalis ex parte adfuit. Viderat

ille in finitimo quodam pago SS. Euualdorum memoria inclyto, reliquias in altari intectas obſitaſque puluere, & manibus omnium expoſitas. Suaſit igitur Curioni vitrum obduceret, honeſtiuſque collocaret. Ità factum. Paucis pòſt diebus horribili incendio exarſit tẽplum, quod fornicem turrimque præcelſam egit in prȩceps. Sed cum rueret turris in ſubiectas cœmeterij cruces, latronum imagines funditus obtriuit; Chriſti autem pendentis ſtatuam ex ſaxo cæduo cum appoſita tabella non læſit. Imò cùm teſtudo procideret, aramque diſturbaret, lipſanotheca etiam obruta ruderibus permanſit illæſa, ne vitro quidem violato.

E Sodalitio Collegij Embricenſis vnus cùm grauibus moleſtijs afficeretur, voluntaria diuerberatione alijſque pietatis officijs perfunctus, ad ſacram menſam tantâ repentè ſpirituali lætitiâ exultauit; vt poſt dies aliquot eius beneficij commemoratio vberes adhuc ei lacrymas eliceret. Alius cùm enixè Deum rogaſſet, gratiam ſibi dari ad peccata lacrymis delenda, tantam earum copiam conſecutus eſt; vt adeſâ luminum vi pro ijs ſiſtendis precari debuerit. 21

In Polonia è Sodalitate Bransbergenſi, duo alũni Pontificis, cùm ſuos cognatos hȩreticos viſẽdi gratiâ in patriã ſe contuliſſent, nullo prorsᵘˢ conatu ab ipſis perſuaderi, nullis vexationibus miniſue pertrahi potuerunt; quo minus confirmatis animis præfixo temporis ſpatio 22

redirent; ne minus firmum animi conſilium mutari,aut iam firmatum ad meliora propoſitum labefactari poſſet. Maior adhuc in altero & genere & moribus inſigni adoleſcente animus, cuius in fide Catholica à parentibus & cognatis hæreticis mirificè fuit pertentata conſtantia. Hic iuuenis in ſeminario Pontificio ad meliorem ſuorum ſtudiorum habendam rationem, non ob penuriam aliquam,cùm prædiues eſſet, bonis artibus ſedulò vacabat.Vocatur interim in patriam. Vbi complures paulo poſt vt ſtudia deſereret, vt Papiſtarum, ſicut ipſi vocant, deteſtaretur idola, vt in deligendo vitæ genere non ſuo proprio ſenſu, ſed prudentum virorum & parentum potius acquieſceret iudicio ac voluntati, multis fucatis verbis atque blanditijs,eius animum peruertere conati ſunt. Sed ipſe à ſententia dimoueri nõ potuit; quinimò clam abijt, in monaſterium ſe abdidit, obſequioque diuino penitus mancipauit. Alter eiuſdem domus alumnus in patriam Daniam reuerſus, & à Rege per occaſionem domi rogatus, vbinam litteris operam dediſſet; non ſolùm magna animi libertate quod res erat confeſſus eſt, ſed etiam periculo profectus litterarum per præcipuum Miniſtrum regiâ auctoritate facto, ità Societatis Ieſu ſcholarum exiſtimationem ſuſtinuit, vt præter inſignem laudem, holoſericam etiam veſtem, regium munus reportarit. Alius denique in Noruegiam patriam ſuam rediens, eò non paucos adduxit, vt Catholicæ fidei adhæſerint; inter quos fra-

trem ſuum virum doctum iuxtà ac Theologum, fœliciter deduxit.

23 MESSANAE in Sicilia, vir nobilis & Parthenius, colapho petitus ab homine deterioris ordinis, inſignem contumeliam (quæ ſunt mũdanæ leges) obliuiſci non poterat. Sed à Patribus Collegij commonefactus, inſigniter non acceptam quidem iniuriam, ſed præfractam ſuã vlciſcendi libidinem vltus eſt. Die enim Annunciatæ Virgini ſacro confeſſione expiatus, Patre, qui Sodalitio præeſt, & viro alio nobili comitatus, domum illius proficiſcitur, à quo læſus fuerat; ad pedes accidit; veniam petit; paceque in perpetuum conciliatâ, ad ſacram Euchariſtiam ſumendam ſe retulit. Vulgatum facinus ciuitatem omnem, tum admiratione, tum lætitiâ plauſuque compleuit.

24 Ibidem Sodalis quidam Magiſtratus vrbis, quòd honeſtum hominem publico in conuentu contumelioſè læſerat, Congregationis Præſidem orauit; vt ad frequentem Sodalium cætum de crimine illo verba faceret, omnibuſque renunciaret hominem facti pænitere, reumque ſe agnoſcere, ac de iniuria planè ſatisfacere velle. Tum ille ad pedes ſingulorum deoſculandos procumbens, doloris ſignificationem dedit; donec humo ſe tollere iuſſus fuit.

25 MELITAE in eodem regno iuuenis quidã B. Virgini deuotus ſacrum illi recitabat officiũ, ſtatiſque diebus cibo abſtinebat: ſed quamuis ſæpius confiteretur, à graui ſcelere non temperabat. Erat illi affinis integrior, atque ob id in-

tegritatis Parenti carior. Hic ſecundùm matutinam quietem videre ſibi viſus eſt B. Virginem niueo indutam amictu (qualem geſtare ſolent ſacræ Virgines in monaſterijs) vltròque dicentem vocari ſe, de more ſanctimonialium, ſororem Mariam. Tùm illi præcipit, vt affinem ſuũ ſceleris commoneat, æternumque ſupplicium timere iubeat: diu enim ſe iratum Dominum delinijſſe precibus, qui iampridem alioquin igneum dextrâ fulmen ſtrinxiſſet. Vno verbo, ni deſiſtat, omninò fulminandum edicat. Monitus ille, pollicetur B. Virginis dicto obedientem ſe fore, generalem confeſſionem facturum, diuinam miſericordiã agnoſcere. Homo, haud certè propoſiti tenax, diẽ producit. Igitur ecce tibi miſerationum mater iterùm ac tertiùm ſe vidẽdam proponit; Ito, inquit, hominem commoneface, meliorem vitæ modum ſibi conſtituere iube: & quò verum eſſe viſum credat, adijce locum, & tempus, & perſonam flagitij participem. Ille omnia ritè narrauit, quæ humanitus ſciri non poterant. Vicit tandem B. Virginis charitas duritiam hominis; qui ingratitudinem ſuam deflens, votis precationibuſque cœlũ onerauit, Beatæque Virgini magis ac magis addictus, Sacramentis frequentandis, ſabbatis pani & frigidę conſecratis, cæteráque gratæ mentis ſignificatione memorem tãti beneficij gratumque ſe præbuit. Vtque ſanctiſſimæ genitricis pietas ergà mortales propagaretur, à confeſſario rem omnem, præter nomen, vulgari voluit.

Digitized by Google

NEAPOLI moris eſt apud Parthenios domus Profeſſę, honoratorũ ciuium inopiam ſubleuare corrogatis in eum vſum mille ferè & quingentis in annum aureis : vt omittam conuiuia pro ægrotantibus, & piacularia ſacra pro morientibus in noſocomio : de quibus anno ſuperiori. Ex ijs vnus à quodam per errorem grauiter vulneratus, poſt ſeptimum diem tanta animi æquitate deceſſit, vt ſuos identidem enixè rogaret, ne quid in ſuum interfectorem acerbius cogitarent, aut agerent. Idipſum cùm à matre cui vnicus erat, omni ratione contenderet, nec illa deſineret furere: Mater, inquit, ne, quæſo, mihi iter ad cælum impedi; Chriſtum tibi, ſi ſapis, pro me in filij locum opta; cui ego, quòd me hoc mortis genere dignatus eſt, ago maximas gratias. Inter hæc, cùm nihil niſi de cæleſti patria vel audire, vel loqui vellet, ad extremum Chriſti crucifixi effigiem arctè complexus, ſuauiſſimè expirauit.

26 27

Ibidem è Parthenijs Collegij obijt adoleſcẽs, & generis & virtutum ſplendore clarus. Is (quod in homine ſtudijs dedito admirere) non ſolum quotidiè omnes Chriſti Domini cruciatus ſtatis horis meditabatur, ſed etiã quinquies in ſingulas noctes eius meditationis causâ ſurgebat è lecto; cæterùm acer & aſſiduus in afflictando corpore, ſic vt eius rei moderatio imperanda homini fuerit à confeſſario, cuius ille pręceptis non parere nefas putabat. 28

NOLAE in Italia nobilis quidam ciuis è Sodalitio, cùm vita functos frequentiſſimis pie- 29

tatis officijs iuuare conſueuiſſet, ſingulari animarum Purgatorii viſo monitum ſe eſſe teſtatus eſt, vt ſe ad ſubitam mortem quàm celerrimè compararet: qui ſtatim totius vitę peccata confeſſus, in ſumma valetudinis firmitate ſubitò occidit.

30 IN OPPIDO quodā Conſentiæ ciuitati vicino inſtituta erat à Patribus Societatis Sodalitas hominum, qui præcipuum colendæ pietatis inſtitutum profiterentur. Fortè vnus eorum minus probatis moribus, & quòd graues inimicitias gereret, in officio adeundi Sodalitij nimis infrequens, cùm ſæpè admonitus fuiſſet, vt reſipiſceret, nec ille remitteret contumaciam; ad extremum præciſè denuntiatum eſt homini, fore vt niſi Sodalitium frequentaret, Sodales illum expungerent. Ad hæc ille indignabundus: Ego verò, inquit, ad Sodalitium tunc ſcilicet veniam, cùm hoc mihi caput abſciſſum fuerit, & hæc crura membraque ſimul. Et hæc dicens, corporis ſui partes ſignans, certum ſibi interitum portendebat. Paulò poſt enim cùm incidiſſet in manus inimicorum, miſerabiliter interfectus eſt, diſſectuſque eâ prorſus conciſione membrorum, quam ſibi ipſe ominatus antea fuerat. Res apud vulgus in miraculis fuit. Conſecuta ſtatim opinio celebris, eademque ſalutaris, Deiparam ſui Sodalitij deſertorem diuinitus mulctaſſe tanto ſupplicio, vt alios à tantæ defectionis periculo deterreret. Iam vnius exitio docti multi ex Sodalibus diligentius ad inſtitutum

ſtitutum incumbunt. In primis verò ipſe eius qui necatus eſt germanus frater, omnem Chriſto facilè donauit iniuriam; ratus diuinâ potius vltione fratrem eſſe mulctatum, quàm humanâ crudelitate interemptum; Quinimò hanc fratris calamitatem pro documẽto habuit pietatis ſtudioſiùs amplectendæ.

31 E PARTHENIIS Collegij Beneuentani vnus, poſt acceptum publicè colaphum, in ſumma vlciſcendi facultate æquiſſimo animo eam iniuriam amico donauit: mox iterum rogatus ab alio, vt parceret inimico, quò animi ſui æquitatem teſtificaretur, ad pedes illius, multis inſpectantibus accidit, eòſque cum lacrymis oſculatus eſt.

32 BRAYDENSES Parthenij Noſocomia sũmâ cum alacritate petunt, ſternunt lectos, ſordes expurgant. Singularis vnius ſe virtus prodidit in egregia, quam de ſe retulit, victoria. Perhorreſcebat bonus adoleſcens nomen, & aſpectũ loci; cùm diuino tandem impulſu animam agitante, Patrem Congregationis adit, imbecillitatem ſuam exponit, ſibi eſſe in animo ſeipſum vincere. Conſtitutâ ergo die adeſt bene manè, & ad infirmos ſe confert cum Sodalibus. Ecce tibi ad loci aſpectum expalleſcere, horrere, titubare, ſudore madere; ſed obfirmato Chriſti amore animo cubiculum ingreditur, terram oſculatur, cœleſte numen implorat. Nec mora, ſtrenuè ſeſe ad opus accingit, pallium abijcit, ſternit lectos, tractat culcitras tantâ animi alacritate, vt cæteris omnibus eſſet incitamẽ-

33 to. Nec in diſcruciando corpore ardor deſuit. Quippe nonnulli cum flagro carerent, cingulis ſe ferro præfixo diuerberarunt. Ijdem doctrinæ Chriſtianæ rudimenta docent; pueros in tẽplum cogunt; non ſine munuſculis in hũc vſum comparatis. Illud verò & viſu pulcherrimum, & iucundiſſimum auditu, cùm pedes inter ſe deoſculantur, cùm mutuò errata palàm aperiunt, cùm ſibi delatos reſpuunt honores, cùm lectiſſimi quique bis intrà hebdomadam cõueniunt, vt de rebus diuinis & pijs commentationibus aliquid audiant. Id porrò Virginis in ſuos præſentiſſimum declarauit auxilium, cùm obequitantem edito cliuo è Sodalibus vnum, equus fallente ueſtigio non ſolùm excuſſit, ſed etiam ad imum, ſine vlla prorſus offenſione, deuoluit.

34 E Genvensi Sodalitio quidam iam aliquot dies perenni laborabat profluuio alui, ſomni penitus & quietis expers. Inuiſitur, recitantur Litaniæ, ter B. Ignatij reliquijs ſuper ægrotum crucis efformatur ſignum. Eâdem nocte leniter obdormiſcit æger, tùm duas horas arctiſſimo ſomno detinetur: quo ſomno & morbum expulit. Adeſt poſtridiè medicus, & miratur adeò repentè conſtitiſſe fluxum. Verùm ægroto ſenſim ad perfectam redeunte ſanitatẽ, intellexit facilè & apertè confeſſus eſt, non humanæ id opis, ſed diuinæ fuiſſe.

35 In Hispania è ſcholaſticis Collegij Occanienſis vni qui Congregationi Partheniæ nomen dederat, minus tamen

probo adoleſcenti, contigit quoddã ſpectrum: quod quia rarum eſt, breui dicamus oportet. Is aliquando in ſomnis ſequentem ſe dæmonem ſenſit: quem pro viribus conatus effugere, defeſſus tandem conſtitit. Hic obiurgat iuuenem dæmon, quòd fruſtrà in abluendis animæ maculis laboret: quippe qui ſe ſuamque animã illi tradiderit. Quæ cùm ille audiſſet trepidus quęrit aliquid, quo poſſit dæmonem propulſare. Arripit librum, & illo moleſtum percutit monſtrum; ſed fruſtrà, donec, cùm ſe Congregationi Virginis Matris adſcriptum meminit, precibus recurrit ad Virginem: quam dilabentem è cœlis ſibi viſus eſt videre, quę dæmonem propulſauit; *Faceſſe hinc horrendum monſtrum, meus eſt hic adoleſcens, cuius animæ ſalutem à Deo O.M. impetraui quòd Roſariũ quotidiè meum piè mihi perſoluat.* Tũc verò iuuenis pro tanti beneficij magnitudine gratias agens immortales Virgini, non ſemel tantum Roſarium quotidiè, ſed bis poſthac recitaturum ſeſe promiſit. Excitatur à ſomno è naribus emittens ſanguinem, quo rubentem librum in lecto, eiuſque membranam dilaceratam, reperit.

VALENTIAE in eodem regno Sodalitas domus Profeſſæ quæ eſt nobilium, hoc anno trecentos, omni humana deſtitutos ope, è vinculis liberauit. Sodalitium alterum, etſi nobilitate inferius, non tamen virtute & pietate: è quo inter cætera, hæc ad memoriam inſignia. Sæuiente hoc anno dirâ quadam ac peſtiferâ lue in Valentino agro, fuêre fermè ſeptuaginta, 36

& in ijs non pauci qui nudis pedibus, duobus è Collegio Patribus viæ ducibus, Deiparæ ædes (diſtant eæ ab vrbe milliaria nouem) Litanias aliaſque ſacras preces in via piè recitantes compoſito agmine, pro communi ſalute ac bono deprecaturi, petierunt. Ablutæ ibi animi ſordes, ſalubri diuerberatione corpus ſubactum, ſummâ ſpectantium admiratione domum regreſſi.

37 Celebrarunt ijdem primi in hoc Hiſpaniæ tractu non ſine celebri pompa & apparatu diem, quo B. Ignatius è viuis exceſſit, ſerico periſtromate ornato ſacello; in quo Patris æterni Ignatium eiuſque ſocios Chriſto commendantis imago colitur. Res ex animi ſententia ſucceſſit.

38 E PARTHENIIS Collegij Valentini quidam, cùm ſui oblitus quendam in foro multis coram arbitris malè verbis accepiſſet; tanto eſt ſequēti die dolore tactus, vt pertæſus facti protinus laceſſitum eodem loco conuenerit, & ad genua prouolutus, veniam ſupplex obtinuerit: eoque pacto, obſtupente circumfuſa plebe, & reſtitutus honor, & redintegrata amicitia. Cùm verò comperiſſent aliqui adoleſcentem colaphos matri impegiſſe, ei vt intereſſet exemplo, ſuaſerunt. Nec fefellit ſpes; ſic enim ille narrantis verbis commotus eſt, vt nec ſuſpiria cōprimere, nec lacrymas continere poſſet. Domum inde regreſſus, & matris pedes ac manus non ſemel deoſculatus, veniam exorauit.

39 IN SARDINIA, Sodalitium Saſſaritanum, quam ſit vtilis Congregationis aſſiduitas, exem-

Digitized by

plo vnius agnouit. Aegrè tulerat iniunctam pęnitentiam : diſceſſit eo animo, vt nunquam Congregationem adiret. Gerebat miſer cum alijs inimicitias, qui cum impigrè per viginti eũ dies quæſijſſent, tandem eodem die, quo animum non redeundi ad Congregationem ceperat, in eorum manus incidit graui accepto vulnere in facie. Reſipuit accepto malo, & mentem malam depoſuit, ſeque in pœnam criminis eo vulnere affectum eſſe intellexit.

ANNVS CHRISTI 1601.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 37.

IN ITALIA, quidã è Neapolitano Collegio Parthenius 1
quendã nouerat nefarijs implicari ſceleribus, eiuſq; etiã cõditionis eſſe, vt in grauiora quotidie facinora erupturus videretur. Quapropter zelo diuinę glorię ſuccẽſus artes verſabat omnes, quo infelix ille, ex infami vitiorũ cœno emergeret. Cùm ars

nulla caderet è ſententia, accidit vt aliquādo ei per vrbem ambulanti obuiam fieret. Arripuit auidè oblatam occaſionem, & blandè hominem appellans, ſecretò quædam ſe magni momenti cum eo communicaturum affirmauit, ſi ad proximum vſque templum ſe ſequi vellet. Ille cōditionem non aſpernatus, templum ingreditur. Vbi Sodalis, imploratâ primū diuina ope, tā efficaci oratione hominē aggreditur, vt primo cōgreſſu manus ſe victum dare, & ad meliorem frugem recipere vir ille cupere ſeſe, fateretur. Verùm (inquit) cùm eo lucro, quod ex hac vitę ratione mihi prouenit, domus anguſtias vtcumque tolerem, quodnam honeſtum vitæ genus inibo, in quo mihi fame pereundum non ſit. Tum Sodalis, Quinque, inquit, denarios in dies ſingulos meis mihi laboribus parare conſueui; horum tu duos accipe, teque vitamque tuam tuere. Permotus eſt homo non oblati lucri magis vtilitate, quàm flagrantiſſimâ Sodalis charitate, manantibuſque lacrymis oblatam cōditionem amplexus, inſtitutam vitæ rationem abiecit.

2 ALETII, quidam cùm è B. Virginis filiorum cœtu defeciſſet, & in omnem libidinem pronus vitam ageret; noctu per ſomnium fœdiſſimum Aethiopem in aula homines in fruſta cædentem conſpexit. Quo aſpectu perterritus, ac quid conſilij caperet incertus, videt mulierem formoſiſſimam, è cuius vultu tantum fulgoris & gratiæ emicaret, vt facilè Dei Matrem agnoſceres. Hæc ad adoleſcentem conuerſa, *Quampri-*

mium, inquit, ſæuiſsimas huius Aethiopis manus experiere, niſi ad priſtinum vitæ genus redieris. Diſcuſſo ſomno cùm diu anceps flagrantiſſimis precibus à Virgine expoſceret, vt viam præmonſtraret quâ eundum eſſet; inter orandum mulier niueo fulgens amictu, eius ſeſe oculis offert, eumque Sodalitium repetere iubet, ſi imminens periculum vellet effugere; quod ille properè executus, vt ſperamus, turpiſſimi hoſtis manus euadet.

Barii quoque ſignificauit B. Virgo non obſcurè, Sodales ſibi curæ eſſe. Acriter in eos inuehebatur Pater Sodalitati præfectus, qui ad comœdias accederent, quæ per eos dies habebantur. Proiectæ quidam audaciæ, in eodem ipſo loco vbi Pater verba faciebat, affirmare non erubuit; quotidie ſe ad flagitiorum omnium magiſtros illos ſpectandos audiendoſque acceſſurum; neque à tam nefario conſilio vllius vnquam oratione potuit deterreri. Neceſſe igitur fuit inſanientem hominem à ſanorum cœtu remouere. Sed illum in tanta inſania verſari B. Virgo haud diu paſſa eſt; etenim dum ſcelerum artifices ſpectat, aula in qua fortè comœdia dabatur, cùm & ſcelerum & virorum pondus ferre non poſſet, concidit: cuius ruinâ ità exceptus eſt, vt dies plurimos in lecto decubuerit. Aegritudo tamen corporis menti reſtituit ſanitatem; & cùm mali cauſam optime intelligeret, peccata aperit, atque iterum inter B. Virginis filios numerari ſe, omnibus precibus petit. 3

Beneventi, cùm aliquando Pater Con- 4

gregationi Præfectus ad B. Virginis Sodales verba facit, homines octo in medium proſiliunt, & poſitis inimicitijs alter ab altero veniam pacemque exorant.

5 IN SICILIA, adoleſcens ex Meſſanenſi Sodalitate, Iuriſprudentiæ deditus, & cultui Virginis addictiſſimus, nullum vnquam diem elabi ſinebat, quin ad ipſam varijs precationibus ſupplex accederet. Meſſanæ verò quotidie veſperi id templum adibat, cui à Pilerio vulgare nomen eſt, ibique vel clauſo oſtio Deiparam ſalutabat. Hunc pater quidam familias iniuſtè accuſauit quaſi filiæ ſuę pudorē labefactare voluiſſet. Quod cum nō poſſet probare, inſidias parat caſtiſſimo adoleſcenti in via quà ille ad B. Mariæ itare conſueuerat. Proximus ſacello adoleſcens inopinatò inſidiatoribus obuiam fit. Fugę ſe commendaſſet, ni indecorum exiſtimaret, & ad mortalium præſentiſſimum aſylum, periculorumque omnium certiſſimum propugnaculum tendere ſe cognoſceret. Proinde frontem ac pectus ſigno Crucis muniens, & Dei genitricis opem implorans, erecto animo pergit, perque mediam inſidiatorum penetrat manum, & templo propinquat. Ij vero quaſi è cœlo tacti conſiſtere; neque vnquam de cætero quiſpiam necis aliquid, vel contumeliæ ei machinatus eſt. Ille verò templū ingreſſus, Virginem de more ſalutat, eique quòd vitam ex inſidijs eripuiſſet, acceptam referens, ingentes gratias egit.

6 E SODALITIO Marſalenſi nobilium, qui-

dam fuſte pulſatus à quopiam,repente occupa-
tus ab iracundiâ, ſaxum capit vlturus iniuriam;
ſed non ante è tellure lapidem tulit, quàm ratio
admonuit animum iracundiæ. Itaque memor
Chriſtiani hominis eſſe accipere magis, quàm
facere iniuriam ,illicò ad genua procidens ad-
uerſarij pedes ex oſculatus eſt: quæ res miracu-
lo ſpectatoribus fuit.

MELITAE cùm Sodalitatum exercitationes 7
derideret quidam atque contemneret, id acce-
pit à quopiam; Næ,inquit, ego id vnum ſcio:
vt his exercitationibus excoli cœpimus, Cœci
vident, claudi ambulant, leproſi mundantur.

IN ITALIA Braydenſium Partheniorum 8
pietas præcipuè ſpectatur in Xenodochijs, vbi
ſternuntur lectuli, porriguntur ſorbitiunculæ,
abluuntur cum oſculo pedes ęgrotãtium, euer-
runtur quiſquiliæ: in doctrina etiam Chriſtiana
pueris tradenda. Nec verò pœnitentiæ ſtudiũ
refrixit; obita ſeptem templa nudis pedibus in
veſte carbaſina; publicè noxæ detectæ ab ijs
ipſis qui commiſerant; aliqui templum in vrbe
media frequentiſſimum ſcopis purgare volue-
runt. Atque his muneribus obeundis, vt quiſq;
nobilior eſt, ità ſuam luculentius operam pro-
bat.Subiratus videbatur quidam ſocio ſuo: cõ- 9
ciliatus eſt hâc vnâ voce, Intellige te eſſe Par-
thenium. Alter colaphum infligenti reſpondit
id tantum; Te fortunet Deus. Ibidem dum
Bacchanaliorum tempore quidam è Collegio
Societatis per fora & compita ſermonem habẽt
de rebus diuinis, Parthenij multitudinẽ ad au-

diendum cogunt; aleatores ſæpe à ludo ad ſeria transferunt, & ad confeſſionem adhortationib⁹ impellunt. Inuitabat Parthenium Parthenius ad Chriſtianæ fidei edocenda rudiméta pueros. Abi, inquit ille, ne caput obtundito. Tum alter, Vide, ne grauiùs alius obtundat quiſpiam. haud fefellit euentus: paulo poſt quippe incidit in baiulum, à quo ità repentino impetu percuſſus eſt, vt mortuo ſimilis in terram corruerit.

E SODALITIO domus probationis Aronenſis, Parthenius graues ſuſtinebat carnis incurſus, cùm de repente cõſpicit hominem procerum corpore, ſpecie terribilem, colore fuſcũ, cornibus deformem. Recurrit animo ſtatim ſuſpicio mali dæmonis: ſeque & obſecrationibus armat, & ſigno crucis. Cùm deinde animo iam collecto proſecutus eſſet abeuntem, vt magis de diabolo conſtaret, egredi viſus eſt ille quidem ianuâ, ſed occluſis atque obſeratis foribus. Idem non ita multò poſt acceptâ candelâ in Sodalitate, die ſacro Purificationis B. Virginis, quam valere plurimum contra dæmonum impetus audierat, lætus aduolat domum, vt ad lectulum ſuſpendat. Vix cœperat ſcalas conſcendere, cùm occultâ vi, nullâ ſe formâ oculis obijciente, pedem alterum retineri ſenſit, vt moueri loco non queat, nedum vnum gradum facere; precibus tamen & cruce, vt antea, malefici dæmonis fraudes abegit. Hic idem aliàs nullâ ſubeunte causâ, corpore toto ab imis vnguibus ad ſummum vſque verticem perhorruit, erecto capillo, & ſudore manante: ſed oratione

Digitized by Google

ac fiducia in Deum præſertim ac Deiparam, priſtinæ quieti ac tranquillitati reſtitutus eſt.

In Sodalitio Collegij Bononienſis reperti adoleſcentuli, qui amore in Beatæ Virginem detractos ſibi annulos, & alia etiam chariora, ità illi obtulerint, vt nomina tamen ſua diligenter celarint. 11

E Congregatione Veronenſi puer lampadem in Collegio antè imaginem ſacratiſſimæ Virginis de more die ſabbathi ſub veſperam accenſurus; ſcalas loco admotas dum aſcendit, labi incipientes Virginem ſanctiſſimam extenſo Brachio eas, ne ruerẽt, ſuſtinentem, clarè cernere ſibi viſus eſt. Quâ ex re, maiori in Virginem pietate accenſus, per menſem integrũ illi quotidie certas orationes in animi grati ſignificationem perſoluit, ac deinceps illi addictiſſimus viuit. 12

Eundem cœtum celebrare ſolitus vir honeſtus acerbo in caſu non minori fortitudine, quàm pietate armaſſe ſe in ea officina pectus, aliquando declarauit. Etenim nocte quadam cum ſomnum capere non poſſet, in mentem ipſi venit, illo die qui noctem præceſſerat, B. Virginis officium à ſe, vt quotidie flexis genibus ſolebat, non eſſe recitatum. Nullâ igitur interpoſitâ morâ à lecto ſe eijcit, conſuetum pietatis penſum perſoluturus: mox cùm in via neſcio quos ſtrepitus audit, & eos propinquos domui timens ſuæ, cubiculi feneſtram aperit, quid rei ſit perſpicit. Lucente lunâ videt ille quidem in tenebras abdentem ſe quendam; ſed eo vtcumque agnito, nihil iam ſuſpi- 13

cans præterea mali, paulò ibi diutius, etiam caloris qui moleſtus erat ſedandi cauſa, moratur; cùm ecce tibi repente coniectâ ab impio fiſtulatore glande, periculoſum ac penè mortiferū in hominis capite vulnus infligitur, ſiniſtro oculo propemodum excuſſo. Tum, vt in re trepida, nonnihil etiam animo conſternatur; auxilio tamen Virginis, cui præcipue confidebat, implorato, ſtatim quaſi cœleſti monitu, Ignoſco, inquit, homini, ignoſco, quiſquis eſt, qui læſit; ac mox cum ſummâ animi tranquillitate B. Virginis officium, cuius rei cauſa ſurrexerat, recitare aggreſſus, de obligando vulnere nihil, niſi illo prius abſoluto, quidquam ſibi cogitandum putauit. Tunc igitur denique domeſticos excitat, parari medicinam iubet; quid acceptum ſit incommodi, exponit; ſed ità vt auctorem minime prodat. Enimuerò ardere illi iracundiâ, ſciſcitari nomen, toti eſſe in vltione. At ille, Ego vero iã ignoui, & ex animo ignoui: de perſequēda iniuria, neq; ipſe cogito, neq; cogitare meorū quēquã volo. Eadē fuit hominis cōſtantia, cùm ad eum Prętor miſit, qui de tanti facinoris auctore interrogarent. Neque enim vllis aut precibus, aut minis, aut artificijs adduci vmquam potuit, illum vt indicaret. Nec verò ſolùm ipſe tam inſignem iniuriam voluntaria obliuione deleuit, ſed etiam Deum ſæpenumero idem vt faceret, quanto maximo potuit ſtudio & infirmus, & commodiore iam valetudine rogauit. Nec eſt prætermittendum, quod cúm latens adhuc in capite plumbea qua ictus

pilula, poſt tot menſes ne nunc quidem educi aut omninò inueniri vlla medicorum arte potuerit, eaque continuò eam partem dolore afficiat lancinetque; ille tamen hoc quidquid eſt, in magni beneficij loco numerat, & à veriſſimo Dei erga ſe amore, quo videlicet frequẽtius dolore hoc admonitus, animum mentemque ſuam ad diuinæ benignitatis memoriam excitet, profectum in ſe, libenter prædicat.

MVTINAE adoleſcentulus è Sodalitio B. Virginis, quod eſt hic ſane frequens, rus vnà cum ſuis profectus, domi relicto, quod percurrere quotidie ſolitus roſario; laudabilem colendæ Virginis conſuetudinem ne intermittat, matrem rogat vtendum ipſi vt det ſuum; aufert, vtitur, condit vbi viſum. Ludenti poſtea cum æqualibus, puerili vt fit incuriâ, roſarium excidit. Vbi primùm ſenſit ſibi illud abeſſe, primò quoniam magni erat pretij, diligenter quærere, deinde vbi non reperit, dolore angi. Matris iram veritus, ad B. Virginis opem confugit; eam implorat, veneratur, obteſtatur. Pijs adoleſcentuli precibus permota Virgo, nocte ſe illi per quietem offert admirabili ornatu, ac facie ità ſplendidâ, vt ipſe perterritus, & conſilij inops obtutum in eam defigere neque poſſet, neque auderet; compellat hominem vltro; de roſario conſolatur; locum, vbi ſit, oſtẽdit. Experrectus ille eò contendit, & quod amiſſum dolebat, reperit: ad matrem refert tãtâ cum geſtientis animi lætitiâ, vt præ lacrymis quas vbertim profundebat, id quod ſibi acci- 14

derat, narrare vix poſſet.

15 De Sodalitiis in domo Profeſſa Valentina inſtitutis , illud præteriri non debet, quod plærique hoc anno non ſine admiratione obſeruarunt; omnes Sodales pacatiſſimo animo extremum obire diem. Nobilium cœtus multorum è nobiliſſimis acceſſione auctus eſt, & cumulatus. Duo deſignati ſingulis hebdomadis Xenodochio inuiſendo; vni mercedem ſtatam habent qui ægrorum lauet manus , reſecet vngues; eorundem eleëmoſynis & induſtriâ ſoluti vincti ducenti quinquaginta. Alij è Sodalitio opificum & plebeiorum, cibaria ad vinctos deferunt in hebdomada ſemel : omnes ſibi & proximis diligentem nauant operam.

16 E Partheniis Gerũdenſibus vnus, mẽſis initio ſortitus Curam pacem à ſuo patrono implorandi, dum ſanctorum nomina ſingulis diſtribuerentur; vt precibus & factis expleret officium, ad finitimum pagum contendit , in quo inueteratæ iam inualuerant ſeditiones, nec multorum conatibus reſtingui potuerant ; ipſe ſolus diuino beneficio rem totam facillimo negotio tranſegit.

17 E Collegio Balearico Partheniꝰ vnus honeſtis & pecunioſis ortus parentibus, cũ omnes Noſocomia fugerẽt ne contagioſâ lue inficerẽtur; illud pſalmi à ſuo pręceptore audierat vſurpari, *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenũ & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Qua voce accẽſus, ſe totũ Xenodochij miniſterio deuouit. Mẽſe integro in officio perſtitit, cibos ægris por-

Pſal. 40. *v.* 2.

rigens; tandem eodē morbo correptus, Cōgregationis Præfectum & Cōfeſſariū accerſit, quibus mirâ ſe lętitiâ extremū obire diem ſæpe teſtatus, ſpiritum Deo reddidit, illud ſępius ingeminans, *Beatus vir qui intelligit ſuper Egenum.*

18 In Domo Profeſſâ Hiſpalenſi Sodalitas illa quæ paucis ante annis ex Clericorum flore inſtituta eſt, ſuum tenuit antiquum; immò aucta numero eſt, atque pietate. Pietatis munera, in quibus admirabili ſe cum feruore exercent, varia pro eorum numero ſunt. In Xenodochijs & carceribus, magna cum ædificatione videntium, animos atque aures more Patrū Societatis accōmodant. Quarū confeſſionū fructus, tum ex lacrymis pœnitentium, tum ex vitę morumque mutatione, egregiè conſtat. Feſtis deinde diebus ingentem ſeruorum multitudinem deſtitutam plærumque, vt ſatisfacere diuino præcepto talibus diebus aſſueſcat, in templa cogunt, coactæ ſacrum faciunt; poſtremò doctrinam Chriſtianam cum appoſitâ eorum ingenijs breuique explicatione tradunt. Neque hic contracta eorum pietas eſt. Duos ex ſuo numero ſpectatæ virtutis atque doctrinæ Sacerdotes elegerunt; qui duorum cœnobiorum, quò mulieres infames ob meretriciam vitam ſe recipiunt, excipiendis confeſſionibus, & internæ animorum inſtitutioni, ſine vlla mercede vacarent: quo tanto bono iamdiu ob egeſtatem caruerant. Nec dùm receptarum ſalutem ſtudioſè procurant, errantium adhuc in vitijs obliuiſcuntur. Eas tota vrbe diligēter in-

Digitized by Google

quirunt: inuentas partim intrà monaſterij ſepta concludunt; partim, ſi fieri aliter nequeat, quibuſcum turpiter conſueuerunt, cum eiſdem honeſtiſſimè collocant. Puellarum item non exiguo numero, quæ tum propter ætatem, tum maximè propter egeſtatem periclitabantur, per eoſdem ſubuentum, ità vt in cœnobio ad hos nuper vſus extructo tandiu aſſeruentur, quoad opportuna illis occaſio nubendi ſe det. Sed audax interdum eſt Chriſtiana pietas, & ſecundo

19 quidē cū euentu. Militarem impetrarūt Sodales ab Hiſpalenſi Prætore cuſtodiam, cui vnus è Sacerdotibus veluti præficiatur. Eâ rectè diſpoſitâ, celebrioribus Chriſti ſeruatoris noſtri, eiuſdem ſanctiſſimæ Matris, omniumque Apoſtolorum aliorumque ſanctorum diebus, omnes ſcorti publici aditus obſident hoc animo, vt ne cui ex libidinoſis hominibus ingreſſus patefiat per eos dies, aut vlli ex impuris mulierculis egrèſſus. Hæc tam clara pietatis officia præſtari ita tacitè non potuerunt, vt eorum fama non iam totam ferè prouinciam peruaſerit; effeceritque, vt ad inſtar huius Hiſpalenſis, quaternæ aliæ Congregationes in varijs prouinciæ locis excitentur. Imò in hac etiam vrbe præcipuam nobilitatis partem, vt de alterâ ipſi Congregatione erigendâ ſecum agerent, hoc idem Clericorum exemplum non parùm incendit.

20 IN SARDINIA quidam ex Parthenijs Collegij Saſſaritani, cùm tumidum flumen traijciēs certum vitæ diſcrimen ſubijſſet, B. Virginem appellauit, vt quandoquidem ipſe vnus eſſet ex

eius

eius Sodalitate, laboranti præſtare vellet opem. Quæ cùm dixiſſet, virtutem in ſe incredibilem ſenſit, & vehi ſibi viſus eſt, donec in ripa exponeretur incolumis. Tot verò B. Virgini pro tanto beneficio gratias habuit, vt multi ad Cōgregationem impulſi fuerint. Alius valdè ſcrupulis angebatur. Hic cùm ſe B. Patri Ignatio commendans, ter ſacram ſynaxim percepiſſet, animi quietem conſecutus eſt.

IN TOLOSANI Collegij Sodalibus emicuit hoc anno humilitatis & modeſtiæ Chriſtianæ ſtudium. Nam cùm inſtaurandus eſſet Sodalium catalogus, & de eo in claſſes pro cuiuſque dignitate diſtribuendo, deque ſedibus in Sodalitio cuique pro cuiuſque conditione deſignandis ageretur; vel ipſi ſupremæ Curiæ Senatores omnes Parthenij reſponderunt, alphabetico ordine perſcribenda nomina, & promiſcuè ſedendum in Congregatione ſibi videri; vt oſtentationis ſpecies vitetur omnis, & vel hac vnâ re conſtet, non ambitionis, ſed humilitatis ſtudio, Sodalitio nomen dediſſe. Dominicis ſolemnioribuſq; diebus, dum vel ſacrum in ſacello, vel rerum diuinarum colloquium expectant, in tantâ Sodalium frequentiâ & conditione permirum eſt tam altum ſeruari ſilentium; ne muſſitantes quidem inaudias, ſed vel preces fundentes, vel pium aliquem libellum ſubinde lectitantes, vel certè ad confeſſionem ſeſe comparantes. 21

IN COLEGIO Burdigalenſi conuênit inter Sodales, vt Expræfectus ad maiorem animi 22

demiſſionē, Ianitoris officium exerceret: quod communi auctoritate præſcriptum nemo recuſauit. Omnium etiam ſuffragio & conſenſu ſtatutum, vt qui dies antè vernum ieiunium ventri ac ingluuiei vulgò dicantur, ij à Sodalibus precibus fundendis, rerum piarum allocutioni auditionique tranſigerentur; tum declinandis peccandi occaſionibus, tum Deo piâ prece placando. Quantâ verò Chriſtianę vitæ integritate flagrent, oſtendunt ciliciorum diu noctuque geſtatione per totam Quadrageſimā; multi alij pane & aqua ad cibum potumque contenti; alij demum vel ſuper nudam humum aut aſſeres dormitando, carceres & Xenodochia quotdominicis per vices adeundo, eleemoſyniſque inopes iuuando, & uinctos liberando; qui ſoluti in Collegium Congregationi gratias acturi venire didicerunt, nec niſi confeſſi & cibo refecti ſalutari dimittuntur. Vnius in condonanda in-
23 iuria, & ſeipſo vincendo virtus in primis enituit: erat is patronus & morum & verborū grauitate grauis. Inter epulas ab amiciſſimo alioquin & familiariſſimo grauiter tum verbis, tum etiam verberibus impetitus, parum abfuit quin ferrum quod fors obtulerat in viſcera percuſſoris adigeret. Sed illa ſtatim cogitatio retardauit, non decere hominem grauem, & B. Virginis mitiſſimæ patronæ clientē, tam eſſe iræ impotentem & vindictæ. Itaque cùm collegiſſet ſeſe, deſtitit; eo tamen animo, numquam vt cū illo in priſtinam gratiam redeundum proponeret. Nec poterat deinceps obuium habere, quin

nondum extinctus recrudeſceret dolor, & ad conuicia veniretur atque etiam ferè vltra minas. Sed paulò poſt quò glorioſiorem victoriā de ſe ipſe referret, vltrò adit ad percuſſorem,& ſupplex veniam petit. Alter pudore ſuffuſus,& viri virtutem magnitudinemque animi demiratus, ruere in amplexus, deoſculari, accuſare ſeſe, & propemodum lacrymari. Ambo ergo confeſſione expiati, & panis cœleſtis participes ſimul effecti, amicitiam redintegrauerũt.
24 Adoleſcens quidam nocturnis in choreis cum altero rixatus, traiecto per medium corpus enſe, mortifero vulnere percutitur: & iam efflaturus animam credebatur; cùm Patrem Congregationis aduocat, ſpondet ſe daturum Congregationi nomen, ſibi ſi vitæ vſura longior à B. Virgine impetraretur. Confitenti Pater aures accommodat: & à confeſſione, aſtantibus Sodalium nonnullis, in Sodalitium eum admittit. Paucis interpoſitis diebus vitæ plenus & virium, voti reus, & velut è naufragio mortis ereptus, ad Congregationem accedens tabellam ſupplex Virgini ſalutiferæ appendit. Hoc exemplo vir ſplendidus, ſed minùs vitæ probitate pius, non leuiter cõmotus, ea vitæ morumque mutatione inter Sodales numerari poſtulauit, vt ſibi Dei beneficium agnoſcenti, & alijs, admirationi ſit atque exemplo.

In vrbe Aginnenſi, Sodali febri æſtuanti ac 25
præcipuam mentem & ſpem in Domina ſua defigenti, viſa illa in ſomnis valetudinem priſtinā polliceri: cui ſtatim poſtea reſtitutus. Mulier,

cùm fermè paralytica, animo quoque præ doloris acerbitate ſolueretur, Sodalis admonitionibus ad Sacramenta confugiens, ſolatium & valetudinem hauſit.

26 AVENIONE, vnus è Sodalitate Parthenica repentino quodam occupatus veterno miſerabiliter iacebat moribundus: nullus ei ad cætera ſenſus, nulla erat loquendi facultas. Vnam orationem qua ſe B. Virgini Sodales dum in aliorũ numerum aſcribuntur, conſecrare conſueuerunt, diſertiſſimè pronuntiabat. Qui illum ſalutarat, qui valere iuſſerat, qui de morbo interrogarat, hoc vnum ab eo reſponſi habebat: Sancta Maria Mater Dei, & Virgo. Idem medico, idem hoſpiti, idem Sodalibus reſpondebat. Is tanto omnium Sodaliũ ardore in hoc morbo procuratus, vt nemo ea ab affinibus facilè exſpectet, quæ illi à Sodalibus tribuebantur.

27 DOLAE vnus ex Parthenijs cùm è pedibus grauiſſimè laboraret, varijſque fruſtrâ tentatis remedijs Dei parentem implorasset emiſſo voto, in pedes illicò mirantibus domeſticis ſoſpes integerque exilijt.

28 BIZVNTII B. Virginis præſentiſſimam opem ſenſere tres triplici in caſu. Vnus quidem è ſuperiore domo miſerandum in modum decidit inter vota preceſque, nonnihil læſo capite, attritiſque membris. Et hic gratias Deo eiuſque matri acturus, tertio poſt die venit in Collegij ſacellum. E tecto alius dum fallente greſſu corruit, B. Virginem deprecatur. Iacet primum exanimis: ſed ſtatim redijt ad ſe; & be-

neficium, læſo tantillum capite in quod pronus inciderat, prædicabat; mox vnum è Collegio Sacerdotem vocat, & confeſſus ac Sacramentis refectus, viſus repente melius habere. Et verò omninò conualuit octauo poſt die. Fuerat ille paulò durior in fratrem, iuſta vt ſibi videatur de cauſa, monentis Dei vocem, caſum illum interpretari: quare omnem medijs in doloribus præcidit ſimultatem, iniuriam condonauit. Tertij lapſus omninò miraculo perſimilis. Ex præſcripto Sodalitatis, vt benè mane ſacro intereſſe exoptat, neſcio quid inaudit; Abi hinc, abi, inquã, te foris opus expectat, ne ſacrum hodie audias. Hic ille hæſitare, obſtupeſcere, quę internæ voces, quis ingerat, quis animi motus. Adero velis, nolis, ait Sodalis rudis, taliumque motuum inſolens. Vt confectum ſanctiſſimum Sacramenrum, denuò inſtare malus ſpiritus, hominem pungere acrius, diſcedat ab ea mente. Nõ paret ille: imò in propoſito ſuſceptoque cõſilio conſtantior euadit. Totum reuerenter audit ſacrum, diſcedit paratior ad opus & tentationem, faciliore cliuo montem benè altum ſuperat, alia ex parte ſcopulis hinc inde eminentibus præcauendum. Vt ligna colligit, quaſi à matutino propelleretur hoſte quem vicerat, præcipiti lapſu deuoluitur per ab rupta, arbuſculis prendentem manum quaquauerſum ſequentibus: ſaxum ingens diceres deuolui maximo impetu ad imum. Subſtitit tamen media in rupe, ac redijt tantiſper ad ſe, Deo gratias, ac B. Virgini ingentes agit, quos inter cadendum

Digitized by Google

implorarat. Vix luculentam in capite plagam linteolo vt poteſt cooperit, cùm præcipitium videt ad pedes: quod tandem euadit ſingulari patronæ ſuæ ac S. Dionyſij (cui dies ille erat feſtus) beneficio. Quod omnes qui extinctum iam iamque in fruſta decerpendum per ſcopulos, ad ima præſtolabantur, non ſine miraculo prædicarunt.

29 Ibidem Sodales ipſis Bacchanalibus in Xenodochio pauperes cuiuſque conditionis epulo exceperunt, non ſine appoſita cohortatione, mundiſſimoq; & honeſtiſſimo apparatu. Aperto capite, ſummo ſilentio, ordineque miniſtratum: & placuit profuitque vſurpata cum piâ lectione lautitia. Supplicationem etiam inſtituerunt ad diſſitum cœnobium, perfrigido cœlo, ad auertendam cœleſtem iram. Adoleſcens deſperatâ valetudine extremo inunctus oleo, dum impendentem extimeſcit interitum, ſuaſus à quodam eſt, B. Virgini ſe daret, efflagitaretque admitti in Sodalium numerum. Fecit ille libenter, & poſtmodum conualuit.

30 INTER Sodales Collegij Auguſtani in Germania repertus eſt, qui intra nonum menſem mille ſexcenta octoginta duo roſaria, per omnes dies pari diuiſa numero, recitaret. Fuit, qui cilicium aut nunquam aut rariſſime deponeret. Fuit, qui toto anno paucis noctibus exceptis, remoto lecto, aſſeribus incubaret. Ieiunia ſic celebrata, vt veſperi nihil guſtaretur. Prætereo Sodalium benignitatem in pauperes, opem & humanitatem in egentes, aſperitates corporis,

Digitized by Google

vſum hebdomadarium ſacramentorum: quibus rebus Sodalitas hoc anno magnum ſibi nomen peperit, hominumque in ſe & in ipſum Sodalitium liberalitatem inuitauit; vt præter expenſas in montanam peregrinationem factas, ſupra triginta Philippæos dono acceperit.

OENIPONTANI Parthenij Sāctos ſuos mēſtruos ieiunijs, communione, eleemoſynis honorāt. 31

HALENSES verò ad diuerſa loca ſupplicationes inſtituerunt; Deoque pro ſalute peccantium preces adhibuerunt; ad eundem etiam finem flagellis in ſua corpora ſæuierunt. Non paucos ad frequentiorem ſacramentorum vſum induxerunt; ab eſu carnium & ſuperſtitionibus abduxerunt; pro tuenda caſtitate ſuper humum, ſcamnum, ſtramen, ſua ſponte dormierunt: Vnus quatuor menſes continuos.

RATISBONENSES, cingulorum, & thoracum cilicinorum, & verberationum frequentem vſum habent. Vnus toto menſe quotidie flagello ictus ſibi octo inflixit, & diebus ſabbatinis alios tres addidit pro animabus in Purgatorio: ut omittam preces, & alia pia opera quæ ad ſemet vincendos præſtiterunt. Sunt etiam de aliorum ſalute ſolliciti: multos ſalutaribus colloquijs à praua iurandi & blaſphemandi conſuetudine, ab impudicis chartis & ebrietate, à mutuis odijs, obſcœnis cantibus, & detractionibus abduxerunt. Quidam, Clericorum vitia inter ſcyphos grauius inſectanti & exaggeranti, tantam detracti honoris pœnitudinem iniecit præſentibus alijs, vt is mox in vindictam ad- 32

miſſi peccati largiſſimam pauperi eleemoſynam dederit. Complures magiſtris Sodalibus modum examinandi conſcientiam, ritè confitendi, lethalis peccati pericula & damna didicerunt.

33 TREVIRENSES vtriuſque Sodalitatis alumni pietate plurimum celebrantur. Vt ad Chriſti natalem ſeſe præpararent, octiduo ante, ad Sodales de humilitate noſtri Saluatoris agens Pręfectus, ſacræ Theologiæ doctor, coram omnibus in genua prouolutus aliquod ſibi pietatis opus iniungi, in magni Dei & humilis Saluatoris honorem, petijt. Pręfecti exemplum ſequuntur Aſſiſtentes, qui aut Sacerdotes, aut magiſtri
34 S. Theologiæ candidati. De cæteris æſtimare ſat eſt. Die D. Thomæ ſacro obięrunt hoſpitalia duo. Nam in vno minor de paupere Chriſto merendi materies: vnus inuentus, & tantò plenius recreatus eſt. In altero ſexaginta reperti, fidei myſteria incredibili feruore edocti, albis panibus, hauſtu vini, & pecuniâ donati ſunt. Permulti ea re moti quibuſdam Collegij Patribus, qui ſpectaculo pio aderant, confeſſi ſunt. Hoc ipſum feruore maiori placuit repetere ad feſtiuitatem Dominicæ Reſurrectionis. Ad relegendam Domini Paſſionem per Quadrageſimam, ſemel in hebdomada frequentes in oratorio conuenerunt. In Cœna domini pauperes delecti, quorum pedes loti a Sodalium primis, ijſdemque epulum datum ſacra lectione conditum, denique dimiſſi ſunt liberali eleemoſynâ. Paraſceuen totam meditationi paſſionis

impenderunt : ſub veſperam flagellis à ſeipſis pœnam exegerunt : quod pridie feſtorum B. Virginis, & aliorum, celebrioribus Sodalibus ſolemne eſt. Parthenius qui ob eruditionẽ & pietatem ſtudioſis & ciuibus in pretio erat, magnâ 35
rerum inopiâ premebatur. Decumbenti Sodales dies noctes adſunt: & vnus qui aberat, de infirmitate certior factus, à viginti milliaribus pharmaca deſtinat : nec deerat qui proprium lectum ſubminiſtraret. Denique nihil intermiſerunt, quod ad infirmi refectionem ſanitatemque pertinere arbitrarentur. Quid commemorem quâ patientiâ æger circumſtantes recrearit? quâ cupiditate piam lectionem & animę ſolatio exceperit? quibus verbis matri lacrymas abſterſerit? quibus votis, cœlitum Virginiſque patrocinium expetiuerit? Sẽtiens ſe viribus deſtitui, Chriſti effigiem exoſculatus, Cito, Cito, exclamat, Beatiſſimæ Virginis Litanias legite: ad quas ipſe intermortuis vocibus, Ora pro nobis, cum reſponderet, citius ſpiritum reddidit quàm Sodales Litanias abſoluerent.

MOGVNTIAE Bachanalium ferijs Conuictorum Sodales, qui ſeptuaginta eoque plures 36
numerantur, Sodalitates omnes quæ trecentos minimùm complectuntur alumnos, inuitarunt ad triduanam comprecationem pro ſalute Reip. inſtituendam. Oratorium pereleganti & venuſto ornatu, luminibus quàm pluribus toto die collucebat. Initium comprecandi factum die Dominico ab exhortatione ſpiritali, & Litaniarum concentu. Singulis Sodalibus ſtata

ad comprecandum hora præſtituta; dies ſinguli concluſi ſub noctẽ lugubri cantu Pſalmi 50. cui aliquot adoleſcentes prælatâ cruce & tædis interueniebant, & ante aram abiecti in ſua terga deſæuiebant. Ijſdem diebus collatitiâ pecuniâ ſexaginta ægris in hoſpitali domo epulum appoſuere, omniaque miniſteria quæ ad menſam adhiberi ſolent, vltrò ipſi alacriter & humiliter ſunt executi; & cibos etiam quibuſdam, qui per imbecillitatem id non poterant, in os ingeſ-
37 ſere. Conuictores præterea ſingulare hebdomadâ ſanctâ humilitatis charitatiſque exemplũ adiunxere, vt duodecim pauperibus pedes alij abluerint, alij exterſerint, plurimis magna contentione vrgentibus, vt vel vnius pedes abluendi, extergendiue poteſtas fieret. Deinde perlautum epulum benedictione ſolemni per Sacerdotem antegreſſâ, & manibus ſingulorum in pelui aquâ perfuſis, prælectioneque piâ, illis præbuere, omniaque ſeruitia detulere; ac tandem bene pranſos, & pecuniâ inſuper donatos dimiſere.

38 MONASTERIENSIS Collegij Parthenius ex ſuperiori tabulato in ſtratam lapidibus aream delapſus, cerebro in terram effuſo, exanimis ſublâtus; imploratis demùm ſociorum precibus non multò poſt conualuit, admirantibus medicis qui de ſalute prorſus deſperauerant. Eodem loci alter nobili genere natus, & eximius cultor Virginis, cùm periculosè variolorum morbo laboraret, ſupremum ſibi diem inſtare exiſtimans, admiſ-

ſis à pueritia peccatis animũ expedire parabat; & quia manuum beneficio vti nequibat, occurrentia delicta, ne memoriam effugerent, ſocio dictare parabat. Qua in cogitatione dum verſatur, ecce Sathan ſe offert, dira minitans ſi conſcientiæ ſecretum alteri reuelet: dum ille nihilo ſecius perſiſtit in propoſito, denuò dæmonum globus eum circunſtat & perniciem extremam intentat. Ille, vt ſeſe ab hiſce ſpectris expediat, confeſſariũ è Collegio accerſit: initiũ confeſſioni daturus. Vix ſignũ ſanctę crucis fronti impreſſerat, cùm auerſo vultu ſtatim conticuit. Pater prolixius ſilentium, vultuſque auerſionem, faucium occluſarum anguſtijs adſcribens, promittit loquelæ defectũ ſe diligenti examine compenſaturum. At ille conuerſus ad Patrem: Non hæc, inquit, diuturni mei ſilentij cauſa extitit: atque ità cœptã proſequitur peccatorum enumerationem. Poſtea verò retulit, ſe non per ſomnium, aut alienę mentis ludibriũ, ſed præſenti animo quinque cacodæmones, nigrorum Aethiopum inſtar, conſpexiſſe: qui inter confitentis os, & aures cõfeſſarij, vocem loquentis diſſiparent; per ſanctiſſimi tamen nominis Ieſu & B. Virginis inuocationem cedere coactos fuiſſe.

INTER diſcipulos Collegij Embricẽſis laudem tulerũt Parthenij, quorũ virtute viri quoq; graues aliquot permoti, ijs ſe adiungi voluerunt. Præter ſolita mortificationis opera, non ſolùm qualibet Quadrageſimæ hebdomada, ſed etiam in ſanctiore coëuntes in Oratorium, 39

tribus ante Anaſtaſim diebus, flagellis acriter ſæuierunt in corpora: tertio die numerus eorum ad quadrageſimum acceſſit. Poſt diuerberationem certatim Patri Sodalitatis ad genua aduolùti, aliam quamlibet pœnitentiam ſibi imponi poſtularunt. Fuit, qui vltrò ad Sodalis genua, quem aliquādo offenderat, allapſus, humiliter ſibi ignoſci peteret, pedibuſque oſculum figeret. Selectiores ex eo numero lautum epulum die Cœnę domini omnibus pauperibus Sodalibus inſtrui curarunt: quibus cùm ipſi ad menſam miniſterium exhibuiſſent, omnium deinde pedes abluerunt, exterſoſque ore preſſerunt, pecuniâ inſuper aliquâ ſingulis donatâ.

40 PARTHENII Collegij Pragenſis bis hoc anno largas diſtribuerunt eleemoſynas vinctis in carceribus, & pauperibus in noſocomijs: quas dum elargirentur, pijs ętiam colloquijs ſeptem à varijs hęreſum lacunis extraxerunt. Fuit quidam è Sodalibus tum genere nobilis, tum pietate inſignis, qui feriâ quintâ maioris hebdomadę cōuocatis duodecim pauperibus in ſeminarium, lauto primùm eos exciperet conuiuio; deinde eorundem pedes magno pietatis ſenſu lauaret; circumſtantibus cæteris Sodalibus, parteſque ſuas in eleemoſynâ ijſdem impertiendâ ſtrenuè obeuntibus. Exercent ſe porrò ad omnem pietatem, domādo etiam carnem cilicijs ac diſciplinis; quas tanto animo ac feruore arripiunt & frequentant, vt eas à Confeſſarijs nonnulli lacrymis etiam extorqueant.

41 CRVMLOVIENSIS Collegij Sodalitas,

exiguo licet ac minuto numero, retinet tamen auctoritatis & ſanctimoniæ grauitatem, dum vel indignos à ſuo cœtu arcet, vel mulctat delinquentes. Ciuis erat in hoc genere honoratus paterfamilias, litteris præterea & eruditione conſpicuus. Is, vt erratum quoddam, cuius Sodales erant conſcij, expiaret, ſubmiſſis in terram genibus, vir id ætatis & auctoritatis, non eſt dedignatus culpam conceptis verbis accuſare ſuam & deprecari: inſuperque certam pecuniæ ſummam in neceſſarios pauperum & Congregationis vſus erogauit.

IN AVDOMARENSI quoque Sodalitio, eo ſunt omnes animo, vt nullum tolerari velint qui non maximè temperatis moderatiſque ſit moribus. Auctum eſt principibus viris ciuitatis, & eiuſdem ex Franciſcanâ familiâ Antiſtite, qui demiſſè in eum cœtum cooptari poſtulauit; eaſque ceremonias & ritus obſeruari in ſe voluit, qui omnibus etiam infimis in ſuo primo ingreſſu familiares ſunt. 42

ANNVS CHRISTI 1602.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 38.

1 IN ITALIA ex omnibus Sodalitijs Collegij Braydenſis effloruere inſignes actiones innumerabilium penè dixerim virtutum. Et vt ordiamur à nobilibus; vt primùm ad animos penetrauit cognitio, nobilitatem in virtute conſiſtere quæ exprimeretur Chriſti ac Sanctorum imitatione & amore; mutari cœpit Sodalitium in cœnobium. Ibi orãdi ac meditandi ſtudium, ablegatio nugarum, moderatio ſenſuum, pœnitentię ardor, de abiectione certamen: ipſi ſeruire menſis, ipſi patinas tergere: accuſabant errata ſua publicè, obiurgari, puniri volebant. Nec ſeſe continebat intrà domeſticos parietes incenſa virtus; docebant rudes ac pannoſos homines Chriſtianam doctrinam; noſocomijs miniſtrabant nihilo minus

quàm conducti famuli, ſtupore defixis ſimul moderatoribus, ac ægrotis; atque ex his (quod erat in charitate excellens, in ſui victoria præclarum) vlceroſos & ſanioſos amplexabantur, oſculabantur. Ex aliâ verò Sodalitate adoleſ- 2
centium, quidam mendico ac ſordidato homini ſtipem collectam à cœtu Sodalium cùm tribueret, iſque lætus de munere in genua procumberet; repentè noſter ſe quoque abiecit, luridumquè hominem exoſculatus, Quid Deus bone, inquit, ad pedes meos accidis, Chriſti perſonam qui geris? Alius, quo tempore feruet turba confluentium ad ſignum ſcholarum, (& hic erat è prima nobilitate iuuenis) cùm aliquando ſub eam ipſam horam locum Sodalitij verriſſet, collecta manibus purgamenta in holoſericum pallium, medium in atrium deportauit. Sodales carpere, cauillari, quòd ſordes pallio coopertas ad vitandum ruborem detuliſſet. Enimuerò, reſpondit, ruborem mihi non inijcit famulatus ſanctiſſimæ Virginis. Cùm igitur iterum redijſſet ad opus Chriſtianæ humilitatis, bis quoque reiecto pallio ac pileo ramenta in atrium luce mediâ extulit. Tertius caſti- 3
tatis amantiſſimus cùm ſibi afflari ſenſiſſet ardorem libidinis, confeſtim genibus nixus, cruceque expreſsâ manibus cãcellatis ad pectus, & oculis in cœlũ defixis, illud Apoſtoli quinquagies, & eo amplius iaculatus eſt, *Quis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro?* Rom. 8 v. 35
Nec irrito conatu. Non ſolùm enim flamma reſtincta eſt, ſed etiam cœleſtis ac ſuauiſſima quę-

dam voluptas ad animum recreandum infuſa.
4 Octauo die poſt celebritatẽ auguſtiſſimi Corporis Chriſti Domini, ad ſacram menſam conuenere omnes Sodaliũ cœtus. Vt verò fructus beneficij diuini omnium præſtantiſſimi manaret vberius, propoſitum publicè fuit, quid cuique ſcripto liberet offerre ad recolendam eius beneficij memoriam, ſiue quod corpus afflictaret, ſiue quod animi affectiones conſtringeret. Expreſſit ingenioſus amor, quæ offerrent. Qui conſignarunt generalem exomologeſim, deincepsque continuè hebdomadariam: qui ſtata ieiunia, ac perpetua: qui ſacram ſynaxim in octauum quemque diem. Fuere, qui ſubſcriberẽt, ſe per totam octauam obuio cuique pauperi ſtipem aperto capite largituros: alij, qui expeterent publicas obiurgationes: alij, qui pollicerentur, ſe contrà conuicia & probra nihil vnquam dicturos, quinetiam pro maledicis, tanquam pro beneuolis Deo ſupplicaturos. Iam
5 vnius exemplum aliorum conſtantiam probabit in ſuſceptis conſilijs. Hic enim animo & ſuas noxas, & hominum flagitia, & Chriſti Saluatoris cruciatus apud ſe reputans, noctu ſurgebat ad orandum nudis genibus; tum ſe catenâ ferreâ diuerberabat acrius. Neque hoc quotidiano ſupplicio contentus, ad inſtar priſcorum cœnobitarum panis & aquæ ieiunium inſtituerat; poſteà interdiu certos homines aggrediens, hortatione, muneribus, ſeuera, ſi opus foret, oratione permotos ad confeſſarios attrahebat, expiaturos vitæ crimina; minimè ille territus durio-

durioribus verbis, aut etiam irriſione, quę erant aliquando excipienda à malè ſanis hominibus. Quinetiam facinoroſum hominem, & obduratum ad ſupremum adduxit Pænitentiarium ; & quoniam probè norat, toto eum decennio confeſſionem neglexiſſe, nunquam ab eius latere diſceſſit, donec inolitas animæ maculas confeſſione & lacrymis eluiſſet. Hæc vbi intellexit Pater Congregationis à puero ipſo, partim temperata, partim probata, cum eruditione opportuna. Atque has habuit præclara virtus laudes ſine vllâ prorſus offenſione criminis. Quòd ſi ab aliquo offenſum eſt, id quoque fuit generoſè emendatum. Lucratus erat Sodalis colluden- 6
do cum alijs, bono videlicet ludo, non contemnendam pecuniæ ſummam. Is ſibi, vt ſe recepit, feciſſe viſus ſordidè contrà finem ludi, atque etiam indignè, vt filio Matris Dei; recognitam cuiuſque ſummam integrè reſtituit. Ferox erat & contumax adoleſcens alius, parenti viduæ acerbiſſima crux. Pulſauit ſuperbum animum Deus, vt ſe Reginæ miſericordiæ ſubmitteret: petijt Sodalitium, qui noſcebatur eſſe perditis moribus. Vix limina ſalutauit Sodalitij cùm inſolentiæ pertæſus, & ſibi grauiſſimè diſplicens, domum redit; ſupplex ſe abijcit ad pedes matris perfuſus lacrymis; orans, obteſtans leuitati ignoſcat; pacatam fore domum; omnium ſe deinceps in poteſtate futurum. Et verbis facta egregiè reſponderunt.

TAVRINI Sereniſſimus Dux, eo die, qui 7
qui immaculatę Conceptioni Virginis ſacer eſt,

cum quinque Sereniſſimis filijs Sodalitium inuiſit; cui ipſe adſcriptus eſt, eodemque die tres Principes natu grandiores adſcribi etiamvoluit, ac natu maximum Patronum Sodalitij conſtituit. Per eam occaſionem multi quoque è primâ nobilitate (ſunt hi equites torquati, qui Ordinis ſui Virginem Annuntiatam patronam
8 habent) in Sodalitium cooptati. Ex eodem adoleſcens quidam, cùm calce ab equo petitus in inguine vulnus accepiſſet; verecundiâ pluſquàm virginali vulnus medico aperiri haud eſt paſſus; & cùm in morbum incidiſſet, morbi cauſam eò vſque diſſimulauit, licet grauiſſimis interim conficeretur doloribus, donec confeſſarij præcepto rem pandere coactus eſt. Sed putreſcente vulnere, eò iam res deducta erat, vt morbi vis nullo potuerit remedio vinci: quo etiam nō multò pòſt, ſummos inter dolores, ſed ſummâ cum patientiâ obijt, cùm in teſtamento aureos ducentos Sodalitio legaſſet. Minoris porrò Sodalitij alumni neque frequentiâ, neque virtutum omnium documentis vinci ſe paſſi
9 ſunt à maiore. Obijt vnus ex ijs, qui ſui deſiderium & domi & foris reliquit, ob egregias animi dotes, & ſingularem in ſanctiſſimam Virginem pietatem. Is cùm in morbum incidiſſet, diem multò antè prædixit, quo ſibi obeundum aiebat: nec vanam fuiſſe prædictionem exitus demonſtrauit. Alius non rudi ingenio, cùm dies noctesque libris incumberet, vt magiſtro ſatisfaceret, quotidiè tamen videbatur dediſcere, ac in peius ruere. Monitus aliquo die, an

integrè eſſet confeſſus, collegit ſe nonnihil; ac confeſſione generali inſtitutâ, in alium penè mutatus hominem, tantos in litteris progreſſus fecit, vt penè miraculum videretur. Quos progreſſus ille, poſt Deum, confeſſioni ritè inſtitutæ acceptos refert.

IN COLLEGIO Conimbricenſi nata eſt noua Sodalitas tam lætis auſpicijs, vt ſub ipſa primordia ducentos quinquaginta alumnos complectatur; plures habitura, ſi candidatis omnibus pateret; quorum magnus numerus, fluentibus vbertim lacrymis obteſtantium, vti in eam admittantur. Duo imprimis auidi; alter de cuius moribus, alter de cuius natalibus ſuſpicio quædam læua admiſſionem retardabat. Vterque publicâ auctoritate conficiunt inſtrumentum iuratis teſtibus firmatum, quo ſe à ſiniſtra fama vitæ & generis eluunt & expurgant, ne aditu Sodalitatis arceantur. Frequens inter eos vſus Sacramentorum, vt ſæpè duodeuiginti Sacerdotes ab alijs uacui, his ſatisfacere nequeant confitentibus. Ergò incredibilis facta eſt morum inſtauratio, ludis, iuramentis, inimicitijs penitus abdicatis: & ex patrum moribus, familiarum ſtudia ad pietatem reuiuiſcunt. Hoc planè mirum, quòd inter tam multos eiuſdem conditionis homines, vix inuenias vnum alteri ſubiratum; vt in hac ſolum Congregatione, nec figulus figulũ oderit, nec faber fabrum. 10

TOLETI in Profeſſorum domo altera Cõgregatio 50. habet honoratiores ciues, cum nonnullis Sacerdotibus. Hi in curandis infir- 11

mis ſeſe exercent, præſertim qui ſe detegere præ pudore renuunt: ad mille hoc anno curati ſunt. Noctu quoque vniuerſam diſcurrunt per ciuitatem, vt ſi quos inuenerint in periculo conſtitutos, vel frigoris causâ, vel morbi, vel quauis aliâ, in domum ad id paratam deducant; ſicque multis prouiſum eſt, qui ſanè periiſſent.

12 TVRIASONE in Hiſpania, ſcholaſtici Sodales aquis pluuijs deficientibus ad proxima vrbi pia ſacella ſupplicationes inierunt, recitantes Dei Matris & Sanctorum Litanias. Secuti horum exemplum alterius Congregationis ſocij, qui eodem ordine partitis & compoſitis agminibus, nunc orantes, nunc Litanias cõcinentes, pia etiam loca leucam & plus ab vrbe diſtantia inuiſerunt; ibique peracto ſacro altaris myſterio, cœleſti refecti pane regrediebantur. Vidit vniuerſa ciuitas factum, laudauitque; & approbauit Deus, miſſo de cœlo imbre largiſſimo & opportuno.

13 IN DOMO Probationis Tarraconenſi mox atque inſtituta eſt Congregatio, quidam colicâ vexari cœpit, alijſque acutiſſimis torqueri doloribus; qui biduo eò hominem perduxere, vt iam de eius vita actum putaretur. Meminit interea ægrotus cohortationis, quam paucis ante diebus audierat, de innumeris bonis, quibus Sodales perfruuntur; quantâque curâ & diligentiâ à Deipara protegantur, foueantur, defendantur. Hoc cùm piè recogitat, ſtatuit, ſi conualeſcat, ſe curaturum diligenter in Sodalitium aggregari: moxque melius habere cœ-

pit,& paulò poſt planè conualuit.

È SODALIBVS Collegij Hiſpalenſis peregrè ibat Sacerdos quidam; cùm fortè incidit in quendam horum regnorum principem virũ, iter ſimiliter, quò ipſe pergebat, agentem. Hũc deriuatam à maioribus nobilitatem,& prauâ iurandi conſuetudine, & pudicâ minus cum famulis ſuis agendi & colloquendi ratione, obſcurare certa fama erat. Sacerdos oblatam occaſionem libenter arripit; ſermonem cum ipſo miſcere, deprauatos hominis mores, & viuendi licentiam ſumma dexteritate reprehendere. Ille pudore ſuffuſus,increpãtis voce commoueri; & eximium in Sacerdote pietatis zelum admirans, amplos ei honores,& munera domi ſuæ perhonorifica polliceri. Quæ alter modeſtè recuſans valere omninò iuſſit; neque vt ipſum, rogatus licet & inuitatus, diutius comitaretur, exorari potuit; ne ſcilicet faciendi (erat enim feſtus dies) occaſionem opportunam amitteret. Quod ipſum principi vehementer placuit; qui poſtea quæſitum illum in hoſpitium ſuum iuſſit adduci, ad prandium inuitauit, tractauit humaniſſimè. 14

Nec verò in litteris minora huius Sodalitatis alumni documenta dedere. Vacabant in Hiſpalenſi diœceſi Eccleſiaſticæ dignitates nonnullæ: quæ ex inſtitutione ſuâ pro opponẽtium meritis diſpenſandæ erant. Edictum publicè affigitur; candidatorumque oppoſitionibus ſuus ſtatuitur dies. Confluunt plurimi; ex his è Virginis Sodalitate nonnulli; de omnium litteris publicè periculum fit. Parthenij Sodales 15

primas ſẽper tulere: adeòque ipſi reliquis poſtpoſitis, de illuſtriſſimi Cardinalis,& Senatus ſẽtentiâ, omnium meritiſſimi, dignitates haſce reportarunt.

16 CORDVBAE ſacra myſteria frequenter Sodales vſurpant; ad publicam diuerberationẽ bis per omnes anni hebdomadas, ieiunij maioris tempore ter, ducenti & quadraginta conueniunt. Aliquando accidit, vt cùm vrbem excurrunt pro ſuo more, ad egenos quibus opẽ ferant perquirendos, domunculam quandam non ſine Deo duce ingreſſi, puellam inueniant humana ope deſtitutam, ſqualore loci, fame, & cancro penè confectam. Igitur illam extrahunt, curant diligenter, & neceſſaria in poſterum vitæ ſubſidia non minus liberaliter quàm piè ſuppeditant. Nec diſſimile, quod ſequitur. Incidunt alij in ſenem grauiſſimo morbo, ſummâq; rerum omnium inopiâ laborantem; eleemoſynis ſubleuant; vt animi labes expiet, & ſacrum Euchariſtiæ pabulum ſuſcipiat, inducunt. Mira Dei prouidentia! his munitus præſidijs fœliciſſimus ſenex è vitâ migrauit. Ex eodem cœtu duo ad corrogandam ſtipem deſtinati, per celebriora ciuitatis loca bis egreſſi, aureos amplius quadringentos collegerunt; quibus & liberati vincti, & quos precariò victitare pudet, adiuti.

17 Id quoque piè ac religioſè curatum, quod Chriſtianæ doctrinæ libellos octies mille, pecunijs ſumptuque excudi ſuo voluerunt. His enim paſſim per vrbem & diœceſim totam euulgatis effectum eſt, vt innumeri homines, quæ

ignorabant fidei rudimenta perdiſcant;& pueri relictis laſciuioribus cantiũculis ſalubres Chriſtianæ doctrinæ notas vbique decantent. Nec in poſtremis vtilitatibus eſſe debet, quòd cùm ex horum Sodalium numero viceni per vias publicas proceſſiſſent, ſinguli ſingula malluuia, cibis, condimentis, varijſque obſonijs referta geſtantes; eaque in Xenodochium totius Sodalitatis nomine comportaſſent; reliqui ciuium ordines hoc incitati exemplo, ità ſe munificos præbuere, vt aureos non minùs octies mille in ægrotantium ſubſidium hac occaſione contulerint. Sed nec omittendùm, quòd ex ijſdem Sodalibus aliqui, non ſine certo vitæ diſcrimine, alij cum eiuſdem diſpendio, affectorum cõfeſſionibus excipiendis vacarunt. Ab eiſdem quoque nouemdiale funus ſolemni ritu inſtitutum, & ſacra mille quingenta pro peſtilentiâ extinctis oblata.

18 IN PHILIPPINIS, Parthenij Reſidentiæ Dulacienſis, quotquot in alijs orbis partibus à Congregationis Sodalibus pietatis exercentur officia, tanto amplectuntur ſtudio, vt non neophyti, ſed in Chriſtianis antiquiſſimiſque vrbibus alti educatique fuiſſe videantur. Quod autem attinet ad diuina mandata, nihil reformidant magis, quàm lethale flagitium non modò committere, ſed nec cogitatione quidem admittere.

19 BVRDIGALAE nonnulli è Sodalitate maiori, cauſas deinceps gratis agendas ſuſceperunt in carcere diutius detentorum, vel amicorum

Digitized by Google

inopiâ deſtitutorum, vel eorum qui exiguo æri alieno ſoluendo non ſunt,quos etiam ſtipe corrogatâ iuuant.Itaque paucis menſibus ad quinquaginta liberarunt è carcere: eâque occaſione duo ex illis Caluinianam hæreſim abiurarunt. Vir quidam honeſtus, dum multos in Collegiũ properantes, quò irent ignarus, inſequitur, ſacellum B. Virginis cum cæteris intrat: vbi auditâ patris exhortatione, totius vitæ confeſſionem eo ipſo die (ne elaberetur occaſio) inſtituit.

20 AVENIONE, in Sodalitio maiorum laudabilis omninò eſt procerum ad vilia quæque ſubmiſſio,& de animi demiſſione contentiones. Præfectus eius Epiſcopus Venſienſis palam teſtatus eſt plus ſe gloriari, quòd inſcriptum nomen Sodalitati haberet, quàm mitrâ ſuâ & Epiſcopatu. Quidam ex periculoſo morbo, voto Congregationis ineundæ, cõualuit. Alter morti ereptus Sodalium orationibus.

21 MVSSIPONTI obijt ex Sodalium numerô adoleſcens inſignis ob naturæ dona, inſignior ob virtutes animi, quibus id ętatis maturus cœlo viſus eſt. Is D. Alexij perſonam cùm latinè daretur (bis enim data eſt) mira cum audientiũ probatione ſuſtinuerat, quorum plæriſque expreſſit lacrymas, dum eius fronti, actioni, moribus, velut impreſſam ſanctitatem contemplarentur Alexij. Sed vt alijs multum contulerit hæc hiſtoria, ipſi quidem certè plurimum. Hunc enim ad eam mundi deſpicientiam vſque adeò excitauit, vt nuſquam patris, patriæ nuſ-

quam ſine faſtidio meminiſſet; reditum verò ad ſuos tantopere auerſaretur, vt nihil ſe vehementius horrere haud obſcuris indicijs præ ſe ferret. Clauſulam habuit tam generoſæ inductioni parem. Cùm vi morbi confectus iaceret, æquiſſimo ſe animo mori dixit, ſiquidem id viſum eſſe Deo. Ad poſtremum ritè perceptis omnibus Eccleſiæ Sacramentis, pijs identidem B. Virginem, quam patronam nuper adoptarat, & in cuius imagine defixum obtutum tenebat, colloquijs appellabat: mox aqua ſe luſtrali perfundi iuſſit, ſalutationem Angelicam iterans. Tũ, Satis eſt, inquit, & nonnihil ſubmurmurãs quid diceret interrogatus; Diabolus eſt, ait: quo fugato, reliquum vitæ ſpatium, ſuſpenſo in Deum ac Deiparam animo, quaſi placidiſſimè conſopitus obdormiuit in Domino. Cùm autem efferretur à Sodalibus corpus, eo ſupremi honoris officio & pietate Sodalium adeò commotus 22
eſt adoleſcens, qui in omnem morum licentiam effuſus, parentum authoritatem, ſuorum conſilia reſpuebat, ac planè depoſitus videbatur; vt protinus ſuperiorem vitam deteſtaretur, & enixis precibus contenderet, vt aggregaretur in numerum Sodalium. Quæ ingenij repentina conuerſio magnâ admirabilitate defixit omnes, qui eius mores ad perniciem profligatos norant.

23 IN DOLANO Collegio adſcripti ſunt maiori Sodalitio tres Senatores. E quibus vnum captum omnibus membris, cùm geſtatoriâ deferri ſellâ neceſſe ſit, frequentior nemo tamen

ventitat. In altero, & ſollicitæ ſociorum pre-
ces , & ſingularis B. Virginis fauor enituit.
Certatim ad moribundum conuenientibus,
fortè Angelicæ ſalutationis ſignum datur; eo
& clementiſſimæ parentis, & periculi præſen-
tis admoniti , inſtant ardentius. Mirum di-
ctu ! illis ſurgentibus redit ad ſe illicò ; va-
let, viuit, redditæ ſibi fugientis vitæ non
24 immemor. Artificum item Congregatio fi-
dem facit, omnia ex æquo moderantem Deum
plebeiorum æquè ac potentiorum ſaluti con-
ſulere. Centum propè cenſentur maximo in-
ter ſe amoris vinculo copulati; vt ex eo po-
teſt conijci , quòd Præfectum perinde ac
Prætorem ad dirimendas (ſi quæ inciderint)
controuerſias adhibeant. Intenti ipſi pijs
operibus, alios quoque rudes ignaroſque fidei
capitum , Dominicis feſtiſque diebus eru-
diunt. Pauperum etiam in Xenodochio di-
uerſantium inopiam pro facultatibus quiſque
ſuis ſubleuant. Et hæc vitæ piè degendæ ratio
quantum ad benè moriendum momenti ha-
beat , experti ſunt vnius Sodalis deceſſu ,
qui crebrâ B. Virginis, ne ſe periclitantem de-
ſereret, compellatione ęſtuans, expirauit.

25 BIZVNTII vinitor quidam vir bonus ,
& ex Sodalitate B. Virginis , incidit in mor-
bum, quo fermè decem menſium ſpatio graui-
ter conflictatus eſt. Genus morbi quia inuſita-
tum, meritò habuit admirationem: ſuſpicio fuit
maleficæ manus. Initio quidem varijs corporis
partibus, multis tuberculis effloreſcens cutis

Digitized by Google

plurimam ſaniem euomuit; ex quo deinde tota vis morbi in ſiniſtrum brachium delapſa, in tantum tumorē excreuit; vt res fuerit admirationi & horrori. Cùmque ea eſſet magnitudo doloris, & nullum medici afferrent leuamentum, tertio tandem aut quarto menſe de eo aperiendo cōſtituunt; quod & factum eſt. Sed cum Chirurgus lanceolâ altius pupugiſſet, tanta ſubinde vis puris erupit, vt totam domum odore infecerit. Tum neſcio quid, vomicæ caput derepentè obturauit, fluxumq; cohibuit; quod chirurgus ſpecillo conatus auertere, non potuit, donec propius intuitus neſcio quid videre viſus eſt ſubnigri coloris culici non abſimile, admotiſque forficulis, quē culicem putabat, longa ſpira fuit luridæ materiæ. Eaque res ægrotanti magnum horrorem incuſſit: qui chirurgum intuitus, Appello, domine mi, fidem tuam; quid facis? neruos mihi auellis: quid futurum eſt mihi in poſterum & meo ligoni? Sed bono animo eſſe iuſſus; &, ne quid dubitaret, admonitus non ità putres fieri neruos; conticuit. Interea chirurgus rei nouitate attonitus, exploraturus quid eſſet, impoſitum menſæ dum explicat, telæ fragmentum eſſe comperit, aduerſo ſubtegmine conciſum, & duos fermè pedes longum, totidemque digitos latum; diuque contemplatus in ignem conijcit. Deinde perpurgatâ plagâ, peniculoque ac malagmate inſtructâ, ægroti curam eius vxori mandat, rediturus poſtridiè. Eum dum æger diluculò præſtolatur, ſolutam

eſſe faſciam animaduertit, qua brachium conſtringebatur, increpanſque vxorem quid ità malè compoſuiſſet; Enimuero, inquit, omnino benè ligaueram, quæſitaq; vndique malagmata cum periculo nuſquam inuenta ſunt; attollenſque brachium ſi fortè apparerent, & detumuiſſe, & perſanatum eſſe ſenſit. Quocirca lętus exilit è lecto, aduolat ad medicum, qui tam repentinâ curatione multum eſt ſtupefactus. Sed ecce tibi ſequenti die deſultorius morbus alterum brachium inuadit, pari tumore & dolore, qui & reliquo morbi tempore conſtans fuit. Aegrotus licet incredibili cruciatu conuellatur, nullũ tamen impatientis animi ſignum edere, ſed conſolari omnes & adhortari pijs ſermonibus, numini gratias agere, Deiparam inuocare, cuius obſequio præcipuè addictus erat. quæ res ſingularis fuit exempli. Enimuerò dæmon vt hominem tranſuerſum agat, nouam technam adornat. Ingreſſi ſunt domum eius primâ ſtatim luce vir & fœmina, antea vt ipſe dicebat, ſibi nunquam viſi: qui accedentes, miſerum eius ſtatum deplorabant. Quàm miſerabilis es, inquiunt, aſpectu! Quid mirum, ait ægrotus, cùm ſextum iam menſem decumbam inter tot dolores & cruciatus? At illi benè eum ſperare iubent, remedium ſibi in procliui & expedito eſſe; ſubindeque ſacrum cereum accendunt, aliquotque ſignis crucis brachio impreſſis, inuocato Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nomine, neſcio quid ridiculæ precis cum rythmo immurmurant.

Digitized by Google

Addunt quoque morbum hunc S. Eligij à valle, & S. Sulpitij Balmenſis eſſe; ideoque celebrandas apud eos nouenas duas, ſi vellet ſanitati reſtitui: & ad id operam promittunt ſuam, ſi ſibi nummum aureum ſuppeditet. Vir minimè malus dum exiſtimat, ſicut poſtea ipſe narrauit, cœleſtes medicos ſibi à Deo miſſos, facilè eis aſſentitur: qui egreſſi, quarto aut ſexto die redeunt; acceptum afferunt à S. Eligio oleum, quo nouem continuis diebus, ſed ſemel tantum ſingulis, brachium debeat inungere; & à S. Sulpitio ſuffitum, quo totidem diebus corpus totum pallio obuolutum fumigare. His ita dictis abeunt. Aegrotus verò dum diligentius penſitat quæ acta erant, tum demùm verſutiam dæmonis intelligit, qui ſe voluerit his præſtigijs ludificari. Dolet proinde quod tam imprudenter, bonâ tametſi fide, coniectoribus & ſortilegis crediderit. Accerſit confeſſarium, & confeſſione peccata ſua expiat; omnem ſpem deinceps in ſolo Deo ac Deipara habiturus. Nec ità multò poſt, morbus à dextro brachio in ſiniſtram tibiam iuxta poplitem relabitur; & recrudeſcit magis magiſque. Ille verò vbi ſenſit mortem inſtare prouidit familiæ ſuæ, muniuit ſe Sacramentis omnibus, & à patre octogenario, item vinitore, antiquæ probitatis viro, benedici poſtulauit. Atque ita tandem animum quem in Deum ſemper ac Deiparam intentum habebat; feliciter exhalauit. Poſtridiè ſepultus eſt proſequentibus funus Sodalibus omnibus Ec-

cleſiaſticis & laicis aperto capite, cum cereis & candelis. Sed & laici ſex, illius corpus magnâ cum populi Bizuntini gratulatione, & ſignificatione pietatis, detulerunt. Narrauit porrò vnus è Patribus Collegij; viſum eſſe ab illo Chriſtum Dominum in Euchariſtiæ Sacramento; idque ſe ab ipſo certiſſimè ſcire teſtatus eſt. Paucis verò diebus interpoſitis, demortui pater, filij permotus exemplo, Sodalitij præfectum adijt lacrymabundus; obnixéque orauit, vt ſe in filij locum ſufficeret, obiturumque ſe non ſolùm omnia Sodalium munia, ſed duplo etiam plura præſtiturum.

26 Neque hoc caret admiratione quod ſequitur. Adoleſcẽs ſcholaſticus nandi non ità peritus, in fluuium ſeſe eo loco demiſerat, vbi aqua in piſtrinum decurrebat. Ea correptum hominem, breuique impotem redditum ſui, fruſtráque auxilium petentem ſub ingentes rotas præcipitat; qui per medios vortices, & albicantium vndarum crepitus, intactus à rotis (etſi rotam inter & terram vix vnius pedis altitudo reperiretur) in alteram partem euadit incolumis, liberatori Deo gratias agens. Hoc verò fuit illi non paruũ, ad ambiendam B. Virginis Sodalitatem, incitamentum. Alter, quo die in Sodalitium admiſſus eſt, Iubileum eſt conſecutus. Gratias Deo, & patronæ Virgini pro gemino illius diei beneficio reddebat; cùm addidit Deus & tertium, vt eodem ipſo die ſuauiſſimè obdormiuerit in Domino, tametſi non ità graui morbo tentari videretur.

Digitized by Google

In Vrbe Monaſterienſi, ciuibus præeunt plęrique Sodales pulchro exemplo, & trahunt tum odore virtutis, tum violentis penè perſuaſionibus, ad accuratiorem confitendi rationem, ad aſpernandas inconceſſas epulas, & Eccleſiaſticas ſanctiones ex more maiorum ritè obſeruandas. Adoleſcentulus, ad menſam parentum, cùm ſuſpicatus eſſet, quod guſtare cœperat olus vetito adipe vitiatum; doloris intimi vi lacrymas profundens, magno domeſticos ſtupore defixit. Alius in prædones illapſus, dum excutitur, fortè precatorij globuli ruptâ chordâ diſſiliunt. Eos dum colligit puer, cæteris in prædam & loculos ſcrutandos intentis, ſciſcitanti eorum duci myſteria ſacræ corollæ tam dextrè intrepidéque exponit; vt auditorem ſuum attentum primùm, poſteà etiam beneuolum effecerit. Beneuolentiæ indicium fuit, quòd omnibus redditis, doctorem roſarij, diſcipulus ſuus impunè dimitti iuſſit. 27

Inter Sodales Collegij Lucernenſis in Germania, non deeſt, qui rigidiore zonâ, & ſpõte ſuſceptâ diuerberatione ſępius quothebdomadis in ſe deſęuijt, cũ tamen præ extrema paupertate, aliquãdo toto octiduo, vix ſemel atq; iterũ iuſculum haberet. Perrexiſſet longius, niſi qui ei à confeſſione erat, re intellectâ, ardorẽ tẽperaſſet. 28

Ibidem Sodales, quibus diebus intemperans multitudo ventri & Baccho litare ſolet, Virginẽ temperantiæ matrẽ impenſiori ſtudio ſibi colẽdam duxerunt. Itaque in eius æde, quãto potuit apparatu maximo, ſacrum faciendum curarũt; 29

frequenti multitudine ſimul ad ſpectandum, ſimul ad imitandam pietatem allectâ. Sub Natalitia, & Paſchalia egregiam operam nauarunt quàm plurimis ad confeſſionem inſtruendis, impellendiſque. Ad eam rem coëmpti à Sodalitate libelli amplius 500. de modo ritè confitendi; & in familiares diſtributi, felici euentu. Cerneres parentes à filijs, grandæuos à puſillis duci ad Sacerdotis tribunal: ſequitur iam non patrem ſua proles; ſed prolem ſua mater, & matrem pater. Matrona quædam acceptâ à filio ſuo examinandæ conſcientiæ formulâ, biduum ſe diſcuſſit; tradidit deinde libellum filię; poſtea duabus ancillis; demum omnes ſimul breui bis confeſſæ, refectæque cœleſti pane. Conſpicatus hæc paterfamiliàs, & turpe ſibi relinqui arbitratus: Solus ego, inquit, ex domeſticis expers gratiæ iſti... non ero. Dixit, & proximo circumci... ...is die effectum de-

30 dit. Alij extrem... ...iam p... ...rum delictorum à ... dom... ...pe- tent... ...ram ... ...re- g... ...ctacul... ...uam p... ...me... ...ep... ...sau... ...e... ...di... ...ur ...tri- ...ecum ...probè ...ros

functos, pro templi foribus ſtipe donat. Factũ inde, vt frequentata mendicis Eccleſia, frequẽtiores ad rem diuinam etiam diuites allexerit; & iam res in conſuetudinẽ venit. Permouit & ludimagiſtrum oppidi, vt magnis precibus Parthenium Sodalitium expoſceret, impetraretque. Solemne eidem eſt maioribus feſtis, ſpatio trium milliarium ad vrbem MONASTERIENSEM, confeſſionis cauſâ, excurrere. Denique in Deiparæ honorem ità accenſus eſt, vt hiſtoriæ verſionem Lauretanæ, ad quam arcanis quibuſdã ſtimulis impelli ſe ſenſit, ingenti labore aggreſſus, multiſque pro fœlicis operis exitu ſuſceptis votis, tandem perfecerit. Præcipua laus minorum Sodalium fuit, in priuatis cætibus, ante ſolemnium dierum communionem, primùm ex pio quopiam libello caput vnum alterumue audire, de auditis conferre; tum verò in genua procumbere, oſculari alij aliorum pedes, & mutuam offenſarum veniam poſtulare; & acri denique diuerberatione, carnem, ac cilicijs edomare. Ex iiſdẽ quidam parentem ſuum, qui vigeſimum iam annum à Catholica communione abſtinebat, crebris ſermonibus & argumentis è paruo Caniſij Catechiſmo petitis, ſenſim ad orthodoxam & frequentiorem orationem inclinauit: ac demùm ſupremo morbo conflictantem, modò per ſe, modò per amicos, & per matrem aggreſſus, conſulto etiam ſubinde magiſtro, qua ratione Chriſto genitorem ſuum gigneret, & efflagitatis communibus ſcholę precibus; perſuaſit tandem, contrà erronum ſibi-

31 32 33

los, qui decumbentem ſubinde viſebant; vt cõfiteri vellet. Vocatur ergò Sacerdos: confitetur æger accuratè, quantùm meminiſſe potuit, de præteritæ vitæ delictis: redit in gratiam cum vicino ciue, à quo multis annis grauiſſimè diſſenſerat: percipit Euchariſtiam, magnâ cum ſignificatione pietatis. Tum addit ad liberos ſalutaria monita, ſeriòque cuique mandat, ne filium iſtum ſuæ ſalutis auctorem auocet à litteris; cui tamen olim, ne Sodalitati nomen daret, grauiſſimis comminationibus interdixerat. Obdormit tandem placidè in Domino, mirantibus multis, qui obſtinationem hominis nouerant, mutationem dexteræ excelſi.

34 IN COLLEGIO Hildeshemenſi, pueri ob ætatis imbecillitatem à Sodalitij communione excluſi, fœdus inter ſe Pœnitentiæ Sacramentum Dominicis feſtiſque diebus obeundi pepigerunt. Inter Parthenios verò quidam morbo admodum moleſto diuexatus, certum numerum precum ad aram Deiparę vouit. Ex quo tempore melius habere cœpit; itâque confirmatus fuit, vt ſibi valetudinem eam polliceatur perpetuam.

35 IN SODALITIIS nonnullis Auſtriæ, & nominatim in Græciẽſi, hebdomadaria confeſſio introducta paſſim viget. Solemnis ieiunij tempore, ſemihoram quotidiè finitis pomeridianis lectionibus, ad Deum Chriſtianis calamitatibus placandum, in oratione collocarunt. Quo tempore honorarij Archiducum pueri pietatem ſuam oſtenderunt maximè. Et verò

orationes ipſis etiam profuiſſe,quidam illorum ſuo & periculo, & periculi ſalute,expertus eſt. In caſtris verſanti, altera iam ſagitta mortē illi venturam è veſtigio nunciauerat; (quippe vtrāque corpore exceperat non ſine vulnere) quam tertia, quæ veneno tincta fuerat, certiſſimè attuliſſet; ſed Officio B. Virginis, quod ſecum ad femur geſtabat, impacta, irrito conatu excidit. Id ipſe non alteri quàm precibus & B. Virginis præſenti auxilio acceptum tulit.

36 Vltrâ hanc veterem iam ætate prouectiorum Sodalitatem, cœpit hoc anno in Græcienſi Collegio noua alia (quæ Congregationis Angelicæ Deiparæ Virginis nomen aſſumpſit,)pro ijs quorum animi vt in omnem partem molliores ſunt, itâ,vt à teneris religioni & timori Dei innutriantur, ad omnem illorum vitam plurimùm referre videbatur. Quod tamen vt perpetuum eſſet ; & ſocij , Congregationis initia maiori voluptate meminiſſe poſſent, & auctoritate originem tutari ſuam; in præſentiâ omniū Archiducum ſub patrocinio & auſpicio Sereniſſimi Archiducis Caroli,leges rogatæ ſunt atque propoſitæ. Quo tempore,Sodalibus ſuffragia ferētibus, vnà cum Archiducibus,idē Carolus iam primùm duodennis,non ſine feſto tubarum clangore,primus Præfectus eſt renunciatus. Ille verò poſtquam honorem hunc admiſit,thronum in theatro paratum aſcendit. Prodiere dein duo, qui oratiunculâ tempori, inſtituto, & tanto eique primo Rectori Sodalitatis accommodatâ, dignitatem gratulati ſunt, pa-

trocinium tutelamque implorantes. Quâ finitâ, Archidux paucis ea quæ rogabãtur pollicitus, propenſam in conſodales beneuolentiam explicauit. Prouolutus poſtea ad pedes Illuſtriſſimi Nuncij benedictionem ſuo muneri & Congregationis incunabulis neceſſariam, eſt precatus: quâ impetratâ, actiunculã de adoleſcente qui eiurato Chriſti cultu, cùm Virginem Deiparam deteſtari ſimul noluiſſet, per eam filij gratiam iterum collegit; ingenitâ Auſtriacæ domui humanitate ſpectarunt. Idem Sereniſſimus Carolus cùm ex Sodalium fœdere & lege, octauo quoque die de peccatis confitendum, ac ſæpius pane ſacro veſcendum didiciſſet; Si omnibus, inquit, hæc cura incumbit, par eſt, vt quod ex lege didicerunt, in id etiam meo exemplo ducantur: à me itaque pietatis huius exordium datum videant.

Cæterùm ab hiſce Sodalibus (quorum iam ſexaginta numerantur, inter quos Barones aliquot, nobiles plurimi) ſacrâ pœnis Chriſti hebdomadâ, ſepulchra obita, & peregrinationes piæ ad furorem Turcicum auertendum ſuſceptæ. Quo in itinere rara puerorum virtus enituit, cùm Sanctorum vitas inuicem explicarent, ſphærulas precarias deuoluerent, preces ad Deum Deique domeſticos funderent, eleemoſynas domi à parentibus impetratas, egenis alacriter diuiderent. Feſtum Aſſumptæ Virginis (quæ celebritas ipſis propria eſt) pueri, animo & pietatis ſenſu non puerili, peregerunt. Dies etiam Michaëli Archangelo con-

ſtitutus (quia eius, poſt Deum Deique Matrem, clientelæ ſe totos permiſerunt) ingenti cum lætitia & veneratione tranſijt. Eodemque die præſentibus Sereniſſimis Principibus, datus ab ijſdem in ſcenam prodijt adoleſcens, qui vbi facto cum bonis diuortio, improborum ſe moribus & conſilijs aggregaſſet; ab Angelo tutelari alapâ cæſus, ad meliorem vitam redijt.

Ibidem vnus negligentior in ijs quæ ex legum præſcripto requirebantur, notatus in errore, monetur; reprehenditur; periculum exauctorationis denuntiatur. Cùm ille iudicij imbecillitate ignominiam non apprehenderet, tam ſeueram ſententiam contempſit. Sed verò, vbi poſt dies aliquot conuentum eſt, & Sodalium vnâ voluntate ſancitum conſultum pronuntiatur; exhorret puer, & in genua prouolutus grauiſſimis verbis tantam ſeueritatem à ſe deprecatur, omne aliud iudicium certiſſima cum emendatione accipere paratus. Flexerunt efficaces illius gemitus, Sodalium animos, & ſocietatem illi in poſterum confirmarunt. Sed quia tam inſperata voluntatis conuerſio cogitationem eorum & ſpem decepiſſet; interrogatus eſt, vnde illi tam ſubita fuiſſet propoſiti commutatio? Ibi retulit, ſe noctu, ſomno interrupto, Virginem ſpecie humana auguſtiorem, ornatu regio fulgentem, propè lectulum aſpexiſſe. Nullum quidem illa verbum loquebatur, inquit, ſed tamen eam imis ſenſibus infudit lætitiam, quam ne cogitatione 37

quidem concipere ſatis poſſum: & quia contemptam à me ſocietatis iacturam memineram, moueri me hoc ſpectaculo ſentiebam, vt ad eam porrò frequentandam ſupplex fierem: obtuli me dein B. Virgini, firmiter ſtatuens, nunquam me contrà honorem illius quicquam deſignaturum. Atque hæc cauſa eſt tam enixæ meæ petitionis. Neque profectò inanis fuit viſio: ita exinde ſocios exemplo cœpit ædificare, vt veterem infamiam qualemcumque penitus aboleuerit.

38 SELLIAE in eadem Auſtria, inſtituta eſt hoc anno ad maiorem ſcholaſticorum profectum Congregatio Deiparæ, præſente nobiliſſimo Antiſtite Nitrienſi. qui in album hoc quoque inſcribi voluit. Sodales ergò, licet primo ortu pauci, virtutem colere, pia opera exercere, fructum metere incipiunt. Nam præter voluntarias macerationes, quas priuatim & publicè ſuſcipiunt; prauos etiam affectus eradicare, conſcientiæ maculas ſæpius eluere, cœleſtem panem ſuſcipere, ſe mutuò inflammare, proximis exemplo prælucere, ſalutis ſuæ prodigos à ſceleribus auocare diſcunt. Factumque eſt eorum operâ, vt nouem ex Haidonibus, ad ſaniorem mentem & ſalutarem confeſſionem ſint adducti. Ibidem Sodalibus duobus, peſtis veneno infectis, pater Congregationis à reliquis ſummè contendit, vt pro incolumitate ægrorum preces funderunt. Placuit obſequi; ſtudioſè fuſis precibus morbum ab vtroque abegerunt.

39 IN POLONIA, è Parthenijs Collegij Poſnanienſis fuit hoc anno, qui ſeminudum propriâ veſte contexit. Alterius ſingularis fuit vocatio. Nam cùm ad religioſam vitam animum adieciſſet, cumque parenti aperuiſſet, & aſſenſum impetrare non poſſet; hanc tandem ab irato extorſit vocem: Me ſuperſtite, vide ne quid eiuſmodi in mentem inducas tuam: è viuis demum ſublato, fas tibi erit quod voles aggredi. Res mira. Vix biduum interceſſit, cùm parens repentè mortuus eſt.

ANNVS CHRISTI 1603.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 39.

1 IN ITALIA, Sodalitas Collegij Calataneſſettenſis quæ eſt opificum, cùm in magna terræ ſiccitate quadraginta horarum precibus inſiſteret, ingentem à cœlo pluuiam atque inexpectatam impetrauit. Ex quo factum eſt, vt alij atque alij, in idem Soda-

litium ſe admitti enixè poſtulauerint. Quidam etiam ex ſcholaſticorum Sodalitate à deſperato morbo conualuit, poſtquam D. Virgini certa quædam ieiunia deuouit.

2 IN COLLEGIO Neapolitano Sodalium pietas tanta eſt, vt nullã ferè alios iuuandi occaſionem, elabi ſibi patiantur è manibus. Ex his extitit certi aurificis charitas, qui iuuenem nobilem alere pollicitus, dummodo nuntium remitteret aleatoribus, quos rerum inopiâ pellente domi ſuæ fouebat, vt eo quæſtu vitam toleraret. Quod cùm ab illo impetraſſet, ità conſtanter ac ſedulò ei neceſſaria ſuppeditauit; vt aleator hominis minimè diuitis liberalitate cõmotus, quò illum ſua causâ ſollicitum moleſtiâ liberaret, & quò ſibi in omnem vitam tutius cõſuleret, elegerit poſt aliquot menſes in religioſa familia diuinò ſe cultui mancipare.

3 IN SODALITATE Collegij Beneuentani alterâ, illud illuſtre. Cùm is qui ædes dono dederat cogendis Sodalibus opportunas, eidem Sodalitati nomen dediſſet, eſſetque abalienato erga Sodalem animo; ſummo ſtudio contendebat, vt is cui infenſus erat, à Sodalitate excluderetur. Conſpirant omnes in vnius Sodalis defenſionem; decernunt donatas ædes, licet magno cum incommodo diſpendioque deſerendas potius, quàm innocentem Congregationis aditu prohibendum. Quare relictis prioribus, corrasâ è ſingulis pecuniolâ, nouas ædes à fundamentis excitarunt. Verùm haud ità multò poſt, is qui in fratrem iniuſtus eſſe volebat, iu-

Digitized by Google

ſtiſſimam Dei vltionem expertus eſt.

CONIMBRICAE Deipara egregium ſuum erga Sodales de ſe optimè meritos patrocinium, non vulgari euentu, teſtatum eſſe voluit. Horum vnus cùm in altâ quadam ſpecu varios in vſus deſoderet humum, ad foueæ oſtium agricola acceſſit, hominemque hortatus blandè eſt, vt, quando nimis labore fatigatus ægrè iam ſpiritum traheret, exiret è fouea vireſque paulisper reſumeret; ſeſe interea in partem operis, laboriſque libenter ſucceſſurum. Paruit monenti Sodalis: & vix pedem è foueâ extulerat, cùm egeſta tellus ac pendula in profundum repente abijt, miſerumque agricolã qui pro Sodali fuerat ingreſſus, immani pondere ità grauiter ad terram affixit, vt animam quoque crudeliter extorſerit. Ergò ille tanto defunctus vitæ periculo, habendas ſibi immortales gratias Dei parenti exiſtimauit; cuius nomine illæſus & incolumis tantum adierit vitæ diſcrimen. 4

VILLAGARSIAE qui in Sodalitium domus Probationis cooptãtur, præ cæteris in pietate ſe exercent, miſericordiamque cõplexi, ægros inuiſunt, egentibus pro ſua quiſq; facultate ſubueniunt. Nõ deſunt qui mẽdicos in cubicula ſua deferant, & in lecto quem ſibi ſtrauerãt, charitatis quodam ardore decumbere & iacêre cogant. Ex ijs vnus, quemdam pauperem paulò iracũdius allocutus, nocturno examine leuiſſimi delicti pungente conſcientiâ, dormire illâ nocte nõ potuit. Itaque eum licet egentiſſimũ, veniã ſupplex popoſcit, & pedes oſculat' admi- 5

rationem plauſumque concitauit; erat enim qui ſe ità demiſit, ætate adultus, & genere clarus, ſed multò clarior pietate.

6 SODALES domus Profeſſæ Hiſpalenſis noſocomia ſæpe quidem, & nonnulli diebus ſingulis circumeunt. Cuſtodias quoque publicas adeunt, & in Eccleſiaſtico præſertim carcere vinctos quos ſummâ indigentiâ laborare intellexerint, ſummâ ipſi ſollicitudine curant. Ex iiſdem triginta inter ſe pacti ſunt, vt diebus ſingulis vnuſquiſque vice ſua, prandium vinctis paret; quatuor quotidie prandentibus aſſiſtunt, dumq; cibo reficitur corpus, animus pia lectione pariter recreatur. Iidem ſacellum carceris & ſacra ornamenta, vetuſtate neglectuq; ſqualentia, priſtino nitori reſtituerunt; medicum præterea & pharmacopolam exquiſierunt, qui eiſdem ægrotantibus quæcumque ad curationem corporis neceſſaria ſunt medicamenta, gratis miniſtrent.

7 In eadem vrbe Hiſpalenſi ad quendam è Collegij Sodalitate alumnum, dum per vicos eques incederet, proba quidem ſpecie, re tamen verâ impura fœmina acceſſit, illum allocutura; conſtitit ipſe melius quiddam velle ratus; verumtamẽ vbi nihil aliud habere negotij, quàm vt ad turpitudinem inuitaret, intellexit; indignitate commotus, lora quæ manu geſtabat in faciem illi inflixit ea vi, vt vibicibus diſtinctam, aufugiens ipſe continuò reliquerit. Quid multa? tantum in omnibus caſtiſſimæ Virginis alumnis caſtitatis ſtudium; vt mulierum

Digitized by Google

tanquam ſerpentum aſpectum fugiant; quin & plærique nec ancillas cubicula ſua, ſe præſentibus, patiantur ingredi. Nec defuit qui cùm morti (vitæ quidem laudabiliter actæ conſentaneæ) proximus eſſet, coram Sodalitatis Præfecto ſeriò teſtatus ſit, ſibi (cùm Hiſpali annos ipſos nouem fuiſſet commoratus) fœminam nullam ex facie notam, præter binas ſanguinis ſibi communione coniunctas; quas ob vitæ ſuæ rationem ſæpè alloqui neceſſe erat.

8 IN COLLEGIO Cordubenſi, Sodaliũ exercitationes hæ fermè ſunt. Abſolutâ exhortatione, cui diebus feſtis omnibus frequentes inter ſunt, tempus aliquód in rerum diuinarum meditatione, pijque libri lectione inſumunt: inde in quatuor Xenodochia dimittuntur alij, alij in templo Collegij vacant orationi. Ineunte mẽſe deſtinatur vnus vinctorũ litibus procurãdis: quem etiam in finem, quibuſque diebus Sabbathi, quo die carcer à Magiſtratibus inuiſitur, mittuntur illuc è Sodalibus duo, Iuriſconſultus hic, Curatus alter, qui totius Sodalitatis nomine pauperum cauſas agant. Hoc verò quo efficacius cõmodiuſque fiat, ſeni aurei ſingulis hebdomadis, à Sodalitate inpenſarum ratione conſtituuntur. Quorum induſtriâ & authoritate, (eâ nempe apud Magiſtratus Sodalitas hæc valet plurimùm) aliquoties effectum eſt; vt in duplici cuſtodiæ publicæ viſitatione, triceni bini vinculis exuerẽtur. Aliũ præterea eleemoſynarum ſuarum diſtributorem Sodalitas habet, qui

egentes per vrbem exquirat; inuentiſque, pecuniâ,rebuſque neceſſarijs ſubueniat. Sed & alteri conſuetudini laudandæ ſatis,præſens annus initium dedit; vt nimirum vincti ſtatis quibuſdam diebus, expiatis animis ad ſacram ſynaxim accedant, vno è Patribus Collegij ſacrum ſolemniter celebrante; cui ad augendam celebritatem interſunt magiſtratus ipſi, & è Sodalibus nonnulli, à quibus communione peractâ, ſacro excipiuntur epulo.

9 IN COLLEGIO Granatenſi eſt tertia Sodalitas opificũ & tenuioris cenſus hominũ,quæ trecentos amplius Sodales numerat. Hæc apud illos viget,inter alias, pia conſuetudo. Cùm Sodalium aliquis in morbum incidit, ſi forte ille tenuis fortunæ fuerit, duo deputantur, qui ægrotum ſæpius inuiſant, qui medicamina, cæteraque omnia ad ſalutem neceſſaria,omnium Sodalium nomine, abundè ſuppeditent.

10 LIMAE in Peruuio, quidam Parthenius ad profanam comędiam aditum ſibi pecuniâ comparauerat. Is poſtquam ſediſſet ſpectaculi cupidus, vbi repentè meminit imminere iam horam,quâ in ſacello haberi ſolet ad Sodales concio;tanto cœpit mœrore affici, vt ferre minimè poſſet. E veſtigiò ergò ſpectaculo valere iuſſo, ad Collegium ſe confert,malens corporis quàm animi oblectationis iacturã facere. Nec ſua illũ fefellit voluntas: tanto enim inter audiendum cœli perfuſus eſt gaudio, vt omnibus mundi oblectamentis, piã illam Sodalium exercitationem anteponẽdã cenſeret, apertéque fateretur.

Digitized b

IN QVITENSI Collegio præfulget Sodalitas Sacerdotum, quæ duobus, tribuſue abhinc annis enata, vberes iam fructus producit; neque caret illuſtribus ad admirationẽ & memoriam exemplis. Quidam ex Sodalibus, cui res familiaris vix neceſſitati ſufficiebat, aureos plures ducentis liberali dextrâ diuiſit in pauperes. Eidem cùm nobilis quidam vir dono veſtem dediſſet, eam ille diuendidit; & inopiá viduę, mercede ſubleuauit. Alius cùm à petulanti fœmina ad flagitium illiceretur, non modò ſe in officio ipſe continuit, ſed illam meritis affectam verberibus ad officium reuocauit. 11

BVRDIGALAE Sodalitium B. Virginis cui ex Senatorio ordine, & academię profeſſoribus præſtantes viri nomen dederunt, pietate & miſericordiâ claruit; hâc ſeptuaginta quatuor captiuis liberandis, quos egeſtas & patronorum penuria in vinculis continebat; illâ quòd flagellorum vſum, quem Superiores omittendũ cenſuerãt, per ſingula quadrageſimæ ſabbatha indulgeri ſibi, tãta pietatis ſignificatione orarunt, vt exorarint; quòdque quadragenarũ horarum oratione, per bacchanalium dies indictâ, magnum exemplum ciuibus pietatis ediderint. 12

IN COLLEGIO Auenionenſi qui è Collegio præeſt minori Sodalitati, in qua numeroſa iuuentus exercetur ad pietatem; cùm videret plæroſque in virtutis ſtudio non mediocriter officere ſtudioſis; omnes acriter cohortatus eſt ad inſtaurationem voluntatis illius quâ ſe primùm quiſque Virgini matri conſecraſſet; ſi qui 13

nollent, ſolui Sacramento placere, & ex albo Sodalium deleri. Conſpirarunt adoleſcentes eximij quinquaginta ſupra centum, & præmiſſâ totius vitæ confeſſione, propoſitoque colendi Virginem ardentiſſimè renouato Kal. Ianu. ſolemni apparatu in oratorio formulam ſuæ dedicationis, ſuo quiſque ordine ante Euchariſtiæ ſumptionem, magno omnium ſenſu gemituque multorum, nuncuparunt. Valuit illa res vehementer non modò ad illius Sodalitij bonam diſciplinam, ſed aliarum etiam Congregationum, totiuſque gymnaſij exemplum. Nam Sodalitas maior quæ tota penè conſtat ex primarijs ciuibus, non verita ſequi veſtigia puerorum, quæ virilem ducerent ad virtutem; die ipſo Pĕtecoſtes ſimili facto, ſimiſem inijt à Virgine gratiam. Hæc inſtauratio torporem & veternum excuſſit omnibus; vnde noua repentè & vegeta facies extitit pietatis. Idem voluit imitari Congregatio Seminarij, ſimiles vt experiretur vires animi renouati. Ità, gliſcente exẽplo, plurimi rapti ſunt ad imitationem, tantâ contẽtione, vt confeſſionibus excipiendis toto ſemeſtri vix ſufficerent Sacerdotes.

14 E maiori Sodalitio vnus fuit ad exercenda in oppido proximo iudicia delectus, qui mulctas pecuniarias, ſi qui tenuiores ſoluendo non erant, pro eis ipſe de ſuo diſſolueret. Alius vrbano Magiſtratu fungens, eum à quo læſus erat peramanter complexus in Sodalium cœtu, ſibi Sodalibuſque magnam fecit opinionem Chriſtianæ charitatis. In minore Sodalitio pulcher-

Digitized by Google

rimum fuit ſæpe ſpectaculum, nobiliſſimos ac ſpectatiſſimos adoleſcentes, Baronum, Comitumque ſtirpem, ipſo in cœtu ſociorum, ædem B. Virginis ſtatis diebus euerrere animosè, ſordeſque ipſas palam, videntibus cunctis, extrà Collegij ſepta cum contentione efferre, aliaque obire munia, ſigna generoſæ humilitatis.

15 PARTHENIORVM Collegij Viennenſis pietas maximè in eo enituit, quòd perplures in Quadrageſimæ ſingulis penè diebus aliquid præclari in honorem Paſſionis dominicæ, atque Chriſti paſſi amorem, præſtiterint. Alij cingulis cilicinis induti; alij flagris cædentes terga; alij myſteriorum roſarij commētationibus vacantes, ſimilibuſque pietatis exercitijs. In Cœna Domini, duodecim pauperibus in hoſpitali ciuico à Sodalibus abluti pedes, & datum epulum. Venuſtâ oratione, & perbreui feſtiuo dialogo Reuerendiſſimū Epiſcopū Tranſyluaniæ multâ cum grati animi ſignificatione reſpondentem, Congregatio excepit. Eiuſdem coëmpti ſumptibus plurimi libelli de rectè inſtituēdâ confeſſione ſacramentali, & paſſim à Sodalibus inter domeſticos & notos cum inſigni fructu diſtributi. Integrā quadrageſimalis ieiunij penè hîc obſoleti obſeruantiā, familiaribus ſuis & cohabitātibus Parthenici perſuaſerūt. Vnus in obſidione Albæ regalis captus à Turcis & redemptus, cùm æger Viennæ decumberet; illud ſæpius inculcabat, ſingulari ſe ſemper erga B. Virginem deuotione fuiſſe, adeòque ſibi certò perſuadere, eiuſdem ſe benignitate ac pa-

trocinio, exiguo admodum lytro redemptum, & inter Chriſtianos Catholicos, omnibus vt muniretur Sacramentis, promeritum eſſe.

16 IN COLLEGIO Græcienſi, Congregationem B. Virginis maiorem illuſtrarunt hoc anno cùm viri primarij multi & Barones aliquot, túm quinque in eam adſcripti Epiſcopi: inter quos Nuntius Apoſtolicus. Per ſacrum Quadrageſimæ tempus accendendæ Sodalium pietati, petijt & impetrauit Rector eiuſdem Congregationis; vt ſub veſperum latina concio haberetur feriâ ſextâ à quibuſdam Collegij patribus; quā & magnus audientium numerus, & ipſi religioſiſſimi Principes auguſtâ ſuâ præſentiâ celebrarunt; qui & eorum conuentibus ſæpè interfuerunt, & ſacram ibidem ſynaxim magno religionis exemplo publicè (quod alioqui priuatim

17 ſæpius in menſe faciunt) perceperunt. Minor Congregatio, id agit, vt ſola apellatione ſit minor. Vix vnum des inter octoginta ſex, (tot enim numerabat) qui non animæ labeculas per ſacram confeſſionem eluat quot hebdomadis. Ad Paſcha præſentibus Archiducibus, drama dederunt de B. Hermanno in pueritia; illâ venuſtate, vt ſpectatoribus lacrymæ manarent. Sereniſſimus Carolus huius Congregationis primus Rector, miſit Iudenburgo elegantē tabulam; inſigne ſuæ in eam voluntatis teſtimonium.

18 MVSSIPONTI in Francia Sodalem grauiter laborantem & confiteri cupientem, Sacerdos è Collegio accerſitus inuiſit, quem cùm

iam

iam orbatum ſenſibus atque animam ægrè ducentem inueniſſet, ope B. Virginis ſuppliciter imploratâ, impetrat; vt ſibi reſtitutus æger ſalutari confeſſionis remedio non deſtitueretur. Alterius longè diſpar exitus fuit, qui cùm ſenſum omnẽ pietatis exuiſſet, ſeſeque tandem ijs moribus imbuiſſet quibus ex Sodalium numero expungeretur; non ità diu poſt, cùm in flumine lauandus mergeretur, nunquam emerſit.

In Collegio Dolano, ad tres Sodalitates quæ in dies augentur hominum multitudine & virtutum, quarta plebeiorum acceſſit. 19
Ruſticus quidam cùm in eam ingredi vehemẽter optaret, ſibique ob id ſolum intelligeret aditum intercludi, quòd in pago habitaret; tãdem importunè, opportunèque flagitando & obſecrando effecit; vt, quod petebat, conſentientibus omnium animis impetraret. Ei verò gratiæ ità reſpondet, vt nullam ſuę, vel proximorum ſalutis promouendæ occaſionem prætermittat. Adeſt diebus feſtis, hora & loco condictis, domeſticos & vicinos ad omne Chriſtiani officij munus informat, ad concionem inuitat, ducit ad confeſſionem. In operis conducẽdis, quod ei munus ob eximiam & conteſtatam fidem ſæpè committitur, eorum potiſſimum habet rationẽ quos ad B. Virginis cultum propendêre, roſaria geſtare, atque percurrere videt: quibus ſi careant, vltrò de ſua tenuitate largitur. Ijs homo indicijs ſuam prodit in Virginem pietatem. At ſequentibus Virgo ſuam 20
declarauit in homines charitatem. Quidam in

Digitized by Google

latronum manus, caſu neſcio quo, inciderat;alterius ceruicibus diſtracti prędonum enſes impendebant;ſed vtriuſque ſalus & fortunæ,imploratâ Matris miſericordiæ ope, præſenti periculo ereptæ ſunt. Alium grauiſſimus iampridem morbus lecto affixum,& vehementer afflictum habebat. Hic fretus ſpe Deiparæ benignitatis,quam aliàs ex altâ prolapſus arbore expertus fuerat, in ædem ipſi dicatam altero ab vrbe milliari ægrè ſe confert;vbi coram Virgine in genua lacrymaſque effuſus,non prius orãdi finem dedit, quàm ægrotandi. Præclarum eſt illud: quòd, ſi quid controuerſiæ Sodales inter oriatur,à Sodalitate ipſâ dirimatur.

21 BIZVNTII quidam è Parthenijs, dum ſub noctem domum reuerteretur, obuium habuit hominem ebrietate furentem, qui in caput eius diſtrictum enſem tantâ vi contorſit, vt glacies ſeu futilis ictu diſſiluerit, ſolo ipſius galeri cingulo vulnerato; quod beneficiũ vt B. Virginis tutelæ acceptum retulit, ità eius amore acceptã iniuriam condonauit. Senſere & alij duo clientes eiuſdem patronæ præſens auxilium. Nam cùm ingens in ciuitate exortum eſſet incendiũ, quo iam ædes decem duodecimue conflagrarant,totam vim flammæ in eorum tecta incumbentem, ac ſæuientem,repentè à contraria parte ſpirans ſecundior ventus auertit. Secus omninò in eâdem incendij vaſtitate accidit cuidã Sodalitatis deſertori, cuius integram domum vis ignis perculit, penituſque abſumpſit.

Digitized by

IN GERMANIA Sodales Collegij Monachienſis legum ſuarum obſeruantiſſimi ſunt; ac ne quiſquam erratis ſuis legum illarum ignorantiam prætendere queat, ſuo ære vnus earũdem exemplaria plura trecentis eleganter imprimi curauit, in ſocios diuidenda. Multas horas precando conſumunt, ægrotis aſtant, miniſtrant, lectulos componunt, conſolantur, cibos apportant, integris menſibus per noctem apud eos excubant, certam pecuniam elargiũtur, rudes Chriſtianę fidei elementis inſtituunt, à ſceleribus, ab hæreſi multos reuocant, ad pœnitentiam inducunt, detractis peioribus meliores libros ſubſtituunt, oſtiatim ſtipem colligunt quàm egentibus tribuant. 22

IN COLLEGIO Friburgenſi Sodalitas B. Virginis ciuium numero aucta eſt; & reperti qui ſingulis hebdomadis totius Quadragesimæ, pane & aquâ dumtaxat corpus ſuſtentarunt. 23

IN MOGVNTINO Sodales hoc anno, maiore numero & ardore corpora ſua afflixerunt ieiunijs, cilicijs, & maximè verberationibus; vt neceſſe fuerit ei operi duos dies quâq; hebdomadâ tribuere. Duabus verò ante Paſcha hebdomadis, hoc anno primùm auſi ſunt, prælatâ cruce per medium populum, ante ſummam aram proni primum orare, tum acriter in ſua terga ſæuire. Ea res in populo admirationem quidem ob magnitudinem, & nouitatem, gemitum verò & lacrymas ob triſtem ſpeciem commouit. Iam iſta, lauiſſe pauperibus pedes, 24

addita eleemoſyna;cilicia crebrò vſurpaſſe;adduxiſſe hæreticos ad catecheſim Chriſtianam; flagitioſos ad vitæ infamiam abolendam; libros ſuſpectos eripuiſſe de fide periclitantibus; publicè petijſſe pœnam ſibi decerni in vindictam peccatorum, vetera videbuntur. Verùm inſo-
25 litus ardor noua fecit. Certè non defuere qui magnam partem noctis, pijs colloquijs, & bonorum librorum lectione tranſegerunt. Inuenti etiam ſunt, & honeſti, & nobiles adoleſcentes, qui ad ſignificandum abſolutæ perfectionis deſiderium, vltrò ſe offerrent, ad colligendam ſtipem oſtiatim die mediâ per vrbem, & ad notorum maximè domos. Vnus quidem eorum, cùm id impetrare non poſſet; toto biduo non comêdit aliud, quàm ius carnium, quod inter pauperes poſt menſam diſtribui ſolet.

26 HERBIPOLI fuit ex Sodalium numero, qui omni Sabbatho, à domeſticis carnem vorantibus exagitari potius voluit, ſoloque pane contentus eſſe, quàm ſibi quicquam contra Eccleſiæ legem indulgere. Repertus eſt, qui in Natiuitatis Chriſti ſolemnitate vndeviginti ſacris miniſtrarit, & duo inſuper audierit: qui idē honeſto cæteroqui loco natus, & fortunæ non contemnendæ, non erubuit aliquando facie luto deformatâ, habituque quantum licuit, mendicorum more cōpoſito, in vicino pago, Chriſti pauperis amore, ſtipem colligere.

27 Deſeruerat non nemo per ſocordiam, Dei Matris Sodalitium, illudque iam contemptui

Digitized by

habere videbatur. Permiſit Deus, vt non multò poſt graui morbo corriperetur; ex quo dum ſe moriturum putat, denuò recipi in Sodalitium petijt, & impetrauit. Eo die, quo ſe receptum, ac iam pro ſalute ſua à Sodalibus preces fundi cognouit; conualeſcere cœpit, extràque mortis periculum conſtitui.

HEILIGENSTADIANORVM Sodalium ſtudium latè patet, ſiue domandi corporis, malorumque affectuum expugnandorum feruorem, ſiue pietatem in alios manantem, exemplaque ſpectes. Quidam cùm ob domeſticorũ improbitatem ſuę deuotioni parere non poſſet, in ſolitudinem ac ſyluas ſeceſſit, vt de acerbitate Dominicæ flagellationis, aliquid ſolitarius deguſtaret. Sunt qui ſaxis denudata ſua pectora, magni illius Eremitæ inſtar percuſſère. 28

MONASTERIENSES pulcrum ſanè ſpectaculum præbuere, cùm pauperes mille octingentos in aream ſcholarum coactos, per Reuerendiſſimum Suffraganeum, Præfectum ſuum, & Collegij Patres, principijs religionis noſtræ diligenter imbutos, liberali eleemoſynâ donarunt. Quo facto ad piam æmulationem incitatus Nobilis dominus, Cathedralis Decanus Eccleſiæ; qui vbi id inrellexit, ſuo & collegarum ſuorum nomine liberaliſſimè pecunias in pauperes errogandas curauit. Sequuntur dein Eccleſiæ aliæ, ſed & ciues opulentiores pro ſuis quiſque facultatibus. Quod Chriſtianæ pietatis opus hæretici noſtri, qui cætera carpebant, 29

non potuere non admirari & probare.

30 Hildeshemenses Diuam Virginem ſingulari amore proſequntur. Pauper quidam pane & aquâ propemodum victitans, nummos nomine eleemoſynæ ſibi datos,ſtudioſe collegit, & imaginem D. Virginis Annuntiatæ, inſcio Patre Sodalitatis, quatuor taleris artificioſè pingi curauit; eamque Sodalitati obtulit. Fuit adoleſcens quidam Martinus Lutherus eiuſdem planè nominis cum notiſſimo illo Germaniæ hæreſiarcha; qui tanti à Prædicantibus fiebat; vt ſperauerint, imò etiam dixerint, per illum Lutheraniſmum iterùm inſtaurandum. Sed ſpe fruſtrati ſunt. Nam per D. Virginis Sodalem,ad vnum è Collegio adductus eſt; qui ei ex tomis Lutheri, doctrinæ Lutheranæ ortum & progreſſum à diabolo eſſe, perſpicuè monſtrauit: itemque Lutherum credidiſſe, & docuiſſe diabolum ritè paſtoris officio fungi, & Sacramenta adminiſtrare poſſe. Poſt hunc congreſſum, valdè humanitatem Patris admiratus, religionem ſibi faciebat,quòd antea tanto odio Ieſuitas fuiſſet proſecutus: cùmque iterum, & tertiò acceſſiſſet, conſtitutum planè habuit Luthero vnà cum hæreſi nuntium remittere, & in gremium Eccleſiæ Catholicæ ſe recipere. Interea Superintendens de re certior factus eſt,& Rector etiam ſcholæ;qui adoleſcẽtem non tantùm nebulonem publicè in auditorio proclamauit, ſed mandauit inſuper, vt hoſpes ſupellectilem eius quàm diligentiſſimè includeret, nec quicquam ei, niſi iuſſus,reſtitueret. Itaque

cùm aliud non poſſent, negant ſe ſupellectilem reſtituturos, niſi chirographo teſtetur, ſe apud maledictos Ieſuitas litteris operam non daturum. Nihil recuſauit adoleſcens, ſic enim ipſe ſecum cogitabat: Non equidem apud maledictos Ieſuitas in ſtudia litterarum incumbam, ſed apud benedictos; ac proinde, haud inuitus tale chirographum ipſis relinquam. Igitur dato chirographo, & ſupellectile receptâ, quamprimùm ad Collegium aduolauit; & inſcijs omnibus, per octo dies exercitijs ſpiritualibus animum ritè excoluit: ac tandem factâ profeſſione fidei, & animo per confeſſionem expiato, ſacrâque communione perceptâ, aliò ſtudiorum proſequendorum causâ profectus eſt.

Adoleſcens quidam ſtudioſus Collegij Embricenſis, lentâ tabe conſumptus ingredi non poterat; videnſque mortem propinquam, vt confeſſarium haberet è Societate, longiſſimâ viâ à matre ad ſacellum Collegij ægrè perductus, confeſſus eſt, & cõmunicauit. Deinde quod dudum deſiderauerat, Sodalitati etiam adiunctus, cùm non multò poſt vita vireſque eum penitus deficerent, Sacramentis nouiſſimis petit muniri. Ergò ſacerdos Sodalis, multis facibus prælucentibus, & longo ſequente Sodalium ordine, ad eum ſacroſanctam Euchariſtiam detulit, inunxitque; hominibus in reditu paſſim ad inuſitatum ſpectaculum ſe in vias effundentibus, adeóque approbantibus, vt quinquaginta annis nihil ſimile viſum faterentur. Cùmque pari pietate vniuerſa Sodalitas 31

funus duceret, ea res charitatem Sodalium tota vrbe celebrauit; quod ob id accidit, quòd eiuſmodi occaſio Sodalitati nondum obtigerat. Hunc conſecutus haud multò poſt veteranus, qui fine ſtudijs impoſito, in patriam reuocabatur; vbi cum ſaluti eius magnum diſcrimen impēderet, Virginis quam impensé amabat precibus, raptus eſt priùs, quàm malitia intellectum eius mutaret. Apud hunc moribundum cùm Sodales inuicem vigilaſſent, mortuum maiore etiam honore extulerunr, diuerſis pheretro epitaphijs præfixis; & iure, cùm ſupremis Congregationis muneribus ob virtutem præfuiſſet.

32 Brvgis hoc anno præclarum extitit Parthenij Sodalitij ſtudium. Nam inualeſcente lue quinque ſacra votiua in templo Collegij, heroico planè concentu celebranda curauit; atque ad placandam irati numinis iram, argenteam lampadem Deiparæ Matri, viginti ſeptem librarum Flandricarum, ad aram eius miraculis illuſtrem vouit.

33 In Polonia Sodalitas Collegij Poſnanienſis Bacchanalium tribus diebus quibus homines licentiæ ſe dare ſolent, ità ſe continuit; vt pomeridianis horis, ad oratorium ſuum conuenirent, & ſpirituali tum collationi, tum lectioni vacarent. Diebus vacationum, feſtis, dominiciſque partim templa, partim hoſpitalia inuiſunt, altaria ornant, hypocauſta, areas, oratoria verrunt, eleemoſynæ aliquid errogant: Et, quod hoc anno inſtituerunt, doctrinâ Chriſtianâ pauperes in certas claſſes diſtributos, ſe-

dulò imbuunt. Die Cænæ domini vtraque Cō-
gregatio in Xenodochijs pauperes poſtquam
eorum pedes lauiſſet, prandio excepit. Maio-
rum Congregatio, hoc anno die feſto B. Virgi-
nis Annuntiatæ, præmiſsâ confeſſione, partim
totius anteactæ vitæ, partim multorum anno-
rum, generalem inſtituit renouationem ſui illius
pij propoſiti, quod primo in Sodalitium ingreſ-
ſu facere ſolet. Quo illius exemplo, non pauci
ex Congregatione minorum generalem con-
feſſionem inſtituerunt.

ANNVS CHRISTI 1604.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 40.

EX QVATVOR B. Virginis Sodalitijs, quæ ſunt in Collegio Dolano, vltimum (quod hominum eſt rudium & imperitorum) ſingulari pietate excellit. 1
Exempla huius pietatis ſunto. Vnus ex his, cùm quicquid domi habebat, domum inſuper ipſam

Digitized by Google

flagrantem incendio, ex agro reuerſus, fortuitò offendiſſet; non modo moderatè tulit, ſed in genua procidens, Sancti Iobi memor, in hæc verba prorupit; *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum*; tantâ cum animi conſtantiâ, vt qui tum miſero, & miſerando aderant ſpectaculo, ſingularem in deploratis rebus patientiam mirati, non dubitarent calamitoſi huius virtutem, ditiorum fortunis anteferre. Sed neque tantùm ſuos Deus im-
2 mortalis, tanquam aurum in fornace, probat; miſcet interdum amaris dulcia. Itaque ex hac imperitâ & rudi, ſed tamen Deo charâ multitudine, vnus ardentiſſimâ febri iactatus, cùm aliquot dies iacuiſſet, feſtoque die horas recenſendo, eam in animo deſignaſſet, quâ coguntur, & in ſacellum conueniunt Sodales, ſic morbum fugauit: Egone, inquit, cæteris conuenientibus decumbam, & hic ociabor iners? Surrexit impiger, & (dictu mirum!) ex tam moleſta, & incommoda valetudine alacriter emerſit; abijtque illicò, Deiparæ, Sociorum in conſpectu, gra-
3 tiam habiturus. Iam tertius eiuſdem cœli Reginæ cliens, nec minus ſtrenuus, cùm Chriſti natalis peruigilio, intempeſtâ nocte, ſacris operanti Sacerdoti adfuiſſet, ſeſeque domum recepiſſet, vbi die illuceſcẽte quibuſdam ſe carnis ſtimulis agitatum comperit; experrectus, & ſalutaris cibi ſumptione reiectâ in craſtinum, vrbe egreſſus, poſitiſque veſtibus, ſeſe in niues (quarum magna eſſe ſolet poſt hyber-

Digitized by Google

num ſolſtitium copia) immergere non dubitauit: vt ſi quid voluptatis inuito ſuſceperat animo,tam vrentis frigoris dolore libenter ſuſcepto,tandem caſtigaretur.

BIZVNTII tres è Sodalibus cùm pietatis causâ, carcere detentos inuiſerent, falsò accuſati quaſi facinoroſo cuidam viam aufugiendi aperuiſſent, in carcerem coniecti ſunt; in quo octo fuerunt dies, tantâ cum animi lætitiâ, & deſiderio patiendi pro Chriſto, vt qui eos viſerent, & maximè mirarentur. Cognitâ autem eorum innocentiâ, magna cum admiratione populi, qui putabat grauiſſimis pœnis eos afficiendos, liberati ſunt; quod totum tribuunt B. Virgini, cui ſe totos deuouerant. 4

Textor quidam, eiuſdem Congregationis, in periculoſiſſimum morbum incidit; & humorum vniuerſas corporis partes penetrantium tanta vis fuit, earum vt vſu nouem aut decem dies deſtitutus omninò remanſerit. Inuiſit eum alius Sodalis, quem idem infirmus rogauit, vt Patrem Sodalitatis de ſuo morbo commonefaceret, peteretque vt ſe Sodaliũ omnium precibus commendaret. Quo dicto tantã fiduciam in B. Virgine, precibuſque Sodalium poſuit, vt melius habere cœperit: & quo tempore pro eo fuſæ ſunt preces in Congregatione, eodem ei omninò reſtituta ſit ſanitas. Redit mater è concione, & quem reliquerat ægrum, & in lecto iacentem, videns ſolum domi inambulantem, valdè attonita, inquit: Vnde Ieſu bone, tam ſubita ſanitas? 5

Sodales mei,reſpondit,orarunt pro me in Congregatione: deinceps optimè valuit.Confeſſus eſt autem publicè in Sodalitio, ſe non aliter quàm precibus B. Virginis, & Sodalium impetraſſe ſanitatem.

6 BVRDIGALAE vir quidam primarius,ætatis prouectæ, cùm morbo grauiſſimo tentaretur, nomen ſe daturum Congregationi B. Virginis vouet, & conſaneſcit.Ibidem Vniuerſitatis Rector, cùm in eâdem Congregatione Præfecturam geſſiſſet, reſciſſetque in more eſſe poſitum,vt Præfectura functus Ianitoris officiũ exerceret; id muneris impigrè geſſit homo id ætatis, & dignitatis, maximâque cum voluptate, & humilitatis documento. Eidem Sodalitio nomen dederunt, non modò Senatores aliquot raro exemplo, ſed præterea Reuerendiſſimus Epiſcopus Vennatenſis; qui quo die cooptatus eſt in numerũ Sodaliũ, orationem, qua ritu ſolemni ſolent ſe Sodales B. Virgini dedicare,publicè recitare voluit, ad eoſque ſemel atque iterum habuit cohortationem.

7 ANICII è maiori Sodalitio vnus artificio ſutor, alioqui imperitus, tanto cum pietatis ſenſu moribundus vim morbi perferebat, vt domeſticos externoſque non ſemel in admirationem raperet; O quàm bonum, inclamabat,ferre iugum Domini ab adoleſcentia? quàm iucũdum relictis ſæculi ſordibus in cruce Domini gloriari? Video B. Stephanum ſtantem à dextris filij Dei, nimirum vt mihi currenti, aut potius curſum conſummanti, brauium æter-

næ fœlicitatis prætendat. Poſt aliquot dies, aduocatis, quos habebat, duobus filijs, maiori natu dixit: Fili mi, imminet mihi, Deo ità iubente, dies ſupremus: vnum à te velim, quod vt facias enixè poſtulo & impero; mihi videlicet ſuccedas, meumq; vt occupes locũ in Sodalitio Aſſumptæ Virginis. Tùm ad minorem conuerſus (is erat ad omne flagitij genus ſupra modum procliuis,) Ni pellem, inquit, moreſque immutaris, faciam meis apud Deum precibus, vt antè annum mortem cum vitâ commutes. Enimuerò ità factum eſt. Nam & ille Sodalitati nomẽ dedit, & hic miſerè dicam an impiè? ante nonum menſem extinctus eſt.

AVENIONE in ædificio quodam perficiẽdo, ad Dei Optimi Maximi gloriam, & B. Virginis illud contigit memoria dignum. Faber lignarius, in ſummo tabulato cùm occuparetur, neſcio qua rei neceſſitate, dum deſilit in ſubſtratas tabulas, in eam incurrit, quæ ipſo caſu rumpitur; vnde hiatu patefacto, præceps in terram fertur. Ex ijs qui accurrerunt, inſpectâ altitudine loci, nemo fuit qui non mortuum, aut non multò poſt moriturum crederet, vel minimùm conquaſſatum & comminutum mẽbris; adhibitis tamen, quæ ſolent eiuſmodi malis, præſentibus remedijs, ad ſe redijt, & in Dei laudem, ac Matris eius, linguam ſoluit; & quod miraculi ſimile fuit, non multo tempore poſt caſum, ſanus in publicum venit, Deo, & optimæ patronæ Virgini Matri gratias acturus immortales. Ei namq; hoc bene- 8

ficium debere ſe, apertè dicebat, ſiue quia vnus ex eius Sodalitio ; ſiue quia præcipuo eam honore colebat à puero, hæreditariâ quaſi ſucceſſione; ſiue quia illam vnam cum dulciſſimo Ieſu,inter cadendum, in ſummâ perturbatione & rerum omnium obliuione,inclamauit.

9 SYRACVSIS in Sicilia quidam ex opificum Sodalitio, cùm iniquè à viro nobili verberibus exciperetur, Tunde,inquit, hoc corpus,tunde; animum certe meum tundere non poteris. Alter in humero ſemel malleo percuſſus,vt iterum in alio percuteretur, percuſſorem ex animo obſecrauit. In oppido autem vicino duæ inſtitutæ ſunt hominum Sodalitates, nobiliorum altera, altera plebeiorum ; quibus ad pietatem egregiè informatis, breui tota oppidi facies

10 commutata eſt.Cuius rei,ſi alia innumera deeſsēt ſigna,illud ſatis ſuperque eſſet,quòd per decem dies à prima vſque ad tertiam noctis horam,ingentium ſaxorum fragor in omnibus tectis exauditus eſt ; quibus callidiſſimus humani generis hoſtis territare illos voluit, vt à præclaro incæpto deſiſterent. Neque enim illud commune omnibus terriculamentum venire aliunde poterat, cùm præcipuè tot per dies diligentius obſeruantes,ſaxa quidem per aërem ferri, atque in tecta irruere animaduerterent,rei verò authorem nullum vſquam deprehēderent. Sed & illud admiratione dignum accidit, tam grauium ſaxorum pondere, ne tenues quidem tegulas eſſe vel cōminutas, vel certè loco ſuo motas;id quod in cauſa fuit,vt oppidani vanos ho-

Digitized by Google

ſtis conatus irriderent. Quamobrem ille ad validiora ſe cõuertit: ad mutuã diſcordiam, Sodalitij vtriuſque Magiſtratus trahit atque impellit. Sed ne id quoque ex votis ei ſuccederet, præſenti remedio cautum eſt, vt ſcilicet ex vtroque vnum fieret Sodalitium, cui omnes omnis generis homines, modò perſpectæ virtutis eſſent, nomen darent.

NEAPOLI obijt hoc anno puer Virginis cultui addictiſſimus, puerorum omnium decus, ac ſpecimẽ, Franciſcus de Martino. Is quatuordecim natus annos ob morum grauitatem conſtantiamque ſingularem, omnium in ſe oculos, animoſque conuerterat. Mirum omninò dictu eſt, puerum hunc id ætatis tantâ animi moderatione fuiſſe, vt neque ad publicos ludos ſpectãdos accedere, neque cùm perſonati homines per vrbem vagarentur, in illos oculos figere, earumque aut ſimilium rerum aſpectu ſeſe aliquando voluerit oblectare. Illius deliciæ erant templa celebrare, à concionatorum ore pendere. Semel à patre prohibitus ne ad concionem accederet, quòd pluuia immineret; patri deinde affirmauit, cœleſtibus, ſuauiſſimiſque epulis ſe eo die priuatũ. Antequam quieti ſe daret, ſingulari ſtudio Deo ſe, ac B. Virgini cõmendabat; mox flagris ſe cædebat; primo mane ſacrificio intererat, nolle ſe affirmãs quicquam eo die diſcere, niſi audito ſacro. Sed quod puerum hunc admirabilem omninò reddiderat, erat obedientiæ ſtudium ſingulare. Magiſtrum, & parentes ità obſeruabat, vt dici vix poſſit. Cùm 11

prima Grammaticæ rudimenta diſceret, magiſtrum domeſticum nactus eſt adeò durum, vt nullâ tantæ indolis ratione habitâ, illum verberibus ſæpiſſimè malè multaret; nunquam tamen dolore, aut iniuriâ adduci potuit, vt parentibus ſuis amantiſſimis id renuntiaret. Sed tandem nonnulli eiuſdem viciniæ, rei indignitate commoti, patri rem aperiunt. Mirari primò pater eâ potiſſimum de cauſâ, quòd videret egregiâ ſemper Franciſcum ſuum in magiſtrum eſſe voluntate; illum cupere, quibus poſſet rebus iuuare; nunc à patre, nunc à matre aliquid extorquere, quod magiſtro largiretur. Puerum ad ſe vocat, & interrogat, num ità crudelem in ſe magiſtrum experiatur. Negat ipſe: quin potius hominem eſſe ſingularis prudentiæ, eximiâque in ſe vti indulgentiâ. Tum pater, cur ergò tot verberibus excipit? cui ſubridens puer; & quid exiſtimas, pater, ſine his poſſe doceri puerum? Iam verò nihil vnquam guſtare auſus eſt, niſi factâ prius à patre poteſtate. A cœna flectebat antè illum genua, quæque per diem concepiſſe ſe ſcelera arbitrabatur, aperiebat; neque cuiuſquam hac in re aures timebat. Cùm aliquando de more peccata vellet aperire, repentè ingentem lacrymarum vim fudit, affirmans immane, infandumque ſcelus commiſiſſe ſe: & cùm Pater, vt Confeſſario dicendum id reſeruaret, puerum hortaretur; & tibi, inquit, aperiam. Hodie cum ſorore ludens (id ætatis ſoror erat, vix vt pedibus ingredi poſſet) mea culpa cecidit; cùmque excita ſororis lacrymis mater, à me pœnas

vellet

vellet repetere, negaui meâ operâ ſororem cecidiſſe: præterea pomum in os intuli, antequam illi benedixiſſem. Hæc tanto animi dolore loquebatur, vt audientium nemo eſſet, qui à lacrymis temperaret. Neque cùm tam pręclarum virtutis ſpecimen dederat, dormitum ibat, niſi à patre benedictionem impetraſſet; ſi quando ſomno vrgebatur, ad Patrem accedebat, atque ab eo fieri ſibi dormiendi licentiam poſtulabat. Cùm in morbum incidiſſet, incredibili ardore æſtuabat, neque tamen aquam petijt, quâ os ablueret, neque oblatam attigit aliquando ſine patris permiſſu; nunquam vi morbi acerbiſſimâ adeò afflictus eſt, vt patris imperia non diligentiſſimè exequeretur. Nunquam aut cibum reſpuit, aut auerſatus eſt, quem pater illum capere iuſſiſſet. Obtulit aliquando filio medicamentum, ex ijs cõfectum rebus, quę ingentem puero nauſeam commouerent: ſed tantam ipſe ſibi vim intulit, tanto animi ardore ſecum pugnauit in exantlanda potione, vt criſtallinum vas in ipſo ore fregerit. Pauperes adeò diligebat, vt quæcumque habere poſſet, ijs liberaliſſimè largiretur; quas mutabat veſtes pauperibus reſeruabat; nummos apud ſe habere nolebat, affirmans timere ſe, ne ab ijs in ſcelera inflammaretur; patri ſeruandos dabat, matris enim fidem ſuſpectam habebat; neque in alios vſus eos cõuerti patiebatur, quàm in pauperes ſubleuandos. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ità venerabatur, vt quoties per vrbem ferri animaduerteret, miſſis rebus omnibus auguſtiſſi-

S

mum Dominum deduceret; non ab hoc officio aut pluuiâ, aut Solis ardoribus, aut intempeſtæ noctis iniuriâ deterrebatur. Videres puerum hunc, nullâ tenuiſſimæ valetudinis ſuæ ratione habitâ, è loco ſurgere, & ſomni quietem laborioſo ſeruitio poſthabere. Neque audebat Pater paternum hac in re ius interponere, & Principem rerum, omnium parentẽ filiorum, priuare comitatu. Morti proximus, cùm videret ad ſe delatum Chriſti corpus, lacrymis diuinã bonitatem commendare cœpit, quæ dignaretur, afflictum morbo ſeruum ſua præſentia recreare; multo deinde fletu accuſabat ſeſe, quòd ruſticè illum exciperet; neque morbi vi detentum corpus, in Principis ſui venerationem, cultũque, aliqua ratione proſterneret. His igitur virtutum præſidijs munitus, mortem forti pectore excepit. Interrogatus verò num inſtãtis mortis periculo terreretur; Cur, inquit, mortem timeam, cur non illam exiſtimem qualibet vitâ potiorem, quæ me cœleſtibus choreis inſeret, & dulciſſimi Ieſu faciet ore perfrui ſuauiſſimo? Atque haud itâ multò poſt fœliciſſimam animam exhalauit.

12 Sunt & firmioris ætatis non leuiora pietatis argumenta. Singulari Sodalium diligentiâ effectum eſt, vt doctrinæ rudimentis tenera puerorum ætas imbuatur. Id vt præſtarent Sodales, nauim duo conſcenderant, in oppidum ituri prope Neapolim ſitum. Verùm cùm oborta tempeſtas in extremum illos periculum adduxiſſet; alter ex his timore verius, quàm ſomno

Digitized by Google

ſopitus iacebat mortuo ſimilis; cùm B. Virginẽ videre ſibi viſus eſt, quæ lęto eum maximę vultu trepidantem confirmaret, affirmans gratiſſimum ſibi opus eſſe quod aggrederetur; proinde nihil mortis faciem timeret. Parthenius ad hæc gaudio exiliens, ad Virginis pedes ruebat, illos exoſculaturus; verùm oblata ſpecies euanuit. Senſit autem vel mare ipſum pręſtantiam Virginis; neque eos auſum oppugnare, quos illa defenderet, minas fluctuſque compeſcuit.

BARIENSIS Collegij Sodales, cùm honeſtarum mulierum pudorem, vrgente rerum omnium inopiâ, in extremum periculũ adductum intelligerent; petitâ per vrbem ſtipe, earum miſerijs ſubuenire conati ſunt. Nam Xenodochia inuiſere, detentos in publicis vinculis iuuare cibo, adeò illis vulgare eſt, vt reticeri meritò poſſit. Mercator non mediocrem nummorum ſummam à quodam, qui in magnis anguſtijs verſabatur, cùm non poſſet exigere; eum in vincula conijciendum curauit. Ergò is, cùm carceris ſqualor ad ſummam inopiam acceſſiſſet, neque tamen molleſcere mercatoris ingenium vidit; ſtatuit nullâ dignitatis habitâ ratione, bonis cedere. Quod vbi audiuit B. Virginis Sodalis quidam, ad mercatorem conuolat, ab eoque omnibus precibus contendit, vt infœlicis hominis miſerijs atque egeſtate commoueri ſeſe patiatur. Verùm is qui humanitatis ſenſum exuerat, atque ex ſe cæteros metiretur, imò in Sodalem probra conijceret, atque apertæ 13

auaritiæ illum inſimularet, contineri non potuit; preces illum à debitore pretio redemptas afferre, honeſtamque pietatis ſpeciem præferre, quò turpis lucri fœditatem aptius velaret. Nobilis erat Sodalis: itaque ad tantam contumeliam expalleſcere, & mox ſubijciente iracũdiæ faces dæmone, rubore ſuffundi, atque ad propulſandam iniuriam furoris ęſtu inflammari; nunc rurſus ad ſuppliciorum & contumeliarum Chriſti recordationem, iniuriam velle condonare. Verùm cùm acrius vrgeret humani generis hoſtis, ecce tibi vnus è Collegio, in quẽ cùm Sodalis oculos conieciſſet, continuò ſedatis pectoris motibus exclamat; Non vulgaria diuinæ charitatis pignora ſunt, inquit, Pater, in B. Virginis verſari patrocinio; nam vndenam tantum mihi charitatis tribui ſperem, vt inſultantem mercatorem æquo animo ferre poſſim? mox ad mercatorem conuerſus hilari, vt cum maximè, vultu, animi ſui magnitudinem tranquillitatemque declarauit. Mercator, qui ad debitoris miſerias animum minimè flexerat, pluſquam humanæ patientię ſpecie ità commotus eſt, vt petitâ ſumma animi ſignificatione à Sodale veniâ, debitorem liberum eſſe iuſſerit.

14 Graui iniuria laceſſitus ex eodẽ Sodalitio adoleſcens, inimici cædem meditabatur. Intereà menſtruis illis ſententijs, quæ Sodalibus diuiduntur, conſtanter admonebatur, vt iniuriam condonaret: quibus tandem à prauo conſilio deterritus, ſecum ipſe uoluebat qua ratione inimico ſignificare poſſet reconciliatum animum.

Digitized by Google

In forum procedit, in quo verſari conſueuerat; eratque ille multo amicorum propinquorumque ſtipatus ſatellitio, forùmque per ſe ſatis frequens. Verùm Parthenius qui Deo militaret, ſuique victoriam omninò cuperet reportare, nihil aliorum opinionem veritus, ad inimici pedes accidit; Quid hominum (inquit) leges iubeant non ignoro; verùm me tibi Deus pacem amicitiamque offerre iubet, tanto Imperatori repugnare non potui. Hæc cùm diceret, magna lacrymarum vi ex oculis emanante, pedes exoſculatur; hærere primùm ille; mox hominem complexus, negauit vnquam amicũ alium ſibi futurum in poſterum chariorem.

De Braydensivm virtute, ab vno, aut altero exemplo erit coniectura. Quidam Sodalis grauiter ab alio læſus, & vltionem meditans, Præfecti hortatu aduerſarij pedes oſculatus, iram adhuc in pectore efferueſcentem repreſſit, ſui victor, & inimici. Alius aſceticum librum, cuius quædam capita contra hiſtrionicos ludos recitari audierat, ad fratrem comœdijs aſſuetum detulit: quo ille perlecto, non modò ſcenicas turpitudines eſt execratus; ſed etiam inſtituit, quâ horâ ſpectaculis intereſſe conſueuerat, in templo Virginis ſacras precationes audire. 15

Eborae in Luſitania vir B. Virgini admodum obſequioſus, elabi nullum ſinebat diem, quin eiuſdem templum inuiſeret. Ad illud viam intendit aliquando lethali crimine obligatus; ſed ecce ſubitariâ dolorum incurſione miſerè colliditur, ſeque autumat in Tartari, ac mortis 16

feneſtras præcipitem volutari; ſic tentabat hominem retundere materna caſtigatione Virgo altrix miſericordiæ. Lugere miſer, pallere, trepidare, animum excutere, cùm ſubitò delicti conſcientia reputantem perculit; hinc illas extillari ſenſit lacrymas, hinc illam dolorum contorſionem. Voto fidem Virgini alligat, à ſe peccati grauitatem emungendam, ſi feruor ille extingueretur. Factum dicto fuit citius; in ipſo articulo dolor abſceſſit, moxque ad Virginis ædem, quâ ſolebat quiete, gradum alacris promouit.

17 HISPALI è Parthenio cœtu nonnulli Sacerdotes cæteris ſtimulos admouent, ſeque in omni virtutum actione abſolutum præbent exemplar. Hi pro animorum ſalute excubantes, & ad ægrotos ſæpius, & ad oppida non rarò excurrunt, magno vtrorumque emolumento. Quidam ex ijs, dum in noſocomio inopem manibus pedibuſque debilem, ad morbi tolerantiam leniter hortatur; ità hominem amoris vinculis irretiuit, vt ad ſcelerum deteſtationem pariter & confeſſionem pertraxerit: vt qui multos iam annos rubore ſuffuſus, grauiora peccata ſilentio preſſerat, totius ſuperioris vitæ curſum accuratè retexens, mortiferum virus euomuerit. Sic animi reſtituta ſanitas, corporis quoque mitigauit infirmitatem.

18 Alius haud abſimili cum hoſte congreſſus, nihilò obſcuriorem victoriam reportauit. Nam moribundum iam, & ad extremam cum dæmone luctam ſacro oleo delibutum, eò blanditijs adduxit, vt fœdiſſima

crimina per ſexdecim omninò annos obtecta, retegeret. Alius denique eodem ex Sodalitio, cuius parens fuerat violenter occiſus, cùm mater,& conſanguinei vlciſcendam acriter mortem peruicaci animo clamitarent, nec quidquam plurium induſtria qui ſe deprecatores adhibuerant,proficeret; ipſe demum hanc ſibi ſuſcepit prouinciam; nec deſtitit,donec parentes & affines ità ad clementiam flexit, vt vltrò parricidæ noxam condonarent.

19 IN COLLEGIO Granatenſi eſt Sodalitas tenuioris cenſus hominum. Hi cùm animaduertiſſent, propter nimiam annonæ caritatem plures ex ijs quibus olim honeſta res, extremâ penè indigentiâ laborare; decreuerunt eorum egeſtatem collatitiâ ſtipe ſubleuare. Itaque luſtrant vniuerſam vrbem cum facultate Proëpiſcopi, & contentâ voce victum alendo inopi verecundo, precariò expoſcunt. Populus non minori plauſu quàm admiratione eximiam Sodalium charitatem proſequitur:& res fœlicibus auſpicijs cœpta,ità Dei ope prouecta eſt,vt mẽſium non amplius ſeptem ſpatio plus mille aureos coaceruauerint. Mirum eſt, quot quantiſque miſerijs & ærumnis ſit hac vna ratione ſubuentum; quot ne diuinum numen iacturâ pudicitiæ læderent, fame penè confectæ,inſperata nouæ lucis vſura reſpirarint; quot in matrimonium honeſta ratione collocatæ. Interim bonus Chriſti odor, quem ex ſeſe tanta charitas emittit, ità longè, latéque diffunditur; vt in hominum penetrans animos,àcerrimis eos con-

ſcientiæ ſtimulis confodiat. Ea ratione quidam, qui litē parenti illaturus ad Granatenſem curiā aduenerat, Sodalium in alienos charitate edoctus, didicit tandem ſuo bono, quàm ipſe in ſuos pietatem retinere deberet. Id vnum reſtabat, vt ancilla ex genere Turcarum, (quod & præſtitit) Catholicam amplecteretur fidem; aſſerens nimirum eam haud dubiè veram religionem eſſe ducendam, in qua tanta ergà inopes abiectoſque charitas exerceatur.

20 IN COLLEGIO Malacenſi Sodales ægris in publico valetudinario, & conditos afferunt frequenter cibos, & ea ſollicitudine ac ſubmiſſione miniſtrant, vt ex laborantium numero quiſpiam, Sodalium exemplo commotus vociferatus ſit, lethalis ſceleris maculam abolere ſe ocyus per confeſſionem velle, quam decennio antè contractam ſtultâ verecundiâ obtexerat. Igitur ſuperioris vitæ noxis ritè expiatis, & ſacris imbutus myſterijs, animā efflauit. Alium quem nocturni dudum terrores, & plurimus in cubiculum lapis intempeſtâ nocte immiſſus trepidum & exanimatum reddiderant, in Sodalitatem generali præmiſſa cōfeſſione cooptatum, laruæ deinceps incolumem reliquerunt.

21 IN PERVVIO Sodalitas Collegij Chilenſis, quæ eſt Hiſpanorum, eâ fructus vbertate gaudet, quâ ſemper: in hanc vt admittantur, huc multi ex locis remotis migrant; eius verò laudibus omnia perſonant. Dux quidam obuiam militi, huc iter facienti, factus; Inuideo, inquit, iuuenis tibi Congregationem, quam libet An-

Digitized by Google

gelorum potius, quàm hominum appellare. Multi qui eam initio minoris duxerant, non Dei, ſed hominum inuentum iudicantes, mutatâ poſtmodum ſententiâ, eidem magnâ animi ſubmiſſione nomen dedere. Ab eius autem inſtitutione, vno ore viri fœminæque, hæ alios ſuos viros eſſe, illi alios mores ciuitatis confitentur; nullus coram Sodalibus auſit iurare; nullus proximo detrahere; quorum etiam authoritate diſſidia, inimicitiæque finem capiunt.

22 CHITENSIVM verò Sodalium feruor ex Pœnitentiæ & Euchariſtię vſu, ac prępáratione cognoſci poteſt. Multi enim ad hanc non prius adeunt, quàm diem integrum ab omni cibo, potuque abſtinuerint; alij præmittunt corporis verberationem; alij inſomnem noctem in lacrymis & ſingultibus traducunt. Quidam ex his animum induxerat, ab hoc cœlęſti cibo diu abſtinere; ſed vbi ſemel per quietem ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium illi apparuit, ſententiam planè mutauit.

23 IN AVSTRIA Labacenſis Antiſtes ornatum pontificalem, in quo conſecratus fuerat dono miſit Congregationi Collegij Græcienſis. Hoc in eius litteris erat memorabile: illum eſſe ornatum, illam mitram, in qua pauculis annis ſuprâ triginta hominum millia ſacro Chriſmate inunxerit: in qua ſeptemdecim altaria, ſynagogas hæreticis ereptas duas, quatuor templa benedixerit: duo item iam profana ſacris vſibus reſtituerit.

24 AVGVSTAE in Germania, duo treſue per

Sodalium inſtitutionem, ab hæreſi auerſi. Diſputarunt ijdem Sodales domi frequenter pro Chriſtiana fide, nec verba tantùm contumelijs plena, ſed verbera etiam patienter Chriſti cauſâ pertulere. Curauit quidam ſuo ſumptu legum Sodalitatis libellum recudi, ſinguliſque Sodalibus, ad Calendas Ianuarias, pro ſtrenâ exemplar eleganter ligatum donari.

25 E SODALITIO Collegij Oetingenſis quidam eruditione, diuitijs, & morum maximè integritate apud omnes clarus, vitâ cum morte commutarat. Paucis diebus interpoſitis, cùm vnus è Collegio Pater noctu in cubili quieſceret, en tibi ſtragulam lecti veſtem ſentit moueri; euigilans, caput è lecto exerit, flammam in conclaui ſpectat, & articulatam è flamma vocem audit perſonantem. Vox fuit, *Noli timere ego ſum talis, ego ſum talis* (iterata ſe voce nominabat) *orate pro me*. Plura piaculari ritu ſacra ſunt pro defuncto facta in altari priuilegiato; & ſpes eſt, pro honeſta & integra vitâ quàm in terris geſſit, animam modò beatâ in cœlis mercede potiri. Vt ſperemus iuuat & illud: quòd aliquantò poſt, noctu, idem externo Sacerdoti, huius loci parocho erudito grauique, valde pulcrâ & decorâ formâ apparuerit.

26 IN BELGIO, vnus è Collegio Treuirenſi Parthenius, reuectus ex patria, præceps in flumen factus eſt, & aquis hauſtus. Eum patronę ſuæ curæ fuiſſe cognitum eſt, cùm fluctus in ſicca humo, ad B. Virginis ædem miraculis celebratam, corpus deſtituêre. Ea res quàm mira

Digitized by Google

viſa, tam celeriter ſermonibus hominum,& nuntijs perlata. Lacrymis igitur abſenti & iuſtis cæteris mox parentatum; vehemens etiam amor excuſſit plurimos in pedes & viam; vt, licet quinque millibus paſſuum diſtaret templũ, & montes ſuperandi, & æſtuante caniculâ in montibus ardor arenæ, funebria ritè perſoluerent. Effuſum vicinũ oppidulũ Saburgum per Saram flumen, vt adoleſcentum, funaliumque ordines contemplarentur. Nec ignis vllus magis, quàm pietas, charitaſque Sodalium luxit.

E SPIRENSI Collegio adoleſcens quidam tenuioris conditionis, ſollicitatus à parentibus, cognatiſque, vt ſcholam Lutheranam ſpe liberalioris ſuſtentationis iniret, quò firmior fieret in Catholica religione, frequentatione Sacramentorum, & aliorum tum exemplis, tum meritis, in Sodalium Virginis numerum aggregari petijt; & iam annum integrum frequentibus amicorum,& honoratorum etiam petitionibus reſtitit. Nec ſuo fructu Parthenia Angelorum Sodalitas caruit. Certè ipſo Natiuitatis Domini peruigilio, duo ex hoc numero plateas vrbis obeuntes, quos nanciſci potuerunt pauperes,ad confeſſionem impulerunt; vt ex confeſſarijs quidam ſex, aut ſeptem audierit. Alius item,dum eleemoſynę præ foribus diſtribuuntur, hoc ipſum præſtitit: idemque alio tempore hæreticum hominem, vt dedoceretur, ad Collegium adduxit. 27

LOVANII vir quidam nobilis è Sodalitio 28

ad annum vſque ſexageſimum ætatis, cælibem caſtamque vitam exegerat, rarus Virginis cultor, qui vrgente morbo ad extrema cùm ventum eſſet; Benè, inquit, habet, Sodales; quę duo ſemper mihi fuere maxima vitæ præſidia, nunc ſentio quàm vera ſint, quàm ſolida morieñti ſolatia: vnum, quòd Sodalis (ſcio quàm indignus) dominam tamen ac patronam meam ſupplex coluerim: alterum, quod Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta, diebus Dominicis omnibus & Sanctorum feſtis frequentarim. Denique fiduciæ plenus, ità diem ſuum obijt; vt multos ad æmulationem virtutis, & crebram Dominicæ menſæ communionem excitarit.

29 Fœlix iuxta cuiuſdam adoleſcentis exitus, licet vita longè diſſimilis, fuit. A Congregatione Partheniâ ad ſocios, moreſque improbos cùm defeciſſet; præceps abire decreuerat in omne nefas. Sed noluit infælicem perire Deus. Nam quem nihil preces, nihil monita flectere quiuerant, vltio cœleſtis iræ ſæuiens flexit, ac fregit. Subito correptus morbo, velut à numine monitus, ſenſit ſibi moriendum eſſe: tum verò gemere, tum dolere. Quid multa? negauit ſe vel cõfiteri peccata, vel benè beatèq; mori poſſe, niſi à toto Sodalitio petitâ ſubmiſſè veniâ, nomen ſuum tabulæ redderetur, vnde paulò ante fuerat expunctum. Factum id quidem; ſed propè ſerius ad confeſſionem peccatorum ventum eſt. Febris calore ſuo cerebrum occupauerat, rationemque euerterat. Deſperantibus ergò medicis, Sodales ad vota

preceſque confugere; quibus lux tanta menti impetrata eſt, vt æger toto vitæ curſu, nunquã animo perſpicaciore ad ſui ſcelerumque ſuorũ notitiam fuiſſe videretur. Diarium illi erat, in quod ex more, diei cuiuſque acta, fœda etiam & improba referre conſueuerat, magnum iam confeſſuro auxilium. Quoties verò, id cùm promptum fuit, ingemuit alto pectore? quoties fleuit? à quo veniam non petiuit? maximè tamen hoc inter alia angebat animum, quòd à Sodalitate B. Virginis, & ab exercitijs ſpiritalibus B. Ignatij, quibus fuerat eruditus, ad vomitum redijſſet, in deteriora prolapſus; denique ritè confeſſus, nihil repetebat frequentius, quã vnam hanc ingratitudinem, omnium ſibi malorum cauſam extitiſſe. Varijs inſuper, grauibuſque agitatus Diaboli tentationibus, repetitæ identidem confeſſionis ſubſidio, tranquillitatem victor inuênit; tandemque mente ſemper ad extremum ſerenâ, inter lacrymas preceſque ſuorum, placidè obijt.

I P R I S Senator erat, vir antiquæ pietatis; ſed 30
vt fit, à nouis pietatis ſtudijs, & incitamentis alienus, etiam à Sodalitate B. Mariæ abhorrebat. Mira res; ſubitâ correptus ægritudine, cùm propè ante oculos vitæ finem ſpectaret, ità mutatus eſt, vt in Sodalitium adſcribi, maiorem in modum expoſceret. Miratur enimuerò Præfectus Sodalitij. Sed ille non prius à petendo vrgendoque deſiſtit, quàm voti compos, congregatis ad lectulum eius, qui Sodalitatem regunt, votiuam Virgini orationem recitet; & conſue-

Digitized by Google

to illis amplexu, Sodalis ab omnibus ſalutetur. Viſa res omnibus noua: ſed illi profectò læta plurimùm, & ſalutaris fuit. Vidimus enim, dum orationem illam legeret, manantes illi ex oculis lacrymas; vix vt, præ nimia ſuauitatis dulcedine, proloqui poſſet. Inſequenti porrò nocte, cùm fortè qui obſequij cauſa aderant, fabulis tædium noctis fallerent, ſilentium tantiſper expetijt; rogauitque, vt ſecum audirent ſuauiſſimos Angelorum concentus, qui ob initam à ſe Sodalitatem venerant gratulatum. Priſtinæ iam reſtitutus valetudini, Sodalibus omnibus exemplo diligentiæ, & propenſiſſimæ in Virginem Matrem pietatis, egregiè prælucet.

31 MONTENSIS Collegij Sodalitas, quæ conſtat ex ciuibus, dum eximiè optimatum nobiliumque virorum conſeſſu floret (quę diaboli inuidia eſt) repentè hoc anno, excitatâ tempeſtate, tota turbata eſt. Venêre in ſuſpicionem Sodales, imò accuſati ſunt, quòd cæteris contumaciores, dum nihil probant eorum admittuntque, quæ ad rectam vrbis gubernationem pertinent, neſcio quâ ſuâ religione, rebus pro arbitrio nouatis omnibus, totum penè Reipublicæ ſtatum inuertant. Venit in iudicium cauſa: legitimè, vt oportuit, & ſeuerè de re tota quæſitum eſt: inueniri nihil niſi virtus potuit. Eò tamen res deducta eſt, vt vel hoc nomine, quòd Sodalis quis eſſet, arceretur magiſtratibus, publiciſque muneribus prohiberetur. Ea tamen Sodalium virtus & animi conſtantia fuit, vt quantumcumque calumnijs publicè, priuatim-

que proſcinderentur, nemo tamen inuentus ſit, qui non omnia potius, quàm nomen meritumque Sodalitij perditum vellet. Id ſatis comprobat viri vnius primarij ex equeſtri ordine (vt ab vno diſcere reliquos liceat) exemplum ſanè ſingulare. Certus erat in annum ſequentem, magno ſuo honore & commodo, de principe in Senatu loco; proinde nobilis quidam ex amicis, cui Sodalitas haud placebat, machinis omnibus contendit; vt ne tam leuem ob cauſam, ſic enim ille loquebatur, magiſtratum ſibi pateretur præripi; ſed diſſimularet, atque ad tempus Sodalitio careret. Cui ille, Egone, inquit, vt diſſimulem, vt patiar deleri nomen è Sodalitij tabulis? quanti verò id facis, ſe ad tempus patrocinio Magnæ Virginis ſubducere? annon ego primus, qui nomen dedi huic Sodalitio, & qui reliquos velut princeps duco? quale id exẽplum, ſi primus deficiam? ſi ob annuum magiſtratum, nomen quod æternum eſſe volo, deſeram? Et verò ciuicos honores non tanti exiſtimo: vitam, ſi ponenda ſit, ponam potius, quàm vt Deiparæ cultum videar neglexiſſe. Valuit ad reliquorum conſtantiam id exemplum. Clementius nunc agitur, poſtquam vnius magnanimitas ea quæ grauia putabantur, fecit videri puerorum terriculamenta.

ANNVS CHRISTI 1605.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 41.

1 IN HVNC annum incidit fœlix obitus P. Sebaſtiani Cabaraſij natione Siculi è Societate Ieſu : qui in annuis litteris Collegij Syracuſani Prouinciæ Siculæ dicitur primus ſecundùm Deum autor & fundator Congregationum B. Virginis, vt iam diximus ſuprà in præfatione huius libri. De hoc autem Patre, cui omnes Congregationes plurimùm debent; operęprętium puto cómmemorare hoc loco præclarum facinus, quod habetur in annuis eiuſdem Collegij Syracuſani. Vir fuit (inquiũt litterę pręsẽtis anni) magna pręditus dexteritate atque induſtriâ, in hominibus ad pietatem trahendis. Iter ei aliquando facienti cum comite, obuiam proceſſere latrones, quibus barbarus mos erat, vt quicumque in eorum manus incidiſſet, vel pecunijs ſpoliaretur, vel ſi nullas

nullas ferret, arborum ſtipiti alligatus, ibi fame cruciandus relinqueretur. In eos cum comite incidit, peſſimèque verberibus, & iniurijs exceptus fuit. Sed ille tantâ animi fortitudine, & æquitate omnia tulit, vt nec vocem quidem vllam aduerſus eos emiſerit, nec tantillum cõqueſtus ſit. Quinetiam ea fuit religioſi viri modeſtia, vt latrones ipſi de repentè mutatâ volũtate eſcas, quaſi ſatisfacturi pro iniuria, ad manducandum ei appoſuerint, & vt manducaret impulerint. Tum ille ſuper menſam dolere, ingentemque lacrymarum copiam effundere. quo facto vehementius commoti imò obſtupefacti, Cur, inquiunt, cùm antè cruciareris, nullam guttam ex oculis excuſſiſti; nunc verò refecturus cibo vires, lacrymaris? Ille autem, Veſtra ego peccata, & ſortem veſtrarum animarum lacrymabundus doleo; ad quas deuorandas diabolus inſtar leonis auidiſſimi paratus eſt. His illi verbis veluti è cœlo demiſſis, attoniti hærent, ſeque mutuò reſpiciunt; deinde ad Patrem conuerſi: At, inquiunt, iam de nobis actũ eſt, nec vlla ſalutis ſpes oſtenditur: cùm nobis hominum commercio atque allocutione interdictum ſit, ac more agreſtium ferarum viuere cogamur. Hîc Pater omnes bono eſſe animo iuſſit; ſuamque operam ad eos iuuandos pollicitus, ab ijs denique generali prius confeſſione expiatis, receſſit; itâque cum principibus viris egit, vt latrones nefariorum ſcelerum veniam impetrarint, & eorum aliqui religioſæ vitæ inſtitutum amplexi ſint. Atque hac ratione bo-

nus pater non æternæ modò illorum ſaluti, ſed præſentibus etiam in quibus verſabantur periculis, cumulatè proſpexit.

2 NEAPOLI vnus ex Conceptæ Virginis Sodalitate quotidianas preces obliuione correptus omiſerat. Nempe iam in lautiore ac ſplẽdidiore conuiuio accubuerat, vbi precum in mentem venit. Exurgit, ac ſtomachi ægritudine ſimulatâ, accurrit ad ſacrum penſum, animi epulum, corporis anteponendum ratus. Quidam cùm in Noſocomium profectus vlceroſum

3 hominem non ſemel contrectaſſet, domum regreſſus ſeipſum ferre vix poterat: auerſabatur ac reſpuebat ſeſe: aquam igitur, qua manus ablueret, quæritabat. Cùm ea in promptu non eſſet, interim cœlitus illuſtratus meliorem induit mentem: ſuam ignauiam deteſtari cœpit; & (vt inſigne victoriæ genus admirere) oſculari ac lingere eas manus partes, quæ magis vlcerum fæce fuiſſent infectæ. Alius cùm in ſcaten-

4 tem leprâ hominem incidiſſet, in eumque omnia pietatis exercuiſſet officia; æger admiratus viri pietatem, atque conſtantiam, grates agere cœpit: Tũ ille, Ego verò, inquit, & grates tibi agere debeo, & immortales ago, qui pij operis patrandi anſam præbueris: ſimulque caput acclinans, leproſum hominem magnâ cum eius admiratione oſculatus eſt.

5 Ibidem cùm Parthenius per alienum rus iter facit, repentè inermem oblatrantium canum cohors inuadit. Affiguunt ſolo miſerum, ac primò veſtes in fruſta conſcindere, deinde

etiam manum hianti ore concerpere, perque illam detractum vſque ad ſepem, ſpinis ac dumis aſperam, acerbè vexare. Sed Conceptæ matris nomen inuocanti, numen præſto fuit. Mox vbi tempeſtas illa deſæuijt, non niſi impreſſorum dentium characteres, ac notas in manu agnouit, nullâ prorſus vulnerum acerbitate. Ex eodem 6
cœtu quidam, è foro, multâ iam nocte decursâ, domum regreſſus, armatum hominem ante fores reperit cum comitatu; tum ore detecto, quod pallio delituerat, in eum impetum moliri videbatur; cùm repentè immani mole corporis, auguſto ore, ac mortali propè maiore, ignotus alius vir adſtitit, quaſi cum eo confabulaturus; cuius aduentu ità deterritus eſt aduerſarius, vt hominem blandè compellans, incruentus abſceſſerit. Creditum eſt cœleſte aliquod numen prudentium virorum ſententiâ; compertumque eſt ſicarium illum delegatum à quodam, cuius cauſæ minimè in foro fauiſſet. Alius diro afflictatus morbo, plané decocta ſalutis ſpe, viſus eſt Chriſtum Dominum cruce grauatum videre; tum ipſe crucis extrema ſuis humeris conuectare; terram etiam ſacris pedibus preſſam lingere, oſculari. Quid tum? mane expeditus, & viribus integer è toro conſurgit. Alius de- 7
nique olim eius Sodalitij accola, deinde tranſfuga, cùm diris crurum doloribus vexaretur, ac propè totam pharmacopolæ penum exhauſiſſet, irritâ impenſâ; tandem meliora concipiens animo, vouit, ſe ità rediturum ad Sodalitium, vt nullâ deinceps vi auelli velit. Redit, & intrà

hebdomadæ ſpatium perfectè omninò curatur.
8 IN ITALIA, Dux Populenſis cùm proximè abeſſet à morte, accerſiuit vnum è Collegio Aquilano Patrem, bidui itinere; quem vbi vidit, ſe lætè nunc diſceſſurum exclamauit. Et quoniam Neapolitanæ Sodalitati Virginis in cœlũ elatæ nomen dederat; ex eâ cõteſtabatur, ſi quid bonorũ aut virtutis haberet, accepiſſe. Filiũ igitur ſiſti iubet corã ſe, eique mandat, vt Neapolitanis equitibus Sodalitatis exoratis, in eam admitti ſe flagitet; nihil ſe præclarius, nihil maius illi relicturum. E minori Sodalitio eiuſdẽ Collegij Aquilani vnus à quodam adoleſcente læ-
9 ſus, cùm hac eſſet de re ſermo iniectus, diuina impulſus gratia, & charitate, coram omnibus ad pedes eius qui læſerat, ſeſe abiecit; eoſque deoſculans multis veniam quæſiuit, non ſine ingenti eorum qui aderant ædificatione. In Sodalitio eorum qui ſtudia maiora pertractant, mos ſtabilitus cædendi ſeſe gregatim die Veneris. Quod autem ipſo Virginis in cœlum ſublatæ die fecerunt, admiratione non vacat. Primùm inſpectante toto vrbis magiſtratu, ac penè infinitâ plebe, ægrotorum pedes abluerunt: tum lota pedum vlcera exoſculati ſunt: deinde exquiſitiſſima edulia argenteis lancibus adminiſtrauere ægrotis. Et eò vſq; proceſſit liberalitas, vt ijs iã abundè refectis, quidquid ciborũ ſuperfuit deferrẽt ad carceres. Quamobrẽ admirationem toti vrbi attulerunt, eo quòd viri nobiles, per vias, caniſtros & edulia comportarent, exemplo Patris qui Congregationi

præeſt,ad id impulſi,qui primus maiorẽ lancem
prehendit. Et hic mos comportandi cibos ad
ægrotantes, pauperculas religioſas, & ad car-
ceres, quotidiè radices agit. Ijdem porrò amãt 10
vſqueadeò officia ægrotis præſtare ; vt aperto
capite ijs inſeruiant, dentque manibus aquam ,
præbeantque potum genibus flexis. Cùmque
obtrectando diceret quidam vir nobilis , mirũ
quidem eſſe ſatis,conſimilia exhiberi obſequia
pauperibus, & principibus viris; reſponſum tu-
lit à præfecto Sodalitij : mirum nihil ei debere
eſſe, qui ad Chriſtum reſpiciat , cui in pauperi-
bus deſeruitur; ſed hoc potius mirum eſſe , cur
regibus ac principibus viris maiora obſequia,
& cum maiori reuerentia exhibeantur.

IN DOMO Profeſſa Mediolanenſi B. Virgo 11
non raro fauit ſuis clientibus. Cùm in vnum
multi infeſti impetum feciſſent, & cominus fer-
reum etiam ſclopum exoneraſſent ; decidit ille
quidem in terram, opinione omnium traiectus
plumbea glande, nihil tamen ne quidem in ex-
ternâ cute læſus eſt, veſte ſolum combuſtâ ſciſ-
ſâque : quod vbi chirurgus aduertit,pronũcia-
uit haud dubiè illum ſupernaturali ope fuiſſe
ſeruatum. Alter etiam repentino caſu à ſuis per
duas horas creditus exanimis, B. Virgini ab ip-
ſis commendatus eſt, concepto etiam voto ; &
paulo pòſt conualuit,& nunc etiam viuit inco-
lumis.

Ibidem opificũ Cõgregatio pridie Kalendas 12
Auguſti (Dominicus is dies fuit, anniuerſariâ
S.Ignatij memoriâ celeberrimus) præclaro,ſuâ

erga hunc ſanctum voluntatem ac pietatem,argumento declarauit. Nã Sodales omnes ad eius iconem (quæ in templo domus profeſſæ ante aram maiorem, multis piorum votis circundata piè colitur, & eo die pretioſis veſtibus ſubſtratis reddita fuerat auguſtior) bini religiosè proceſſerunt, & cereas candelas maiores, quę ante ſacram imaginem ſuſpenderentur, & minores alias, quæ ſubitò ibidem accenderentur magnâ cum ſpectantium voluptate, non exigui ſanè pretij munus obtulerunt.

13 Solet eadem Congregatio octauo quoque die, per certos ac deſignatos Sodales, religiosè ſingulas ędes ſacras obire, in quibus aut ſacra Eucharistia ad horas quadraginta exponitur, aut ſanctorum eorum lipſana aſſeruantur, quorum memoria eo fortè die celebratur: ibique orant pro ijs fermè rebus, de quibus admonentur ex ſchedula, quę datur in menſtruâ ſortitione ſanctorum. Alij ſanctiſſimæ Deiparæ omnia templa, quæ ſanè multa ſunt in hac vrbe, ſimiliter obeunt; B. verò Caroli ſepulchrum omnes ferè quotidiè adeunt; augentque eam frequentiam, quæ ex omnibus ordinibus & locis, ad tanti viri corpus ſanctè colendum, eſt ſingulis horis admirabilis, & propè incredibilis.

14 GENVAE Sodalis cùm præ puerili pudore Societatis Ieſu deſiderium ſupprimeret, à B. Virginis ſpecie iuſſus eſt ſe aperire. Alter cùm ad confeſſionem generalem ſe pararet; nec, quantamcumque adhiberet diligentiam, vnquam peccatorum recordari poſſet;

B. Ignatij ope imploratâ, & voto nuncupato, ſtatim reducitur in memoriam eorum omniũ, quæ totâ vitâ perpetrarat. Reuocatus alius in viam, vnde improborum ſuaſu deflexerat, cùm à puero, ſecundùm tempus ſiniſtrum, lapide vulneratus fuiſſet, vbi eiuſdem Sancti effigiem vulneri applicuit, paulò poſt conualuit, cùm propè tum depoſitus haberetur.

Ibidem eluxit vnius Parthenij conſtantia, 15
quæ quia fructus eſt Congregationis, hic attexetur. Eſt is opulentiſſimi ac nobiliſſimi filius vnicus, ſuprà quàm dici poſſit charus parenti, cui cùm ſignificaſſet ſtatuiſſe ſe, re diu deliberata, Deo in Minimorum patrum familiâ ſeruire; vehementer ille commotus, blanditijs primùm, tum minis ac terroribus conatus filium de ſententia deducere, cùm nihil proficeret, tribus illum ſeruis tradidit diligentiſſimé cuſtodiendum, & in conſanguinei villam vltra Porciferam vallem relegauit; vbi à cuſtodibus ad ludos, choreas, aliaque eius generis ſpectacula, & ludicra ſæpius inuitaretur: Patribus verò Minimis ſeueriſſimè interminatus eſt, cauerent omninò filium ſibi ſuum eripere; qui cùm dicerent ſe enixè ab eo rogatos, noluiſſe ipſo ignaro illum admittere; illa etiam addiderunt, cuſtodiret modò illum quàm vellet arctiſſimè; nam ſi iterum peteret, non paſſuros ſe amplius illum fruſtrà poſtulare ſibi
ſalutis viam aperiri. Degebat interim adole- 16
ſcens in villa, totus in eâ curâ poſitus, qua ratio-

ne à ſeruorum manibus fugâ delaberetur. In omnem igitur intentus occaſionem, cùm per ſpeciem ſpectandæ choreæ aliquando diſceſſiſſet è villa, cuſtodibus in ſaltando occupatis, ipſe clam ſe ſubduxit, fugaque iter capeſſens, excurrit ad fluuium in itinere obuium; cui etſi altiori, quàm vt ſine periculo tranſmitteretur, vt erat veſtitus ſe commiſit, eumque traiecit incolumis; difficillimamque trium milliarium viam emenſus, ad optatum locum Deo fauente peruênit, priuſquam à ſubſequentibus ſeruis apprehenderetur. De quibus narrant, eos deprehensâ adoleſcentis fugâ, illicò eſſe inſecutos, & breui etiam aſſecutos; ſed cùm eſſent manus iniecturi, repentè viribus deſtitutos non potuiſſe vltrà gradum facere, quoad ille longius proueheretur; & eo iam antè progreſſo vires recepiſſe, iterumque inſecutos, ſed quoties aſſequerentur, viribus deficientibus ſubſiſtere coactos; nec vnquam potuiſſe illum comprehendere, aut impedire, quo minus in cænobium ingrederetur; vbi ſtatim admiſſus cœpit eodem die iucundiſſimè veſci piſce, à quo anteà, non ſecus quàm à veneno, abhorruerat.

17 In Tavrinensi Collegio erecta eſt hoc anno tertia Sodalitas eorum adoleſcentum, qui in Academiâ publicâ Iuriſprudentiæ ac Medicinæ dant operam, quòd hi potiſſimùm ſpirituali auxilio indigere viderentur. Quindecim eius primum quaſi lapidem poſuere, quos ſubſecuti ſunt ſexdecim. Socij ſocios piſcabantur: inter quos fuit, qui Sodalem adeò peruicacem,

Digitized by Google

vt ſe potius ad hæreticorum arcem tranſiturum affirmaret, quàm ad Congregationem vel Cõfeſſionem adduci pateretur; tantâ precum adhortationumque importunitate permouit; vt in multã noctẽ protracto ſermone, tandẽ peruicerit. Quare ſummo manè excitat dormiẽtẽ, promiſſi admonet, ſecũ ducit ad Præfectũ Congregationis: ambo peccatis animum liberant, Sodalitium ingrediuntur, nec ab eo diſcedunt, prius quàm ille adſcriberetur. Non vllus poſtea illo feruentior. Paucis poſt diebus, idem ad ſingulare certamen prouocatus ab altero; Sine, inquit, vt Congregationem prius adeam; peractis tibi precibus reſpondebo. Vix Collegium ingreſſus, obuium habuit vnum è Patribus, qui id fortè iam inaudierat; cuius operâ & auctoritate aduocato altero, amicitia facilè conciliata.

18 MONTE-REGALI nobilis adoleſcens cùm eum ardorem, quem in Congregatione conceperat, animo comprimere non poſſet, exijt in plateas publicas Crucifixum manu gerens, & obuios quoſque ad mundi contemptum, & ad amorem Dei adhortans. Alter etiam honeſto loco natus, qui viuebat è fructu eius pecuniæ, quam alteri mutuò dederat; cùm audiſſet in illo fructu exigendo manifeſtum ab ipſo fœnus exerceri, maluit eâ pecuniâ cenſum emere, ac tantiſper dum cenſus matureſcit, per aliquot menſes exulare, vt mendicato, aut ſeruitutem ſeruiendo vitam ſuſtentaret; quàm ex iniuſto lucro viuere in patria.

19 PATAVII quidam adoleſcens quoties ani-

mum ſtudijs applicare volebat, maximis angebatur tentationibus. Agit ea de re cum Præſide Congregationis; is ei paruulam B. Ignatij imaginem offert, monens vt quotieſcunque ſtudiũ aggrederetur, Beato ſe viro commendaret. Fecit bonus adoleſcens, ſibique eam pietatem magno fuiſſe adiumento expertus eſt.

20 PARMAE cùm duo Parthenij adoleſcẽtes, qui vltrò Noſocomium pietatis cauſâ adire cõſueuerant, colloquerentur aliquando de pijs rebus, eò ſermone ventum eſt, fore; & ad diuinam gloriam maximè, & ad pietatem exercendam, & ad inſignem ægrorum vtilitatem, ad vrbis denique præclarum exemplum, ſi mos ille frequentandi Noſocomium, non paucis ſolùm, & pro libito, vt antea, ſed multis eſſet communis, qui certis Sodalitatis legibus aſtringerentur. Placuit conſilium; & ſtatim initus aliquorum numerus, qui primi poſſent aggregari. Mirũ dictu! abeuntibus è Collegio obuiã venerunt illi omnes, quos animo ſibi ſocios deſtinarant. quocirca regrediuntur, eunt in Sodalitiũ vbi proponitur tota res; & indicitur ſtatus dies ad deliberandum. Poſtquam conuenerunt, licet aliqui acceſſiſſent parati ad proponendas difficultates, breui tamen omnes præmiſſa vnius cohortatione conſenſere, adeò vt, cùm ad ſuffragia ventum eſt, nemo fuerit qui contradiceret. Leges ſancitæ Sodalibus hæ: vt cõueniant ſingulis mẽſibus omnes certum in locum, vbi agatur de ratione miniſtrandi infirmis, errata cuiuſque publicè aperiantur, pœnæ proponantur;

quibus autem illæ iniunctę fuerint ea prõptitudine exequantur, vt planè virtutis ſtudio incenſos agnoſcas. Tyrones non niſi ſex menſibus probatos admittunt. Qui certis diebus adeunt Noſocomium, eorum vni cæteri obediunt ad nutum; is cuique ſua munia diſtribuit; nullus ſine eius facultate diſcedit. Sed maior ſemper eſt numerus, cùm aliqui eò quotidiè conueniant, aliqui ſæpius, quàm eos Sodalitij leges adſtringant. Lacrymantur porrò præ gaudio ægroti, qui tot ingenuorum adoleſcentum ſtudio, magnam partem ſentiunt leuari ſibi ærumnarũ. Et 21
ſanè magna prębent intuẽtibus exẽpla virtutũ, præſertim in tolerãdo aſpectu vulnerũ & fętore. Nec defuit, qui ſcaturientẽ ſaniẽ ore exceperit, vt naturæ ſubterfugientis horrorem ſuperaret, & in poſterũ ad ea munia redderetur alacrior.

In Ferrariensi Sodalitio duo inter cæteros 22
inſigne pietatis ſuæ ſpecimen dedère. Nã cùm à primoribus ciuitatis enixè rogarentur, vt in paſtoritia quadam fabula perſonam ſuſciperent, nullis neq; precibus, neq; petentiũ authoritate adduci potuere, vt in ſcenâ prodirẽt: audierãt enim parũ honeſtũ eſſe comœdiæ argumẽtũ. Maluerũt optimi iuuenes præcipuorũ vrbis procerũ ſubire ſimultates, quã in diſcrimẽ venire honeſtatis & pudicitię, in quod ſe vẽturos arbitrabãtur, ſi minus honeſta agẽtibus ſe immiſcerẽt.

Complvti in Hiſpania erat adoleſcens 23
maximè addictus pijs exercitationibus, quibus Sodalitium ex inſtituto dat operam; inſignemque inde erga Virginem tutelarem

religionis affectum comparauerat. Patriam ſuam, quæ mari proxima eſt, cùm aliquando adijſſet, & fortè littus animi gratia cum amicis luſtraret, inceſſit eum cupido ſeſe abluendi, atque id ipſum vt alij facerent, enixè ſuaſit. Recuſarunt ipſi prætenſo periculo. Vnus ille pro natandi dexteritate nihil veritus, ſalo ſe dedit, cùm repentè vento crebreſcente & obortâ tempeſtate, quãtumuis renitens in altum abripitur, & diuturnâ cum mari aduerſo luctâ fatigatus, omnem ſibi, ad littus, atque adeò ad vitam, euadendi, intercluſam viam planè cognouit. Verùm in eo diſcrimine patronam Virginem ſuppliciter iuxtâ, ac fidenter precari non omiſit, vt homini, qui ſuum Sodalitium profiteatur, vbi humana præſidia non ſuppetunt, præſentem atque opportunam opem pro ſua benignitate afferre velit. Neque irrita ſpe; etenim alia omnia potius ſuſpicaturus pede terram offendit, cui innixus caput erigit, paululùmque reſpirat, ac denuò Virginis præſidium, ſub cuius patrocinio degit, in tantâ rerum deſperatione, impenſius efflagitat. Interim amici, quoniam ipſorum conſpectum fugerat iamdiu, quem oculis minimè poterant, miſeratione, & lacrymis proſequebantur; ſcilicet actum de illo rati. In ea anxietate cùm eſſent, aduẽtantem puerum vident funibus in faſciculum colligatis onuſtum, qui eos magna animi ſignificatione obtulit, vt Sodalem ad littus extraherent. At illi nihil funibus opus eſſe aiunt, cadauer ſe expectare, non hominem: ille vero opus fore ipſis, inſtabat, cùm inopi-

zed by Google

natò, quem extinctum credebant, vident fluctu ad ſeſe perferri. quippe res ità accidit. Prece ad Virginem facta, ſemiſopitus iuuenis leuiter ſe ſupra fluctum deijci, quaſi ſupra mollem lectum animaduertit, eoque ſenſim, ac placidè deuehi; quouſque littori proximus, amicis admirantibus funeſque in ipſum iacientibus, quibus ad tellurem ſubducerent; eorundem funium ictu excitatus, prehenſis illis ſoſpes ad oram euaſit, eo ſuo gaudio, & amicorum gratulatione, quò maior eſſe ſolet, mœrorem metumque præter ſpem conſecuta, lætitia. Cæterùm ex maris verberatione diu corpori liuor, ac vibices perdurarunt, periculi pariter ac beneficij monimenta. Ad puerum verò cùm conuerterent oculos, in ſumma planitie diſparuiſſe vidēt; ex quo, haud dubiè pluſquàm humanum aliquid fuiſſe argumentati ſunt.

24 Alterum etiam memorabile eidem ſcholaſtico contigit, cùm de ſuo erga Virginem ſtudio remiſiſſet, nec tam multus eſſet in obeundis ſacris myſterijs, alijſque pietatis officijs, quibus pro inſtituto Sodalitij aſſueuerat. Aliquando cum amico, probo illo quidem & honeſto, publicam oppidi viam perluſtrabat; eum verò animo occidendi quaſi ex inſidijs quidam præſtolabatur, quòd ab ipſo ſe iniuriâ affectum fuiſſet ſuſpicatus, falsò tamen, & nullo alterius merito. Igitur vt primùm acceſſit; ſicâ diſtrictâ ipſum repentè adortus, capiti magno impetu vulnus inflixit; quo ille ſtatim concidit. Accurrunt alij, atque illigato vtcumque vulnere,

lethale illud eſſe haud dubiè rati, domum adſportant, breuique confeſſionis, communionis, vnctionis denique extremæ Sacramentis, aduerſus omnem euentum præmuniunt. Sub hæc, dùm chirurgus vocatur, ille afferri ſibi libellum iubet, quo Virginis Officium continetur; illud quippe ſingulis diebus perſoluere non omiſerat, tametſi pijs alijs exercitationibus vacarat. Adſtantibus mouebat riſum, vt moribundus de recitando Officio cogitaret; inſtabat tamen nihilo remiſſius, id muneris eo ſe die non perfeciſſe dictitans, nolle eo infecto morte præoccupari. Adeſt iam tunc Chirurgus, & ablato pannorum inuolucro vulnus detegit, ac minimè periculoſum eſſe comperit. Etenim mucro magno impetu actus, vtpote ab homine, qui robore, ac viribus valebat plurimùm, vt attigit cranium, retortus fuerat in modum vncini, atque inde dilapſus cute ac carne diruptâ, caput magna ex parte ſauciauerat, leuiter tamen; neque enim vlterius quidquam penetrauit. Id verò humanitus fieri non potuiſſe teſtatus Chirurgus eſt. Quid plura? Eiuſdem Chirurgi iuſſu, proximo die iuuenis è lecto ſurrexit: qui deinceps viuit tantis beneficijs non ingratus, & in obeundis Sodalitij functionibus ſedulus cum primis.

25 TVRIASONENSIVM Sodalium modeſtia animique ſubmiſſio, vel ex his duobus perſpici poteſt. Alterum, quod pauperum manus odoratis aquis ſolent abluere. Alterum, quod quidam Doctor Theologus ex eorum numero, cùm eſ-

ſet omnium ſuffragijs electus in Præfectum Sodalitij, electores enixè rogauit, vt eligerẽt alium eâ præfecturâ digniorem. Quod cùm ſe illi facturos negarent, rurſus in genua procumbens, obortis lacrymis, per Virginem Matrem eoſdem etiam atque etiam obſecrauit, vt ſe omninò præterirent, tanquam ad id muneris prorſus ineptum. Quæ res quò rarior, eò maiori fuit exemplo ijs qui aderant.

In Pervvio Collegium Limenſe habet vnam Sodalitatem Sacerdotum, in qua centum quinquaginta numerantur. Inter eos Cathedralis Eccleſiæ Dignitates penè omnes: & quâ die in eam vnus ex primarijs cooptatus eſt, beneficium hoc veluti maximum quoddam, ac ſingulare prædeſtinationis ſuæ ſignum prædicabat; cumque ſolere intellexiſſet, aliquibus hebdomadæ diebus, Xenodochia ægrotis ſeruiendi causâ, à ſacerdotibus Sodalitatis inuiſi; ad id ipſum munus præſtandum accurrit celerrimus, togamque, ac pileum ſeponens, pauperibus ſummâ cũ animi lętitiâ, ac voluptate inſeruiuit. Qua animi ſubmiſſione pręclaro exemplo omnibus fuit; ſciẽtia enim reliquos, dignitate, atque ætate ſuperabat. Eum imitatus eſt, quò in Sodalitatem admitteretur, vnus ex religionis Chriſtianæ Quæſitoribus. Solemnem diem (qui Præſentatæ Virgini ſacer eſt) percelebri, vt aſſolent, cultu egerunt. Quadraginta eo die pro Sodalibus vita functis, ſacra facta ſunt; & quidam ex locupletioribns Canonicis annuos perpetuos reditus, ad hoc

26 (margin, beside "In Pervvio")
27 (margin, beside "ligionis Chriſtianæ")

ipſum deinceps eodem die præſtandum, locauit. Eleemoſyna verò, quæ in hac ciuitate pro ſingulis ſacris offertur, eſt octo argenteorum. Alter ex eadem Sodalitate virginibus quinque quò in Religionem admitterentur, dotem conſtituit; quàm, licet vel vni ex prædictis tantúmodò deſignaſſet, eleemoſyna fuiſſet inſignis.

28 Sæcularium etiam Sodalitas celebris eſt; ſingulis quibuſque Dominicis diebus, ducentis amplius ad priuatas collationes confluẽtibus ſocijs, qui in Pœnitentiæ, & ſacræ Eucharistiæ Sacramentis, frequentes admodum ſunt. Die Sanctis omnibus ſacro, quingenti ſupra mille, vt ſuus cuique Diuus obtingeret, conuenerunt. Nec defuere huic celebritati, Regij ciuitatis huius conſiliarij; inter quos omnes, quàm plurima pro fidelibus vitâ functis ſuffragia deſignata ſunt, ſacra verò ſpeciatim ãplius mille, pro quorum ſingulis octo argenteorum (vt dixi) eleemoſyna neceſſaria eſt. Nec minus Sodales iſti, erga viuos in neceſſitate aliqua conſtitutos, quàm erga mortuos, opera charitatis exercent; in quibus commemorandis, ne longior ſim quàm oportet, non immorabor.

29 Scholaſticorum item Sodalitas, quæ hoc loco cæteras præcellit antiquitate, in ſuis exercitationibus eadem, quæ ſemper, extitit. Conceptam ſine labe originali Virginem (cuius ſacer dies illi ſolemnis eſt) propoſito litterario certamine, per dies octo, ludis celebrauit; octauo data

uo data præmia ijs,penes quos ſummam eſſe ingenij , atque eruditionis , iudicium fuit ; omnia concluſit latinus Dialogus magnâ cum adſtantium lætitiâ,ac voluptate.

Suam etiam Aethiopes habent Sodalitatem, 30
quorum , in hac vna ciuitate , numerus duodecim millia. Statutis temporibus , ad vltronea verbera , ad collationes, ad exempla,ad confeſſiones , communioneſque ſacras accedunt , ſacellumque hoc anno Sanctorum Ignatij, Xauerij, Borgiæ , & Staniſlai imaginibus mirabiliter exornarunt ; qua in re quater centùm monetarum (peſos vocant)ſumptus, ac plus etiam poſuerunt.

Nec deeſt Indis ſua Sodalitas. Carceres,ac pu- 31
blicas hoſpitales domos, conſtitutis ſibi diebus inuiſunt ; ſemel (vt huius generis reliqua omittam) tantâ ciborum affluentiâ vtriuſque carceris vinctis miniſtrarunt , vt præter ingentem multitudinem , cui ſatis ſuperque factum eſt, potuiſſet abundantiſſimè duplo maiori ſatisfieri. Mirum eſt, quanti inter ipſos Indos hæc Sodalitas fiat , vtque in eâdem frequentandâ vitæ ſuæ emendationem poſitam eſſe cognoſcant.

IN COLLEGIO Chilenſi hoc memora- 32
bile. Ad Sodalium animos ſedandos , componendoſque,ſi qua fortè ſeſe rixæ , aut diſſenſionis occaſio obtulerit, vel nominis ſolius Sodalitatis recordatio ſatis eſt. Cuius rei exemplum hoc ſingulare. Cùm duo malè ſe inuicem verbis affeciſſent, adeòque vt ad gladios iam deuentū eſſet , poſtquàm ſe ijs qui aderant interponen-

tibus, ad pacem concordiamque reuocati, domum quiſque ſuam ſeorſim petiuit; exhibiti à Sodalibus praui exẽpli memoria, ità ſimul animum vexauit vtriuſque, vt alter alterius conſilij omninò ignarus, ambo P. Rectorem adierint, quò commiſſi criminis in Sodalitatis iniuriam, veniam conſequerentur. Vbi autem in Collegio ſe inuicem ſalutarunt, miro profectò omnibus exemplo fuit ſingularis quædam animi ſubmiſſio, quâ alter ab altero veniam deprecatus eſt.
33 Alius quidam ſolemni Sodalibus die, quo erant omnes poſt ſacram confeſſionem ſanctiſſimum Chriſti corpus ſuſcepturi, nullâ ſe ad id pietate, religioneue excitari ſentiebat. Adhærebat fortè tunc temporis lateri domus cuiuſdam, cùm vocem ſibi viſus eſt audire, quæ, vt aliquantulum à loco, in quo erat, recederet, admonebat; ſeceſſit ille tantiſper, continuòque tota illa domus pars corruit, cui ipſe adhærebat, quâ procul dubio, ni voci paruiſſet, obrutus eſſet. Atque ità penè extinctæ ſuæ pietatis, ac religionis admonitus, ad confitendum cum reliquis, communicandumque acceſſit, non ſine præcipuâ quadam animi voluptate & lætitiâ. Quod ille tantum ac tam ſingulare beneficium, Sodalitati acceptum refert.

34 DOLAE obijt hoc anno Præfectus Sodalitatis ſcholaſticorum, iuuenis valde pius & religioſus. Hic emenſo fœliciter, & ſumma cum laude, Philoſophiæ curriculo, voluit in teſtimonium, ac monimentum ſui aduerſus B.

Virginem cunctoſque Sodales incredibilis amoris, ſuas de vniuerſâ Philoſophiâ theſes eiſdem dicari. Magna fuit eius in magnis morbi moleſtijs patientia, cùmque grauiſſimis doloribus continenter affligeretur, ſuauiſſimos cum Deo, cum Deipara, cum omnibus Sanctis miſcebat ſermones, magnoque animi ſenſu ſæpius illud repetebat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sanctiſſimam verò Dei matrem ex intimis viſceribus ſalutans, verſiculum illum ſemper in ore habebat, *Monſtra te eſſe matrem*, ſubindeque adſtantes ad eiuſdem Virginis matris honorem, & cultum, hortabatur. Sub morbi initium magnis conſcientiæ ſcrupulis angebatur, quòd ſuis peccatis dignam pœnitentiam non egiſſet in vita. Eum animi mœrorem cùm adſtanti vni è Patribus Collegij aperuiſſet; rogat Pater vti meminerit ſe ſaltem deſiderio nomen Religioni dediſſe, & ſe ſuaque omnia Deo in holocauſtum obtuliſſe; quod cùm apud Deum ſummi ſit meriti, nullam hac pœnitentiâ maiorem eſſe poſſe. Tum verò diſcuſſis de repentè triſtitiæ nebulis, ſerena pax & trãquillitas menti reddita eſt; atque in immoderati timoris locum ſucceſſit ardens videndi Dei deſiderium; vt iam illud Apoſtoli crebrò vſurparet, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*, itemque illud ſponſæ in Canticis, *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Fuit etiam id in eius ægritudine, non ſine admiratione, à multis animaduerſum,

quòd cùm præ ardore febris, alienatâ mente delyrare cœpiſſet, pios tamen de Deo, diuiniſque rebus ſermones libentiſſimè audiebat, atque intelligebat; cùm de alijs rebus interrogatus, nihil ad rem appoſitè reſponderet. Tandem ergò ſibi reſtitutus, integris ſenſibus, maturo iudicio, defixis in Crucifixi imaginem oculis, mente in Deum erectâ, ſæpiuſque verba illa, *In manus tuas*, piè iterans, animam Deo reddidit. Defuncti corpus Sodales vniuerſi longo ordine, lucentibus cereis, ſolemni extulerunt pompâ, admirantibus ciuibus vel frequentiam & multitudinem Sodalium, vel eorum inceſſum & modeſtiam ſingularem, vel denique ipſorum in ſuum Præfectum amorem; cuius tumulum epitaphijs etiam affixis cohoneſtarunt.

35 AGINNI in Aquitania viget pietas Partheniorum, quam ex vnius facto conijcere poteris. Is Damaſcenam caſulam, cum alijs Sacerdotis infulis, & reliquum altaris ornatum, dubiâ adhuc luce, clam in hortum Collegij deportari curauit, cum hac epigraphe, Maritus & Vxor D. D. D. Congregationi Annuntiatæ Collegij Aginnenſis Societatis Ieſu. Nomen muneri inſcriptum noluit, vt altius in cœlo figeretur.

36 AVENIONE quidam è maiori Sodalitate impiam peruicacis hæretici doctrinam acriter confutarat. Hic ſimulatâ amicitiâ, cum illo in gratiam redijt; tum, captatâ occaſione, ter illum ferro appetere tentauit: impia tamen manus, B. Virginis ope, ter compreſſa. Tan-

ti beneficij cauſam, in renouatam eo die recitandi Roſarij conſuetudinem, quam ab aliquot diebus intermiſerat, Parthenius refert. Minor 37
verò Sodalitas quæ ſub Virginis Annuntiatæ tutelâ militat, adoleſcentes habet ſpectato pudore inſignique caſtimoniâ conſpicuos. Horum vnus, miſſam ad ſe noctu procaciſſimam mulierem, pugnis, calcibus, & vociferationibus abegit. Alij duo varios dæmonis inſultus, ad ſanctiſſimæ Matris inuocationem, eluſerunt. Quartus denique cùm ardentiſſima febri tertio Kalendas Auguſti æſtuaret, Sancti Ignatij inclamato nomine, & nuncupato voto ſi conualeſceret; ſequenti die, quo iucundiſſima Sancti huius memoria recolebatur, omni ægritudine depulſâ, ſanitati reſtitutus eſt.

TVRNONE contigit illud planè ſingulare, quòd nobilis quidam miles in hæreſi à 38
teneris innutritus, atque adeò Catholicis infenſiſſimus, cũ ex itinere in hanc fortè vrbem diuertiſſet, vidiſſetque è Sodalitio Parthenio pium adoleſcentem in noſocomio de Sodalium more ægrotis miniſtrantem; ità pio eius exemplo de repentè commotus eſt, vt primùm aliquo noſtræ fidei deſiderio, mox etiam de abiurando errore cogitatione ſuſceptâ, adiuerit ad adoleſcentem, faſſuſque ſit ſe hactenus prauis hæreticorum dogmatibus adhęſiſſe, permotum autem illo charitatis exemplo, de profitendâ religione Catholicâ conſilium ſuſcepiſſe; ſi ſibi de quibuſdam liquidius conſtet, non recuſaturum, quin ſe ad noſtros transferret.

Monet adoleſcens, ſi is Collegium inire non grauetur, ſperare ſe eum compotem voti futurum. Dicta dies craſtina, quâ ſe Collegio ſiſtat. Interea nocte proximâ impelli ſe B. Virginis monitu ad Chriſti caſtra perſentiſcit in ſomnis; ab eâdem etiam non leuia aduerſus errores ſuos argumentorum momenta proponi; quæ poſteà communicata viris doctis, firma, validaque iudicata ſunt. Poſtridiè in Collegium ab adoleſcente perductus, hæreſim eiurat, & librum precarium hæreticum, ac ſyngrapham multis Miniſtrorum teſtimonijs obſignatam, tradit. Inſequenti die, totius vitæ maculis per confeſſionem elutis, ſumptoque ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramento, eo conſilio ad ſuos redijt, vt à prauo Caluiniſtarum errore, ad noſtram fidem traduceret, ſi poſſet.

39 Alius proximam vrbem inhabitans audiuerat de Sodalium pietate permulta; is filium ægrum, & affixum iam multos dies lectulo, Sodalium precibus commendat, votumque nuncupat, ſi æger priſtinæ reddatur valetudini, eius ex cera effigiem, donum ſe B. Virgini daturum. Incumbunt Sodales in preces; nec ſunt irritæ; meliuſculè incipit ex eo habere, deploratæ alioquin valetudinis adoleſcens; mox etiam priſtinæ redditur ſanitati. Miſſum poſtea ad Sodalitatem, pro recuperata valetudine votum ſimulachrum.

40 In Camberiensi Collegio, Soda-

lium qui Deiparæ Virgini nomen dederunt, enituit hoc anno pietas ; vnius maximè, cui cùm celerior virtutis quàm annorum curſus eſſet, immaturâ ætate maturus cœlo deceſſit. Exhauſtis penè morbo viribus, cùm inibi eſſet, vt cœleſti pabulo reficeretur, è lectulo in terram venerabundus ſe abjecit, & maximo cum pietatis ſenſu diuina obijt myſteria. Cùm acrioribus doloris morſibus premeretur, damnatâ ope humanâ, ad B. Virginis, quam peculiari cultu proſequebatur, auxilium ſe conuertit, iuſſitque ſibi pileum nocturnum auferri, nefas eſſe affirmans eam operto capite appellare. Mox in ſuauiſſimas effuſus preces; Tuum, inquit, ô Virgo beatiſſima auxilium laboranti diutius deberi non poteſt, cùm me tibi totum permiſerim, tu me ſuſceperis, ut quaſi tabellis obſignatis tecum agere poſſim : equidem depoſitam meam crederem ſalutem, niſi me tibi addixiſſem. Sub hæc, affirmauit ſibi fauces quodammodò à dæmone obſtrui, ne in laudes Dei Matris erumperet : quare crucem appenſam roſario applicuit ori, ſtatimque maximam Virginis eſſe poteſtatem affirmauit. Poſtremò cruce pectori admotâ, Ieſumque inclamans, ad eum, vt credere par eſt, emigrauit. Reliquit in mandatis, vt ſuffragia menſtrua Sodalitatis, ſibi mortuo ad collum appenderentur, ſicque terræ mandaretur.

IN COLLEGIO Anicienſi, vtriuſque Sodalitij fructus, quorundam morte maximè con- 41

ſtitit. Vnus ex Annuntiatæ Virginis Sodalibus, cùm lethali decumberet morbo, inter vltimos dolores, ſacros hymnos tranquilliſſimè præcinebat; noctem etiam, quæ præceſſit obitum, totam exegit in hymnis, cæterorum præterea qui aderãt, hortator, vt ſecum hymnorum modulatione laudarent Deum; atque itâ animã in cãtibus pijs efflauit lætus omnibus, qui aderant, mirantibus, tantam in adoleſcente annorũ octodecim, ad tã formidabile momẽtũ, alacritatem. Alius ex eodẽ Sodalitio, in lethali morbo Sodalibus inuiſentibus, idẽtidem illud Apoſtoli repetebat: *Cupio diſſolui, & eſſe cũ Chriſto*; qui etiã paulò antequam contraheret morbum, quaſi futurę mortis præſcius, in ſermone de humanarum rerum contemptu, cum ſocijs inſtituto, dixerat: Heu quàm mihi ſordent terreſtria! quàm cuperem, vt me Deus ex hoc corporis ergaſtulo, ad vitæ futuræ libertatem euocaret!

42 Illuſtrior fuit vnius è Sodalitio ciuiũ obitus, & ciuiũ frequentiâ, & viri nobilitate. Is erat Baro quidã fortitudinis militaris opinione, & rebus geſtis clarus, ſed virtutis & animæ clarior ornamẽtis; ab adoleſcẽtia enim martyrij cupiditate flagrauerat; & eâ in inimicos fuerat voluntate, vt paucis antè morbum diebus, cuidam è familiaribus datâ occaſione faſſus ſit, ſe præceptum Apoſtoli de temperandâ iracundiâ mordicùs tenuiſſe, neque vnquam ſolem ſuper iracundiã ſuam occidiſſe. Quæ ſanè moderatio rari eſt exempli, in homine præſertim bellicoſo. Hic cùm in caſtro vrbi finitimo, in grauem inci-

Digitized by Google

diſſet morbum, voluit ſtatim Anicium deportari; conuocatiſque Aſſumptæ Virginis Sodalibus, illorum ſeſe precibus enixè commendauit; & de fœlicitate cœli, & contemptu humanarum rerum cum ipſis feruentiſſimè locutus eſt. Manabant interim è circunſtantium oculis vbertim lacrymæ, cùm viderent virtutem tantã immaturo fato, in ipſo ætatis flore extingui; quod cùm animaduertiſſet æger, eos comiter increpans: Quid, inquit, ſibi volunt fletus? quid iſtę eiulantium voces? ſiccine mihi mortem in adeò Catholicâ vrbe, & tam pio cœtu obitam, quam ego in ſummis bonis pono, inuidetis? Paulò poſt verò, cùm aliquandiu in vnã partem defixos obtutus tenuiſſet, in has voces erupit indignabundus: Quid me dæmon aggrederis? quid ſceleſta ingeris conſilia? quid ſuades, vt in innocentem illam puellam (aderat fortè puella annorum quindecim) deprecer morbum? At ego non tantùm inualetudinem iſtam à Deo immiſſam mihi, æquo animo perferam, ſed etiam multo grauiora deberi peccatis meis duco. Procul hinc ſceleſte dæmon, procul hinc, ego te D. Martini abigam verbis: *Quid adſtas cruènta beſtia? nihil in me funeſti reperies.* Hæc locutus, pſalmum quinquageſimum, & preces quaſdam Virgini Deiparæ recitauit: poſteà ſolito ſerenior factus, En ego, inquit, te video pulcherrima Virgo, ô verè benigna parẽs, 43
quæ præſto ſemper es tuis in calamitate: nec plura poſt has uoces, quàm orationem, *In manus tuas*, locutus; emiſit animam, Deiparam

Virginem, vt credimus, præeuntem ſubſecutus.

Eadem Virgo quæ huic ſuo Sodali ad mortem ſalubriter obeundam adfuerat, adfuit alteri è Sodalibus in pari diſcrimine, ad vitam diutius retinendam. Deſperata fuerat à medicis illius valetudo, cùm ille in hac vitæ deſperatione, ſpem in Deum, & Virginem vehementius excitans, vouit, ſi præſenti liberaretur morte, ſe vitam Dei obſequijs in religione impenſurum. Accepit Deus votum, & ſanitatem corporis reſtituit; quâ firmâ nunc vtitur, votum ſuo tempore redditurus.

44 FRIBVRGI in Germania vnum contigit, quod meretur laudem haud exiguam. In idem hoſpitium conduxerat ſeu via, ſeu fors bona, hinc ciuem Sodalem, inde virginem quandam. Huius pudicitiæ procaces aliquot iuuenes, qui ibidem diuerſabantur, imminebant. Facilè id intellexit Sodalis ille, quem dixi; ergò vt tutam eam præſtaret, ratus ità Virginis Matris, quam colit impenſiſſimè, vel amorem poſtulare, vel honorem; finxit ſibi illam ſororem eſſe. Cubitum deinde cùm abijſſent, lectum puellæ conceſſit, ipſe humi precando noctem extraxit.

45 IN COLLEGIO Oenipontano, diē Aſſumptæ B. Virginis, Reuerendiſſimi atque Illuſtriſſimi Principis, Epiſcopi Brixienſis, non abſque ſingulari ſua & totius Congre-

gationis conſolatione, in Sodalium numerum adſcriptio, ſolemniorem reddidit. Abſentis locum ſuppleuit P. Rector Collegij, qui illius nomine publicè à Præfecto petiuit. Mirum dictu, quàm ſibi in ſuâ Aulâ ſit gratulatus optimus Princeps, maieſtate caniciei valdè venerandus, adeò vt, etiam coram alijs præ efferueſcente mentis æſtu, internum animi feruorem tegere nequierit, ſed prodiderit intus exultantem. Mittit eidem Congregatio, vt & Reuerendiſſimis D. D. Suffraganeo, & Vicario (qui & ipſi magnâ voluntate Sodalitatis albo inſcripti ſunt) quot menſibus, ſanctos in ſcheda, qui in electione illis obtingunt.

In Ratisbonensi, Sodalis cùm eum, neſcio quâ ex cauſâ, hernia occupaſſet, de more Sodalium ſuorum cœtum die Dominico adijt. Hic verò primùm ſentit dolorem augeri; mox oculos animumque ad B. Virginem in altari depictam conuertit, tacituſque votum nuncupat, ſe ad Virginem Oetinganam peregrinaturum, etiam hyemis aſperitate; cùm ecce illicò melius habere cœpit, & inteſtina ſe ad priſtinum locum recepêre. Aliquid tamen ex illo malo relictum. Committit itaque ſe viæ; venit Oetingam; vota perſoluit; confitetur; communicat; reſtituitur ſanitati. 46

In Monasteriensi, à Parthenijs conſuetudo in familias inducta, manè, veſperique per horæ quadrantem precan- 47

di, diſcutiendæque antè ſomnum conſcien-
tiæ; ad ſalutationis Angelicæ ſignum fle-
xis poplitibus orandi; colendi exactius qua-
dragintadialis ieiunij. Quidam cùm ob
hoſpitis quotidiana iuramenta aliò migrare
conſtituiſſet, obtinuit, vt is ne lucrum peri-
ret, deinceps ab irritando numine ſe abſtentu-
rum promitteret. Nonnemo item è Sodali-
bus, loci cuiuſdam præfectus, intermiſſam à
triginta ſex annis ſolemnem ſupplicationem &
Theophoriam reſtituit, fremente vicino Co-
mite, Caluini ſectatore, & pios conatus diſtur-
48 bare fruſtrà nitente. Puer primæ Grammatices
diſcipulus, pro more habebat, antè arulam do-
mi excitatam, Litanias quotidiè recitare. Hic
peſte correptus, negabat ſe abſque Sacerdo-
tis vnius è Societate præſentiâ, è viuis excede-
re poſſe; qui cum veniſſet, videt omne inſtru-
mentum ſacrum, calicem, patenam, ampul-
las, candelabra, ante decumbentis conſpe-
ctum in menſâ expoſita; tum ipſum ægrum
audit præſentiſſimo animo referentem, tres
ſibi Angelos clariſſimâ circumfuſos luce ap-
paruiſſe vigilanti, animamque ſuam breui in
cœlum deducturos, promiſiſſe. Factâ dein-
ceps exomologeſi, non multò poſt innocen-
tem Deo ſpiritum feruenti cum oratione red-
didit. Cæterùm incitandæ Partheniorum pie-
tati, Sodalitatis Præfectus, S. Theologiæ Do-
ctor, magno ære coëmptum organum do-
nauit. Sodalis alius Collegio millè taleros;
centum verò & quinquaginta, pauperibus

gymnaſij diſcipulis teſtamento legauit.

IN HILDESHEMENSI accidit quiddam quod vix miraculo eximas. Sodalis altam conſcenderat arborem, eâ fortaſſe mente, vt inde decerperet poma. At veſtigio fallente delapſus, ferebatur præceps. Ibi tum Virginem patronam ſuam inuocans, extemplò viſus ſibi cæleſti quadam vi, & quaſi manu ſuſtentari, ac paulatim ſine moleſtiâ magnâ, periculoue demitti. Igitur ſolum attigit integris non ſolùm membris, ſed etiam ſenſibus. 49

VILNAE in Lituania, diuiſa eſt hoc anno, laborans non exiguâ mole Sodalitas, in duas, maiorem & minorem, dato eleganti Dialogo quo inſtitutum Congregationum explicabatur. Solemni & ſacra feria quinta, illuſtriores Sodales (nec enim minoris notæ ad hoc officium admiſſi) magnâ animi demiſſione, lauêre pedes pauperum vltrà centum. Eiſdem lotis magnificum datum epulum, menſæ miniſtrantibus præcipuis Sodalibus. Cùm dominicâ Quinquageſimæ Pater in cohortatione Sodales monuiſſet, vt inſanis ferijs Bacchi, omnes ſe domi continerent, & quaſi diuinans adieciſſet, futurum fortaſſis, vt qui ſe intrà domeſticos parietes continere noluerit, Quadrageſimam non videat; Vnus è Sodalibus auſus eſt hoſpitio veſperi, aliò quoque cœnatum egredi. Noctu igitur domum rediens, à quodam, globo fethali, propè cor traiectus eſt. Hic ictus fuit 50

huiuſmodi, vt humana ope, nullo modo iuuenis, vel ad vnum temporis momentum, viuere potuiſſe videretur. Vixit tamen tamdiu, ſui egregiè compos, animoque præſentiſſimus, donec vocato Patre bis confeſſus, circa mediam noctem, non ſine magno pietatis ſenſu, ſacroſancto viatico munitus eſt. Tum verò animus cum corpore diſceptare cœpit, paulòque poſt mortuus eſt: vt videretur omninò patrocinio B. Virginis (cuius cultui præcipuè deditus erat) hæc illi ſalutaris adeò vitæ vſura, tantiſper benigniſſimè conceſſa. Mortuus autem eſt ipſa nocte, feriam quartam cinerum præcedente, vt tantò conſtaret magis tempus illius quaſi præſagij, quod Pater Sodalibus in cohortatione ſingulari ſenſu inculcarat.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 1606.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 42.

LOVANII obijt mortem Iuſtus Lipſius, editis operibus clarus, non vulgare huius Sodalitatis ornamentum. Vixerat in hac vrbe annos tredecim, ad Deiparæ cultum ità propenſus, vt ſicut ab eo virtutis & eruditionis, ſic meritò cultus Dei Matris exempla peterentur. Sacris exhortationibus ità paſcebatur, vt omnes aſſiduitate ſuperaret; ità legum obſeruans, vt nihil religioſius ferè, ſiue confeſſione aperienda peccata, ſiue ſacra ſynaxis adeunda; omnes denique perfecti Sodalis numeros accuratiſſimè expleuit. Sed qui fuerit vir, in morte vel maximè claruit. Quaſi illam præſentiret animo, ſimul ac in morbum incidit, illud extremum vitæ tempus futurum eſſe pronunciauit. Nec temere: 1

vt enim morbo teneri cœpit, paucis diebus eſt mortuus: & fœliciter ſanè. Sub initium morbi, mirum quantâ fuerit in ſacris omnibus Chriſtiano ritu procurandis ſollicitudine. Bibliothecæ, litterarum, teſtamenti mirum ſilentium, nulla cæterarum rerum querela: ſed vel tacitus ſecũ meditabatur æterna, vel pijs de Chriſto crucifixo, ac de B. Virgine colloquijs animum intendebat. Cùm vnus è Collegio Pater, ad omnem curam, in Dei parentem Virginem quam ſtylo coluiſſet & mente, collocandam hortaretur; languidis manibus nocturnum pileolum capiti detraxit, iunctiſque manibus cœlum ſuſpiciens; Vtinam, inquit, Mater omnium, hoc mihi tempore ſit Mater. Vt autem hoc impetraret, Litanias recitandas curauit, quas vnà recitauit cum cæteris. In medio ſubinde inſiſtẽtes, ut quieti eius conſulerent, reuocabat ad curſum: erat enim illi de Virgine ſermo voluptati, quòdque illam à primis annis coluiſſet ex animo, iam morituro maximum aiebat eſſe ſolatium. Monitus vt cum B. Stephano diceret illud: *Domine Ieſu accipe ſpiritum meum:* Dico, inquit, dico cum B. Stephano: *Domine Ieſu accipe ſpiritum meum*: Rurſus cùm altius cogitationi cuipiam inhæreret, rogatus quid mente volueret; Promiſſã, inquit, diuinitus laboribus mercedem. An exiſtimas opum gratiâ me feciſſe quæ feci? aliam mihi propoſui mercedem: illa animo meo hæret infixa. Denique facta dictaq; eius omnia, Chriſtianum Philoſophum, & verũ Sodalem arguebant. Quoties Crucifixum rogauit

gauit ſibi ad oſculandum dari? quoties eum patientiæ magiſtrum pro aſpectu ſe audire teſtatus eſt? Hortantibus quibuſdam, vt, de qua ſæpè tractaſſet, Stoicam patientiam oſtenderet; Iſta ſunt, inquit, delyramenta ſtultorum, digitoque in Crucifixum intento, Illa eſt vera patientia, inquit: domine Ieſu doce me patientiam Chriſtianam. Vt Indulgentiarum particeps eſſet, vicies iterauit dulciſſima Ieſu, & Mariæ nomina, fractis & intermortuis vocibus, inter quas fœlicem animam edidit. Expiatam ſiquidem omninò credimus, tum ſacrificijs (quæ cùm offerebantur exultabat) tum doloribus patienter ferendis, tum B. Virginis patrocinio, quam de æternitate decertans ſæpè inuocauit; tum denique largitionibus, & pijs legatis. Nam, & Græcam Bibliothecam Societati, B. Virgini pellitam veſtem pretioſam legauit. Addo contemptorem eorum fuiſſe quæ hominum vulgus ſuſpicit. Sæpius inuitatus à Rege Chriſtianiſſimo magnis opibus, & honorario mille nummûm aureûm & ampliori, vt in eius diſciplinam Delphinus ipſius Regis filius traderetur; modeſtiæ causâ ſe excuſauit, humiliori ſorte contentus.

DVACENSIS Collegij Sodalitium expetere, quidam hac fœlici neceſſitate compulſus eſt. 2
Iter faciebat cum Socio, quo repentino morbo laborante, ſubſiſtere cogitur; & imminente iam nocte, per ſyluam latrocinijs infamem, & tum maximè infeſtam, in viam ſe dare. Hic humanis deſtitutus præſidijs, diuinam opem effla-

gitat, vouet, ſi incolumis euadat, Sodalitati nomen ſe daturum; & ecce velut hoſtibus inuiſus medios hoſtes pertranſijt, ſummoque omnium ſtupore, periculo ereptus eſt, & voti reus in Sodalitatem adſcriptus.

3 E LEODIENSI Collegio quidam Sodalis vt à probitate vitæ commendatus, ità mirabili quadam morte defunctus eſt. Cùm graui diuturnoque morbo fuiſſet afflictus, eâ nocte quæ ſupremum vitæ diem anteceſſit, eius cubiculum ingreſſi ſunt frequenti numero dæmones tetri, aſpectuque deformes; omneſque ferè ſedentes in equis. Vt formidoloſus fuit eorum introitus, ità magnus animo terror iniectus eſt: maximè, cùm duo vel tria obiecerunt crimina, quæ ſeſe iam olim admiſiſſe cognouerat. Sed magna vis eſt pœnitentiæ; vt, qui rectè peccatorum maculas deleuerint, in eius præſidio lateant atque tutelâ. Nam vbi ſeſe collegit, dixitque, ſe omnia repetitis confeſſionibus expiaſſe, illico ex oculis turba omnis euanuit, & omnis animi perturbatio ſubmota. Succeſſere candidati, qui cœleſti ſine dubio lumine circumfuſi, ità recrearunt ægrotum, vt iam particulam diuinæ lucis prægustare videretur. Cæteri quidem ex illo cœleſtium numero, neque ſignum dabant, neque vocem mittebant; ſed is qui aſſidebat ægroto, qui & Angelus Cuſtos fuiſſe creditur, clarâ voce moriturum eum dixit eodem illo die, cùm hora ſexta iam inſtaret. Ille interpretatus horam quæ hiberno tempore, diei poſtrema eſt; vt monitus

erat, ità ſe parauit ad mortem. Nam ſacramentis munitus, vſque adeò rerum humanarum curis ſolutus ac liber extitit, ac ſi nunquam in terris vixiſſet. Fatigabantur omnes qui aderant, monendo & conſolando, ſolus audiendo non fatigabatur. Sacerdotem ſubinde reſpirantem incitabat, monebatque ne ſe deſereret in tali negotio ac tempore; horã imminere, quâ certo nũtio ſe moriturũ acceperat. Crebriores interea preces iterabat, ſed potiſſimùm B. Virgini identidẽ recitabat illam ſolemnem Sodalitij formulam, quam memoria tenebat; atque ità diem exegit. Denique, vt antea viſis conſtaret fides, eâ ipsâ horâ quam denunciarat Angelus, animam tranquilliſſimè cœpit agere, & imminente ſextâ diſceſſit è vita. Mirati ſunt quicunque viſerunt ægrotum, dicti veritatem atque conſtantiã, ſimulque didicerunt quantum interſit humanæ ſalutis, rectè laudabiliterque vixiſſe.

Foſſæ Leodij ſunt, immenſâ quadam altitudine depreſſę, è quibus eruitur atra quędam, ac lapidea, ſulphureaque materies ad ignẽ aptiſſima; ſed aquis ſemper infeſtæ. Ijs hoc anno ſubitò erũpentibus, qui ſe eò demiſerant, homines omninò centũ oppreſſi; ſecutaque eſt viduarũ atq; pupillorum totâ vrbe lamentatio. Hîc vehemẽter excitati Sodales ad leuandam miſerorum egeſtatem; & qui locupletiores fuerunt, primùm de ſuo tribuêre ſubſidium, deinde vicatim corrogauere ſtipem, magnâ omnium comprobatione & publico gaudio; atque ità inopiæ miſerorum abundè proſpectum eſt. 4

5 Nec illud memorabile religionis exemplum omittendũ. Erat imago Crucifixi in ponte quodam ædibus Collegij vicino poſita, cuiuſdam Sodalis impenſis. Illam hæreticus homo nõ maledictis tantùm, ſed famoſo etiam libello violarat. Nam congeſtis vndique deprauatiſque Scripturæ locis, idololatriam Catholicorum notabat; &, quod auditu deteſtabile, Crucifixum idolum vocabat. Ineunte Dominico die, viſum eſt Patribus Societatis, vt concionator in æde ſummâ, frequẽtiſſimo populo immane ſcelus, & minimè ferendum in ciuitate Catholica, grauiter accuſaret, Magiſtratus omnes ad vlciſcendum incitaret, reſtituendumque honorem Deo debitum. Non iudicarunt expedire tunc illius Eccleſiæ Principes, nec illo die commodum. Cum ergò diluxiſſet dies, qui conceptæ Virgini ſacer eſt, quo frequentiſſimi Sodales conueniunt; duo ex illis, ardentes faces ad Crucem vtrinque tenuere à prima luce in veſperam. Peractis vſitatis ipſius Parthenij cærimonijs, ſolemni pompâ, ad pontem, & Crucifixi imaginem proceſſum eſt; & collectis vndique optimis ſymphoniacis, quibus abundat ciuitas, diuina penè ſymphonia data eſt. Nunquam anteà Leodij in vllo publico conuentu, vel ciuium frequentia maior, vel pietas ardentior. Erumpebant ex oculis multorum lacrymæ: & quamuis acerrimum frigus vrgeret, & tenebræ, defixis in terram genibus, collucentibus facibus, maximo ſilentio, horam orando traduxerunt.

Vbi cœtus ille dimiſſus eſt, fauſtæ precationes & acclamationes auditæ, voceſque gratulantiũ, quando ſceleris auctor proferri non poſſet, eſſe Deo debitum tamen honorem reſtitutum. Sed neque finis hic fuit. Vrbis enim Parochus quidam, proximo Epiphaniæ feſto die, cùm ad Sodalitatem veniret, ſuos omnes duxit, qui eaſdem illas cærimonias omnes inſtaurauit.

IN POLONIA è domo Profeſſa Cracouienſi, Sodalis, ad nuptias Regias toto ex regno varijs ad hanc ciuitatem confluentibus, dũ ex ſuo hoſpitio egreſſus in ignotum militem incidit, ab eo, ne verbo quidem compellatus, lethale in capite vulnus accipit, & tantum non exanimis in terram corruit. Re cognitâ frater germanus excandeſcens, perditum homicidam, aliquot ſocijs adiunctis inueſtigat, & tandem inuentum, cathena ligatum domi detinet, vt ſequenti die extremo ſupplicio pœnas luat. Saucius porrò iuuenis vt ad ſe redit, & mortem ſibi imminentem aduertit, apud fratrem ac alios ſupplicibus continuò agit precibus, homicidam vt dimittant. Illud in tenerâ ætatulâ (erat enim annorum quatuordecim) maturè ſubijciens; & ſibi morituro mortem eius nullum commodum allaturã, & Chriſto iniurias ignoſcenti cõformius ſeſe è viuis ea ratione deceſſurũ. Difficilem hac in re expertus eſt fratrem: qui tamẽ precum importunitate coactus, ne mortem ægro accelerarct, pollicetur fictè deniq; ſe eũ liberaturũ. Sed iuuenis veritus quod erat, ne hæc tãtùm in ſpeciem dicerẽtur; petijt, vt eum ad ſe cathenis ſo- 6

lutum adducerent;& cùm id ſæpius repeteret, ac lacrymas precibus miſceret, tandẽ adductus eſt. Hunc ille vt vidit, ſtatim coram omnibus, quantùm potuit clara voce liberum pronũtiat, proteſtaturque, ſe necem ſuam nulla ratione vindicare velle; conuerſuſque ad eum, illa ſubiecit: Deus tibi ignoſcat, ora pro me Deum, & & Beatiſſimam Virginem; atque ità ſolutum vinculis abire iuſſit. Poſtea verò, cùm nihil aliud præter Angelicam ſalutationem in ore haberet, munitus omnibus Sacramentis, maximo cum pietatis ſenſu, & ſingulari ſui relicto deſiderio, ſuauiſſimè deceſſit.

7 IN EODEM regno, è Caliſſienſis Collegij Sodalibus ciuicis, vnus oppidum hæreticum pijs perſuaſionibus ad confeſſionem pertraxit. Alter aliquos conuicijs inter ſe agentes, piè obſecrans per Viſitantis B. Virginis diem, & patronum quem illi ſors illo menſe obtulerat, facilè conciliauit; & vt ſacra exomologeſi peccata delerent, perſuaſit. Ijdem cùm ſanctiſſimum Sacramentum ad infirmos deferunt pulchro ordine, complures à Congregatione antè alienos, ità permouerunt, vt ad eandem quãprimùm admitti expeterent. Inuſitatam deniq; in hac ciuitate ſupplicationem, pro Regni tranquillitate, ad ædem B. Virginis in pago Dembe ſitam, pluſquam vno milliari Polonico diſtantem, inſtituerunt.

8 IN COLLEGIO Iaroſlauienſi, quantis B. Staniſlaus Koſtka apud Deũ meritis eſſet, vno alteroue exemplo patuit. Adoleſcens quidam

Parthenius, eo die globo bombardæ traiectus, quo ſolitas ad Virginem fūdere preces propter occupationes ſcholaſticas intermiſerat; acribus ex vulnere premebatur doloribus, in quibus & in ipſâ euulſione oſſium à chirurgo factâ, cùm nomen B. Staniſlai inuocaſſet, ſpemque totam recuperandæ valetudinis in ipſo fixiſſet, ſubitò vim morbi remiſiſſe, ac demùm ſe perfectæ ſanitati reſtitutum eſſe affirmauit. Senſerunt & alij duo, non ſe fruſtrà preces ad eundem fudiſſe; quorum alter aquæ hauſtu, quæ reliquiā B. Staniſlai abluerat, ex ardentiſſimâ febri conualuit; alter dum ſe facturum recepiſſet, vt præcipuo cultu B. Staniſlaum coleret, grauibus tentationibus liberatus fuit.

GENVAE in Italia, Parthenius quidam cùm vniuerſæ vitæ noxas ſacrâ confeſſione delere peroptaret, nec facilè peccata reuocare poſſet in memoriam, id à B. Ignatio enixè petere inſtitit, adiecto etiam voto religionis ineundæ. Mira dictu res. Eodem illo puncto temporis, ità ſeſe illi vniuerſæ vitæ crimina antè mentis oculos obiecere, vt planè ſibi ea, in tabellâ, depicta intueri videretur. 9

E NICEAE Sodalitio adoleſcens quidam, annos decem & ſeptem circiter natus, ad Beatæ Virginis cœtum inuitatus à ſocijs, ægrè primùm id ſibi perſuaderi paſſus eſt; mox ſimulac in ęde veſtigium poſuit, illicò iterū mutata voluntate, nullis Sodaliū precibus retineri potuit. Ergò ſolus rectà natatū proficiſcitur, ſta- 10

timq;ingreſſus immergitur,nec poſteà niſi exanimis apparuit. Dimiſſo Sodalitio vulgatus repentinus caſus, explicari non poteſt, quantum metum omnibus intulerit ; & cùm horam quâ tam horribile ſpectaculum eueniſſet , ſecum ipſi reputarent , mirabiliter ſunt omnes ad B. Virginis cultum , & pietatem excitati. Sicque vnius infelicis exitium , in multorum ſalutem redundauit.

11 E TICINENSI verò, adoleſcens pius B. Virginis cultor, cùm aliquando è nauiculâ piſcaretur,animi cauſa,in Ticino; ea,vi decurrentis aquæ ad molendinum alliſa , ac diſtracta, ſocijs qui cum eo erant in naui , tabulas, ligna que alia , vltimum naufragorum effugium arripientibus , ſolus ipſe repentino periculo correptus , inops conſilij , iam iam aquarum vorticibus abſorbendus erat , niſi tutela B. Virginis implorata ſaluti fuiſſet. Vix Dei parentem inuocarat , cùm repentè illi iniecta cogitatio eſt , vt ſe in profundum aluei ſub molendini rotâ deijceret; ſicque præter omnium opinionem , apud quos iam erat illius deplorata planè ſalus, diuinitus incolumis euaſit.

12 IN COLLEGIO Bononienſi , mercatorum Sodalitas , vt pluribus initio difficultatibus agitata eſt , ità maiores de ſe fructus polliceri videtur. In ea præcipuè agitur de rebus ad munus eorum ſpectantibus. Cùm quid controuerſiæ , vt fit , inter mercatores ortum deprehenditur , ſunt qui ad diſſi-

dentes in concordiam reuocandos, ſtatim authoritate, & opportunis remedijs accurrant. Horum operâ, fœmina quædam 20. circiter annorum, quæ plurimis ſcandalo eſſe cœperat, à prauâ conſuetudine abſtracta, cœnobium ingreſſa eſt earum, quæ poſt reſipiſcentiam, Deo ſe arctius dicare maluerunt. Ijdem, adoleſcentes illos, quibuſcum fœmina malè vixerat, ad honeſtiorem vitam, factâ generali peccatorum omnium confeſſione, pertraxerunt. Minutiorum verò opificum Congregatio, paucis menſibus centum & ſexaginta Sodalibus ditata eſt. Lege inter eos 13
ſancitum fuit, vt cùm quis è Sodalitio in morbum inciderit, inuiſant illum deſignati, & omnia ei, quibus indigere deprehenſus fuerit, communibus ſumptibus ſubminiſtrent. Ei qui primus inter illos Præfectum egit, apparuit in ſomnis ſpecioſus quidam puerulus, qui hominem ad doctrinæ Chriſtianæ explicationem, per ſe, & Sodalitatis ſocios promouendam, hortabatur. Expoſuit viſionem Sodalibus, quibus rem mirificè comprobantibus, ſeſe ferè omnes in varia vrbis templa diſtribuendos dederunt.

In Germania, erat è ciuitate Halenſi vir quidam, inter ſuos honeſtiſſimo loco natus, qui diu D. Virginem, ad ſuorum contubernium occultis monitis vocantem, audire diſſimulauit; ſed demùm, tantùm non apertâ voce, hac viâ tractus eſt. Pararat profectionem, iumento notiſſimo manſuetiſ- 14

ſimoque vſus; viæque certus, iter nullis antea vel latrocinijs, vel prædationibus infame placidè ingreſſus progreſſuſq;, altero die ad ſaltum accedit. Ibi equum repentè ſubſiſtentem, omni ope redire quâ venerat nitentẽ, magnopere miratur; fruſtràque in viam reuocare conatus, admouet calcaria; cædit, nec gradum tamen vllum promouet; vocantur accolæ, concurritur, ducitur, trahitur, vbique refractarius eſt: oculi velantur, cæcus etiam regredi paratus, progredi tamen recuſat. Aduertit tandẽ eques, an Balaamis memorꝰ iumẽtũ, alioquin agno mitius prõptiuſq;, cœleſti nutu retardari. Domũ ergo repetit, volat equus, redit eò vnde paulò ante exierat. Atq; hic certior fit eques, eo ipſo die & horâ in ſilua, quã equus ingredi recuſabat, cędẽ factã: & agnoſcit illicò clementiã Numinis. Virginis quoq; pietas venit in mentẽ, cuius nutus toties reiecissEt: pręſidẽq; Sodalitij, vbi domũ reuerſus eſt, adit, prouidentiam Numinis exponit; Sodalẽ ſe Virginis futurum profitetur; itâque ſe nũc habet, vt omnibus exẽplo ſit, & incitamẽto. Horam alius, quâ migraturus erat, prędixit; cui magno ciuitatis ſenſu parẽtatũ. Eodemq; tẽpore ancilla, pietate Sodalium cõmota, manus preciũ 25. aureos B. Virginis clientibus numerauit.

15 E SODALITIO Herbipolenſi, Ludimagiſter quidam difficili morbo conflictabatur; vouit Deiparæ præſidi decem florenos ex ſua tenui fortuna, ſi conualeſceret; mox conualuit, & promiſſum etiam repentè ſoluit.

16 In Paderbornensi, obſeruantiæ ergà maiores illud adnotatum fuit exemplum. Iuriſperitus, litem quam aduerſus alterum Sodalem defendendam ſuſceperat, ſimul à Patre & Præfecto Congregationis monitus fuit, remiſit. Iſtud diuini zeli indicium. Decanus quidam Sodalitio adſcriptus, nouitio Canonico noluit antè, quam vocant inueſtituram dare, quàm coram teſtibus & Notario ſanctè promitteret, ſe concubinam planè reiecturum; ſimulque ſi fidem datam falleret, extemplò ceſſurum beneficio. Nec eſt omittendum quod ſequitur. Ciuis erat lethali correptus morbo, quem de tempeſtiuâ confeſſione monebat vxor, filij, amicique. Verùm vt ſunt in differendâ pœnitentiâ procliues hominum animi, cunctabatur æger, negabatque paſſurum Deum, vt antè lucem vitâ excederet. Illis ergò conatu fruſtratis, accedit Sodalis conuictor, moribundum blandè compellat, oratque ſaltem nunc velit, quod paulò poſt in omnem æternitatem non voluiſſe fruſtrà pœniteat. Quid multa? obſequitur æger Parthenio, concubia nocte accerſit Cōfeſſarium, exhaurit conſciētiam, percipitque ſacrum viaticum. Nec verò diu ſuperuixit: quippe antequam cœlum albeſceret, placidè in Domino obdormiuit.

17 In Avstria, Labacenſis Collegij Sodales hoc anno ità cultu in B. Virginem progreſſi ſunt, vt plures menſes, imò annum integrum ex præſcripto regularum Congregationis tyrones ſuos prçcolerent; ſolemni etiam vſu

candelarum,ac ſymphoniæ, vario ac eleganti carmine,& communione in templo, præcipua Beatæ Virginis feſta concelebrarent. Eo triduo quo Chriſti Domini ſepulchrum colimus, horas diurnas ità inter ſe diſtribuerunt, vt ſingulis,aliquot ex ijs per vices orarent. Ex quo factum eſt, vt Congregationis deſiderium Principes etiam viri præ ſe ferrent. Nam Reuerendiſſimus Labacenſis in eam cooptari voluit; ſuppellectilem altaris Beatæ Virgini obtulit; librum inſuper non modico ſumptu, in quem nomina congregatorum inferrentur, procurauit. Atque vt plus alijs, tum animi ad dandum nomina ſua, tum ad colendam Virginem Matrem præberet, primus eſſe voluit, qui ſua ſe manu inſcriberet. Dynaſta etiam vnus, non vulgari artificio pictam tabellam & 40. florenos; matronæ nobiles, lineam pro altari ſupellectilem magni valoris obtulere.

Eâdem Sodalium laude R. P. Generalis Societatis Ieſu permotus,huic nouello cœtui legitimæ Congregationis nomen impertijt,priuilegijs decorauit,& Romanæ aſſociauit. Acceptis illius litteris, placuit eas magnâ veneratione, & publicâ celebritate proponere: omnes enim præmiſſa confeſſione generali ſanctiſſimam Synaxim die deſtinatâ obiere; orationem vnus tẽpori locoque accommodatiſſimam, è ſuperiori loco pronunciauit; quâ tum Deo & B. Virgini, tum R. P. Generali,& Congregationi Romanę, omnium nomine gratiæ actæ. Tum, B. Virgini

ſeſe omnes denuò deuouêre;ac demùm confirmatę Congregationi ſuę,in lectiſſimâ Sodalium coronâ,Præfectum elegêre. Quæ omnia exquiſitus Muſicorum concentus ità ornauit, vt non mediocrem feſtæ diei ſplendorem addiderit.

18 BRVNAE in eadem Auſtriâ, tenebat ciuem tam arctè ante ſibi obſtrictum hæreſis, vt benè multos annos à nefario illo complexu nullis doctiſſimorum virorum precibus, rationibus, conſilio potuerit auelli. Sed, ne ſibi placeret malitia in fortitudine ſua, elegit Deus abiecta mundi, vt confunderet fortia. A puero tanta debuit impietas vinci. Iacebat ex morbo ciuis ille lectulo affixus: & iam morti vicinus, nec mouere membra commodè, nec loqui poterat. Ingreditur cubile adoleſcens è Sodalitio Virginis, qui tum fortè pædagogum inibi agebat; reperit dominum cum morte luctantem, & incondito fletu miſcentem omnia. Hic pius adoleſcens pauca pro tempore, de ſalute, de Dei miſericordia, de vera fide commemorans, recitat nonnulla quæ didicerat in ſcholâ, doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, tanto animi ardore, vt lapideum illud cor de repentè verterit in carneum. Nam receptâ vtcúmque voce: Quis, inquit æger, mihi craſtinum promittat? feſtina puer, voca Sacerdotem, qui curet animam, quando corpori medicina nulla ſupereſt. Intelligo, parum temporis intercedere inter miſericordem Deum,& eundem iudicem iratum. Accelera,vt miſericordem habeam,priuſquam iratum expe-

Digitized by Google

riar. Geſſit morē vt debuit, Parthenius impiger; & ille Dei beneficio, peccatorum virus omne cum hæreſi proiecit. Sed quid non inuideat pijs conatibus improbitas? Vxor ciuis illius, fœmina multùm atrox, maritum ſuum à fide alienum factum iniquiſſimè ferens, præacuta forfice ſtudioſi cerebrum configere adorta; cùm feſelliſſet ictus, maledictis peſſimè acceptum iuuenem optimum, & domo & hoſpitio expulit. Hoc ſcilicet pietas ſoluta fuit pretio.

19 TVRNONE in Gallia, Sodalis vacationum tempore cùm domi ageret, incidit in periculoſiſſimam ægrotationem, ex qua nulla vis medicorum eum poſſet reuocare. Quibus in anguſtijs & Sodalitij, & Virginis Anicienſis memor, voto adeundi eius templi ſe obſtringit, ac repentè conualeſcit. Fuit ibidem & alius, tam acer Parthenij inſtituti defenſor, qui cùm aliquos ſeriùs venire ad Sodalitium animaduerteret, vocatus vt Conſultor eſſet, petierit Ianitoris officium; vt quam in deferendis tardiorum nominibus inuidiam ægrè alij ſubeant, ipſe liberali animo ſubiret, ipſoſque ad imperatas à Patre pœnitentias, pro negligentijs, ad ianuam perſoluendas, commonefaceret.

20 ANICII denique, vnus è Sodalitio ſcholaſticorum, cruces locis iam illuſtrioribus diminutas, quà aduerſariorum iniquitate, quà attritu vetuſtatis, erigendas curauit, pretio quod ſua frugalitate ac parſimonia confecerat.

Ità fabris mandarat negotium, vt maturarent, non proderent autorem. Sed illi cæterorum omnium,quàm ſilentij magis memores, adoleſcentis pietatem euulgarunt.

ANNVS CHRISTI 1607.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 43.

IN PHILIPPINIS inſulis 1
non minus quàm in Europa
viget pietas in Beatiſſimam
Virginem. Aliquando
Sodalibus Reſidentiæ
Tinagonenſis indictâ per
duas vices ſacræ Euchariſtiæ
ſumptione; cùm deinde
operæpretium fuiſſet Patrem Congregationis
ad aliud oppidum migrare, plures Sodales,
ne confeſſione, & communione priuarentur,
Patrem eò loci commorantem conuenerũt,
ſemel per biduum, & aliâ vice per quindecim
dies nauigantes. Quorum exempla, non minus
Indi quàm Hiſpani qui hoc incolunt oppidum,
mirati ſunt. Ex illis quidam, ſummo mane pa- 2

bulo refectus (vir aliàs bonus & pius) non ità multùm in gratijs Deo exhibendis pro tanto munere perſeuerauerat. Vidit eum fortè Pater, ſimulque increpans, quòd tam breues ad Deum preces fudiſſet; Hanc, inquit, iniungo tibi pœnam, vt iterum flexis genibus Deo gratias agas, neque indè ſurgas priuſquam monearis. Ille audiens dicto flectit genua, & perſiſtit in precibus vſque ad veſperam. Pater enim oblitus rei, aliò perrexerat; ſed cùm deinde ſolum in Eccleſia cerneret, preces demiſſis genibus recitantem, Quid inquit, hîc agis? pœnas, ait, do per te mihi iniunctas. Hic hæſit aliquantulum Pater, & admiratus ſingularem Indi obedientiam, extemplò benè illum habitum dimiſit.

3 Dvaci in Belgio, Sodalis admodũ religioſus, quartâ ferè horæ parte ante mortem, iterũ & tertio ſpondam lecti manu pulſauit, quaſi eos qui aderant admoneret imminentis diſceſſus ſui, & cœleſtis, vt credimus, turbæ præſentis. Nam lux ingreſſa cubiculum eò vſque refulſit, quoad à Virgine puella apertè videretur, & ille vultu hilari & iucundo ſpiritum efflaret.

4 Ibidem nobilis Gallus, Sodalitij Parthenij & Rhetoricæ ſtudioſus, apoplexia primùm, inde febri ardentiori vexatus, tentatiſque multis remedijs ad mortem ſe comparare iuſſus, aduocato ſacerdote confeſſus eſt, viatico inſtructus, & ſacrâ Vnctione munitus. Paruo interuallo conuerſus ad Sodales B. Virginis, qui lectum orantes circumſtabant, Quis, inquit, veſtrum pro me Sancti Leonardi ſacellum viſitabit,

bit, & in eo ſacrificium pro ſalute mea facien-dum curabit? Omnes operam ſuam promiſe-runt, primoque diluculo fidem ſoluerunt. Sed ecce vix domum redierant, cùm æger, eos qui curam gerebant, hilari vultu percunctatus: An non vidiſtis virum ſpecie venerabilem, & Pontificijs ornamentis inſignem, tiara gemmea tectum, aureum pedum præferentem, amictū lineâ veſte, ac damaſcenâ? ille me viſitauit, & ſic me affatus: *Eſto bono animo fili mi, Diua Virgo aderit tibi:* deinde mihi benè precatus eſt, ac diſcedens benè ſperare me iuſſit. Quid? res noua admirationem, ſpemq; valetudinis feciſſet, niſi luceſcente die, medici, tactu venæ & reſpirandi difficultate, certa mortis indicia ſe præſentire dixiſſent. Inter ſpem & metum dies exactus eſt: ſed animos à ſpe veſper abduxit. Tunc enim frigidus & impurus ſudor manauit è corpore; nec linguam reducere, vt vel tenuiſſimum liquorem, qui inſtillabatur, trāſmitteret, nec fauces deducere poterat. Cùm in ſingula momenta expiraturus videretur, recitatæ ſunt orationes eæ, quæ pro morientibus recitari conſueuerunt. Monitus interim, vt in extremo certamine opem Virginis, quam ipſe religioſè coluerat, imploraret, meminiſſetque eius imaginem cuius beneficio deſperatis priſtina valetudo fuiſſet reſtituta. Audijt infirmus, & fractâ voce pædagogum vocans, Mitte, inquit, qui accendant votiua lumina ante imaginem Virginis Aſpricollis; nam ſpero mihi affuturam, vt aliquando ei me totum conſecrem. Nec ſpes

Digitized by Google

eius inanis fuit: licet enim res antè meridiem inſequentis diei perfecta non eſt, eò quod imminentis mortis metu nullus exire poſſet; tamen ſimul ac accenſa ſunt antè imaginem lumina, æger ſolutâ linguâ, liberâ voce ſe ſanum exclamauit. Incaluere membra, rediјt temperatus venarum pulſus, qui antea nullus erat, aut pertenuis, ſtupentibuſque medicis ſurrexit è lecto, & ope B. Virginis, ſe priſtinam valetudinem accepiſſe profeſſus eſt.

5 E BRVGENSI Sodalitio quidam licet imbecillo corpore, cuiuſque tamen hebdomadæ Sabbatho, (vt & aliј complures) in honorem B. Virginis, quotidie mane & veſperi quinquies orationem dominicam, & ſalutationē Angelicā brachiјs extenſis, erectiſque recitauit; deinde loris ſe ſuâ ſponte frequenter verberauit, eo ſolùm adductus, quòd tenerrimas quaſdam Virgines id factitaſſe, legiſſet in Diuorum hiſtoriјs quas familiares habebat. Quoties enim conſuetudo fert, vt in conclaue Sodalitatis conueniant, tres è toto numero Sodalium delecti, ac præparati, res pręclarè geſtas illius Sancti, quem illo menſe ſortiti ſunt, per præcipua capita decurrunt.

6 TRAIECTENSES Partheniј maiores & minores, quinto die maioris hebdomadę, vſitato more, ad ſeptem huius vrbis templa longo agmine proceſſerunt, aliј aculeatis flagellis tergum diuerberantes; aliј Chriſti laborum æmuli ferreas laminas graues, & longas, humeris geſtantes; omnes pedibus nudis, ſacciſque horri-

di, & obrigentes frigore. Ad effuſas enim copioſaſque niues, etiam horriferi Aquilonis ſtridor accedebat. Quamuis autem pro more in obeundis ijs templis omnibus, eſſent inter verbera tres horæ ponendæ, & eos penè exanimaret gelu; tamen eos neque vis frigoris, nec cuiuſquam oratio, nec commiſeratio ab inſtituto ſuo reuocare potuerunt.

E BRVXELLENSIBVS Parthenijs, adoleſcens vnus octauo quôque die confiteri, & cœleſti pane ſe recreare conſueuerat. Eidem animam agenti, quam toto vitæ decurſu fuerat veneratione proſequutus, Dei Mater, obtulit ſeſe iucundo veſtita lumine. Vnde ſingulari perfuſus gaudio, protinus exclamauit; Videte ſorores meę glorioſę Virginis pulchritudinē, videte venuſtatem: tum verò fœlicem animam exhalauit. Sorores tam beato fratris exitu commotæ, factæ ſunt etiam pietatis hæredes; laudabilem inierunt conſuetudinem octauo quôque die confeſſione peccata delendi, animique ſacris epulis reficiendi. 7

IN POLONIA, eo tempore quo ſupplicatum fuit Deo à ciuibus omnibus vrbis Poſnanienſis, pro auertenda contagione, mirus emicuit ardor in Parthenica iuuentute; vt dierum aliquot comprecationibus nomine ſuo publicè inſtitutis, plebem reliquam ad diuinam implorandam opem permoueret; vt precibus voluntarias corporis diuerberationes ferijs ſextis adderet; vt ſingulis Dominicis, & feſtis diebus, matutino tempore partem horæ orationi im- 8

penderet, cæteraque mitigandi furoris diuini inſtrumenta alacriter aſſumeret. Quin peregrinationis etiam laborem ad templum B. Virgini dicatum, ſex circiter paſſuum millibus ab vrbe ſepoſitum, libentiſſimis animis ſuſcêpere; eoſque ſummo mane auſpicatos iter, præfulgente vexillo, Virginis Annunciatæ effigie inſigni, eodemque die ſub veſperam, velut agmine longo diſpoſitos redeuntes, feſtiuus ſymphoniæ concentus, & magna populi frequentia, ad Collegij vſque templum deduxit. Votiua poſtmodum ab ijſdem ſacrificia Miſſæ, in varijs templis quâuis hebdomade ſemel, eo fine celebrari procurata; diebuſque vacationum, ne quid hoc obeſſet ſtudijs, ea religionis debita ex animo perſoluta.

9 IN LITHVANIA, puer quidã nobilis ex Parthenio cœtu Collegij Nieſuiſienſis, indole, & ingenio ſingulari, ſua ſponte Catholicus factus; domum vocatus à patre, nullo modo ire voluit: malle ſe dicebat, vbiuis gentium viuere in miſeriâ ſeruum alicuius, quàm ad domum paternam redire, vbi ſciret à Patre, & Prædicãtibus Caluinianis, dolos primùm, deinde apertam vim ſibi paratam, ad deſerendam fidem.

10 INTER Collegij Dolani Parthenios, inuentus eſt, qui quinque continuis diebus pane & aqua ieiunium celebrans, ſimul etiam cilicio corpus affligeret, meditationis exercitatione adiunctâ. Idem genibus flexis, ſpiritualem Gerſonis, vt vocant, lectionem frequentat; idem

pauperes peregrinos conquirit, & excipit hoſpitio; & cæteros egentes non externis tantùm, ſed etiam ſpiritualibus ſubſidijs iuuat. Is cùm ſeriò quendam eſſet adhortatus, vt à graui peccato ſibi familiari deſiſteret, nec ille flecteretur; diutiùs iacuit proſtratus ad pedes eius, multis verbis obſecrans, vt ab hac mente diſcederet. Alius ex numero eorum artificum, qui 11
Conceptæ Virginis Sodalitati adſcripti ſunt, cùm adeò graui & acuto artuum dolore cruciaretur, vt penè ſuccumberet impatientiæ, quòd ardenti ſtudio diuinam miſericordiam implorans, nihil, vt ſibi videbatur, exaudiretur; conuerſus deinde ad B. Virginem, vtque ſe ipſius clientem iuuaret deprecatus, ſubitò ſe ſenſit omni dolore leuatum, cum ingenti animi gaudio, & inſolito pietatis ſenſu erga ipſam Virginem, cui propterea ſpeciale quoddam votum nuncupauit; quod & perſoluit.

NANCEII in Gallia, quæ Parthenia Sodalitas 12
diuiſa in duas, nobilitatis vna, communiũ ciuiũ altera principio fuerat, eam hoc anno iuſtis de cauſis cogi in vnam, operæpretium eſt viſum. Ea de re cum timidius nonnihil deliberaretur, eſſetque de ea relatum ad Illuſtriſſimum Comitem Vademontanum, Sereniſſimi Lotharingiæ Ducis filium, ac Parthenicæ huius Sodalitatis principem; Ecquid verò eſt, inquit, cur de nobis trepidatis? Dei in cauſa, æqua Principum, atque Opificum ratio eſt; neque in cœlo dedecori erit, neque in terris iniqua eſſe poteſt honeſta piorum conſociatio. Itaque ipſemet hu-

ius faciendæ conſociationis magnopere auctor fuit; quam gratulari etiam ſibi viſus eſt, tùm cùm in Sodalium numeroſum cœtum , paucis poſt diebus de more ventitans, Patrē alloquens illum qui Congregationis curam gerit: Etiam alacrius, inquit, nobis in poſterum colenda pietas, nobis Sodalitatis fungendum officium eſt. Secutus huius Illuſtriſſimi Principis exemplum, Illuſtriſſimus Princeps Ioinuillæus, demortui Henrici Guiſæi filius, & ipſe Partheniā hanc Sodalitatem expetijt, & die Conceptæ Virginis ſacro in eam acceptus, in eâ ſe Dei Matris clientelæ ſupplex de formulâ tradidit, magnâ animi voluptate, magno fructu, & verò etiam læta illius diei gloriatione. Ergo hanc familiam magnę Matris, magnæ nobilitatis, magna omnium ordinum copia cohoneſtat: quam & Ioannes Porceletus à Maillane, vir præcipuæ apud omnes authoritatis, pietate, bello, ac litteris clarus, & Reginaldus Gournæus Nanceianus Balliuus, ac Lothareni conſilij Princeps, his ſuperioribus menſibus Præfecti munere gubernarunt.

13 BVRDIGALAE, Baro nobilis repentina oppreſſus ægritudine, inciſâ per vnius noctis ſpatium nouies uenâ, cùm nihil ſolatij caperet, iamque ad extremum periculum veniret; à pio Sodali, qui cum ei familiaritas, monetur, vt imploratâ Virginis Matris ope, conceptis verbis promittat, ſe nomen daturum illius Sodalitio, ſi ſalutem accipiat. Promiſſionem momentò excepit ſanitas. Nec ſine multorum admiratione,

paucis diebus poſt, cœpit ſub Diuæ ſalutaris vexillo militare, ipſe Proregis Vexillifer. Eodem loci, ciuis pudendam ad inopiam dilapſus, etiam incertis penatibus aliquandiu vſus, ægrè tandem liberalitate alienâ gratuitũ tectum habuit. Sed ex beneficio periculum aderat: domus incuriosè habita, ruinam in omnes horas minabatur. Enimuerò calamitoſę familiæ vel illic ſemel pereundum, ne tamdiu periret; vel in publicum erat demigrandum. Gnari eius miſeriæ Sodales nonnulli, non modò domum in qua rerum omniũ inops familia tutò habitaret, ſed alia etiam vitæ ſubſidia, honeſtâ largitione curarunt. 14

TOLOSAE, Sodalium aliquis periculoſâ febri æſtuans, uouit ſe pridie Kalen. Auguſti quo die B. Ignatius è viuis exceſſit, diuinum Chriſti epulum initurum, ſi periculo eriperetur. Mirum dictu! poſt medium horæ quadrantem, omninò conualuit. 15

PETROCHORAE, Medicus conclamatâ iam ſalute, in B. Virgine remedium, fruſtrà in arte humana quæſitum, reperit. Voto quippe de ineunda eius Sodalitate nuncupato, vis morbi omnis poſuit. Is poſtquam inter alumnos Diuæ Matris cooptatus eſt, multa piè aduersũ ægros egit: nominatim hæreticum hominem ſupremis propinquantem induxit in eam mentem, vt eiuratâ perfidiâ, expiatâque conſcientiâ Chriſtianè moreretur. 16

LVGDVNI, nobilis adoleſcens, antequam cooptaretur in Collegium Sodalium, hemicra- 17

nio continenter laborabat; iſque morbus duodecim annis totis eum tenuerat; at octauo poſt initum Sodalitium die, nihil reſidui ſenſit; iam verò commodam capitis valetudinem ſibi gratulatur, & communis parentis Mariæ Virginis
18 precibus acceptam refert. Eſt honeſtus alius adoleſcens, non obſcuro loco natus, qui pecuniam, quæ ſibi à parentibus hæreticis ſubminiſtratur, ad vitam honeſtè, & amplè in ſtudijs traducendam, pauperibus ſcholaſticis erogat, quos è patria vltrò acciuit ad litteras ediſcendas. Ipſe interea operam ſuam locat, puerosque edocet famulari penè miniſterio, qui poſſet otium litterarium cum dignitate tenere. Superiori Autumno, qui fuit hîc grauis, & peſtifer, cùm vnus ex illis ipſius alumnis, vulgari lue, quæ paſſim graſſabatur, diſtineretur; magna eius charitas enituit. Nam ægrotum pertractare, cibos porrigere, ſordes purgare, noctes inſomnes exigere, fuit illi familiare, ac ſolemne. At, quod ſatis mirari non poſſum, vbi facultates, quibus inopiam, & morbum miſelli illius ſuſtentaret, eum defecerunt; ſtipem pro eo inſtar mendiculi rogatoris corrogabat. Nec hîc ſe continuit eius charitas. Cùm ex humanis exceſſiſſet ille, iſte ſemper humanus, & ſui ſimilis, venit in Collegium, linteum aliquod per Dei amorem efflagitaturus, in quod demortuum amici corpus inſueretur.

19 E Billomensi Collegio, ſcholaſticus vnus nouiſſima valetudine tentatus, deſperatuſque à medicis, cùm famulatum B. Virgini in

Digitized by Google

Parthenio Sodalitio, imaginique eiuſdem Virginis, quæ Anicij colitur, peregrinationem vouiſſet, ſingulari miraculo ſanitati reſtitutus eſt.

20 In Germania, maior Ingolſtadienſis Collegij Sodalitas, cùm fœda morbi lues ſuburbanos vexaret pagos, publicam comprecationem inſtituit; nonnullos quoque ab hæreſeos peſte, ad ſanitatem Catholicæ veritatis reuocauit. Vnus quidem centum aureos miſeris, totidem Sodalium cōmuni, abiturus reliquit. 21 Gemini è minore Sodalitio, præſenti ope Dei Matris, reſtituti ſunt. Intumuerat alterius corpus, vt medendi artifices conclamarent: ſed Sodalibus in ſacello ſuo, Virginis auxilium communibus votis ſollicitantibus, tumor illicò cœpit ſubſidere, ægro intra paucos dies ſarto tecto ſurgente. Alter aquâ intercute ſuffuſus, in ipſa deſperatione ſalutis, ſalutem inuênit; cùm eo ipſo tempore in cenſum Sodalium relatus, oleoque ſacro delibutus, poſtridie ſanus ſaluus inceſſit. Tertius, eiuſdem patrocinio, è latronis manibus, iam prehenſus, euaſit. 22

Ex Halensi Collegio quidã Parthenius fatali malo oppreſſus, & à cõtubernalibus admonitus, prouideret ſaluti, videri mortẽ in foribus eſſe; parauit illicò ſe, quâ potuit curâ. Sed vixit interim ad alterã & tertiã hebdomadẽ, tandẽq; quo die viſus eſt meliuſculè valere, totâ familiâ coactâ; Hortati eſtis, inquit, me antè, plus minus dies viginti, vti me ad ęternitatis iter accingerẽ, tanquam è veſtigio moriturus; ſed vt videtis, vixi hactenus, & viuo modò. Enimuerò hâc ipſâ

horâ ad meliorem omninò vitã emigrabo; proinde quamprimùm animi medicum accerſite, & vos immortali Deo,Deique Matri,immortales mecũ iuxta gratias perſoluite, qui me Sodalem ex hac vita tam clementer euocare dignatus eſt. Sacris omnibus procuratis eâdem horâ terram cœlo commutauit.

23 MOGVNTIAE datum adoleſcentibus triſte quidem, ſed tamen ſalubre, ſpretæ Parthenicæ Sodalitatis, ac ſubinde pœnitentiæ exemplum. Adoleſcens magnis à natura dotibus ornatus, dùm abiectâ omni diſciplinâ, præceps in vitia, quibus illa ætas capi ſolet,agitur; vt eſt ferè eorum comes alienì cupiditas,grandi ſe furto alligarat. Hîc, dum tenetur in cuſtodia, quandiu ſpes eum veniæ impetrandæ ſuſtentauit, nihil de animi ſalute ad animum admiſit: at poſtquã comperit,nullum ei relictum locum, tum verò tanto pœnitentiæ ſenſu commoueri cœpit, vt illuſtre omnibus documentum fuerit. Ergò Sacramentis rite expiatâ mente, libros pauperibus tribuere,precibus vacare, aliorũ preces ad Deum & orationes pro ſe expoſcere, lamentis plurimum ſe dedere. Cùm duceretur in oculis effuſæ multitudinis ad ſpectaculũ florentiſſimi, totaque vrbe notiſſimi adoleſcẽtis; coram imagine Virginis Matris, promiſſũ olim ei honorem cultumque multis cum lacrymis inſtaurat. Quo ex tempore, velut in deſertæ prius matris gratiam reſtitutus, tantâ animi æquitate doloreque de anteactâ vitâ, ad ſupplicium properauit, vt perfuſus lacrymis rogaret Deum, vti ſi

is dolor ſatis non eſſet, augeret porrò, & exacueret: in ipſo verò ferali loco, perinde ſe lætitiâ compleri diceret, ac ſi vita ibi ſua minimè ageretur.

E PARTHENIIS Collegij Heiligenſtadienſis, nonnulli, parentes, affineſque ſuos è vitiorum & hæreſum cœno, ad pœnitentiam, & rectam fidem traduxerunt. Vnius etiam ſtudio atque operâ perfectum eſt, vt à Patribus Collegij quinque frequentes ſane vici, quò nec dum aditus patuerat, concionum, & Sacramentorum causâ adirentur. 24

VIENNAE, qui ſunt de minori Congregatione, magno cum externorum hominum ſpirituali gaudio, admiratione, atque exemplo, publicè omnes cum accenſis cereis in feſtis Dei Matris ad ſumendam ſacram Euchariſtiam acceſſerunt. Solemni etiam quadraginta dierum abſtinentia, pijs de Chriſti domini cruciatibus, meditationibus eiſdem in certa puncta diſtributis, animum exercuerunt. Horum ex numero quidam per eos dies, quibus à ſtudijs remitti ſolet, in Hungariam cum hero abierat: vbi cũ diuerſa loca vagus quãdoq; percurreret, in Turcarũ, Tartarorũq; turmam incidit. Hic vbi lõgis appellationib⁹, interrogationibuſq; fatigatus fuit; veſtibus ad nudum vſq; ſpoliatur, femoralibus dumtaxat relictis. Adoleſcens intereà ad D. Virginem cor attollens, orabat, per illud ſtudium, quo ſibi ſemper deſeruire laborabat, dignaretur ſe ex tam manifeſto periculo eripere, atque in priſtinam libertatem aſſerere. Nec 25 26

irritus voti factus eſt. Nam quinquaginta circiter Turcæ Tartaris permixti, concitatis equis fugæ ſubitò ſe commiſerunt; cùm tamen ſiue fugæ, ſiue timoris nulla manifeſta cauſa appareret. Hac ille fortunâ lætus, ſeminudus licet, ad herum, ſine cuius ſcitu & conceſſu de loco tutiore prodierat, ſe recepit.

27 Eodē loci Sodales ijdē ſingulari ſtudio ſectati ſunt cordis & cogitationum munditiem; atque quò facilius integritatis & puritatis donum illibatum integrumque conſeruarent, preces multas ad Deum fuderunt; à cibo & potu, etiam ijs diebus, quibus his licitum eſt vti, ſe continuerunt. Denique, vt vberius diuinorum abundantiam donorum in feſto die Aſſumptæ Virginis perciperent, vnō menſe antè ipſum feſtum, meditationibus alijſque pijs exercitationibus ſe appararunt, ac demum in die Natali Diuæ Matris, formulam eam, quâ ſe ei in perpetuum iam antè deuouerant, repetiuerunt.

28 PRAGAE, in alterius Sodalitatis album Illuſtriſſimus Antonius Caietanus Archiepiſcopus Capuæ, cùm primùm ſedis Apoſtolicæ ad Imperatorem nuntius Pragam appuliſſet, ſuum nomen adſcribere manu ſua dignatus eſt. Quod etiam fecit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pragenſis. Eadem Sodalitas egenorum humandis corporibus, ſumptum & operam præſtitit: quod hoc anno peſte graſſante neceſſarium valdè

29 fuit. In eâ ipsâ Baro illuſtris eximium demiſſionis documentum dedit, quando adhibitis etiam filijs ad idem officij, pedes pauperum lauit, ac

dato epulo cui ipſe ac filij miniſtrabant, cũ largâ ſtipe eoſdẽ dimiſit, magno pauperũ ſolatio ſodalium verò atque ſpectantium ædificatione.

30 GENVAE in Italia, Præfecti Sodalitatis Partheniæ inprimis, datâ occaſione, animi ſe prodidit demiſſio ſingularis. Recuſabat obfirmatus animo Sodalis, leuem pœnam ex culpa impoſitam, perſoluere: ad huius pedes exoſculandos prouolutus Præfectus, & eius elatos fregit animos, & omnes in tantæ virtutis admirationem excitauit. Pari laude dignus nobiliſſimus adoleſcens, qui per ſummum contemptum calce petitus, licet iniuriam repẽdere facile poſſet, ab æquitate tamen animi ſingulari, ne verbo quidem iniuriam perſequi voluit. Omnes cæteri ſummo ſtudio virtutem colunt.

31 PLACENTIAE, ex Congregatione mercatorum quidam tribus morbo amiſſis filijs, pro quarto vix animam trahente ad B. Ignatium auxilij gratiâ confugit. Hunc dùm orat, tantâ cor ſuum ſpe & fiducia affuturæ filio ſalutis roborari & confirmari ſenſit; vt contrà medicorum opinionem pueri obitum prædicentium; recuperaturum eum valetudinem certò crederet. Veritatem rei euentus comprobauit.

32 HISPALI in Hiſpania Bætica, Annunciatæ Præfectus, cùm reſciſſet viculi colonos proprio Parocho hebdomada maiori deſtitutos, eò ſe contulit; vicinos omnes abſolutione, & Chriſti corpore recreauit; eoſque ad virtutem hortatus, domum redijt; nihil propterea lucratus, niſi Dei gloriam, in quam huiuſmodi ope-

ra ſolent à Sodalibus referri. Eiſdem præterea referri debent accepta doctrinæ Chriſtianæ agmina, quæ hoc anno bis Hiſpali, ter Trianæ (is vicus eſt ingens Bethi amne diuiſus, rurſuſque ponte Hiſpali coniunctus) parochi, ſingulis ex Eccleſijs ſibi demandatis, exemplo & vtilitate reipublicæ, deduxerunt.

33 In eodem regno, Cordubenſes Parthenij ſingulis diebus feſtis, per plateas, & vicos excurrunt, baiulos & errones cogunt in templum, audito ſacro, breui conciunculâ ad confeſſionẽ inflammant. Interdum eos in templum Collegij inſtructo agmine deducunt, confeſſoſque & Euchariſtia refectos, in valetudinariũ aliquod
34 reducunt. Eo tempore quo fruges in horrea conduntur; ipſi quoque ſuam, ſeu potius pauperum, meſſem facere conſueuerunt; oſtiatim enim per vrbem, ac vrbi finitima oppida, magnam frumenti vim colligunt, quâ mulierum illarum, quæ è turpi vitâ reuocatæ in pia domo, quam Recollectarum ideò vocant, clauſæ, Deo ſeruiunt, inopiam & egeſtatem leuant; reditũque intercludunt, quo minus ad vetus vitæ inſtitutum reuertantur. Excurrunt etiam Apoſtolicâ æmulatione in totius diœceſis oppida, pedeſtres, valetudinarijs vtentes pro hoſpitio, chameunijs pro tecto, pro lautis cibis victu paupere & parco; concionatorum & confeſſariorũ partes egregiè ſuſtinent; confertaque hominum agmina conuocant ad doctrinam Chriſtianam publicè decantandam. Pro hiſce tamen omnibus, tantùm abeſt, vt mercedem, & ſtipendium

ab oppidanis exigant, vt ipſi potius eleemoſynas non paucas egentibus impertiant.

GRANATAE coactum eſt identidem in anno agmen, tum adoleſcentium ſcholaſticorum, tum eorum maxime, qui duabus Sodalitatibus adſcripti ſunt; qui ſummam fidei, cæteraque religionis Chriſtianæ pręcepta, tantâ pietate per vias publicas decantant, vt eo acroamate & actione, mirentur pariter, & excitentur cæteri, non vulgares ſolùm, ſed etiam optimates. Porrò eò pietatis proceſſerunt Sodales, vt valetudinaria & carceres frequentare, pacificare diſcordes, reliquaque Congregationis ſtatuta diligẽtiſſimè ſeruare, vulgaris laus videatur. Illa tamen, vt ſingularis, prętermitti non debet, Sodales duos de ſua bonam pecuniæ partem detraxiſſe, & in Collegium hoc anno à ciuibus inſtitutum, ad pauperes & honeſtas virgines alendas libẽtiſſimè cõtuliſſe. Incumbunt præterea toto pectore, ad vrbis ſentinam exhauriendam; hoc eſt, diebus feſtis ad lupanar ſe conferunt, vbi ad multam noctem pijs inter ſe colloquijs, ſanctorum librorum lectioni, & precationibus vacant, magnâ hominum vtilitate. Nam præterquam quòd multis impedimento ſunt, quo minus prauas libidines expleant, ex ipſis etiam mulierculis decem è cœno illo extraxerunt, & coniugatas quidem maritis, ſolutas verò matrimonio, vel pio loco addixerunt. Atque vt melius & commodius ipſi pias exercitationes caperent, ad proſtibuli ianuam ſanctiſſimum Crucis lignum ſolemni dedicatione,

35

36

ſuaui ſymphoniæ ac vocum harmoniâ, funalibus quamplurimis accenſis, in decente loco defixerunt; & quò meliori auſpicio res fieret, totam dedicationis veſperam, ſequentemque noctem continuâ precatione traduxerunt. Spectaculum, bonis quidem certè iucundiſſimum, qui impuriſſimam haram in puriſſimam aram, execrationem in ſacrarium conuerſam, oculis vſurpabant; impuris verò aptiſſimum frænum, quo à fœdis conatibus retracti non pauci fuere. Feſtinabat inter alios libidine furens, animique impotens miles glorioſus; hic cùm à Sodalibus ſemel, & iterum diſſuaderetur, iracundiâ percitus tumultuari, & clamare cœpit; accurrit illicò quiritationi militum turba, eodem libidinis œſtro correpta; tum vnus, qui in proteruitate & audaciâ principatum gerere videbatur, iurare, ac mortem omnibus minitari cœpit, qui ſibi ac Socijs ad peccandum aditum obſtruerent. Adhæc turbatus aliquantulùm puſillus grex, ſed Dei auxilio non deſtitutus, in genua procumbit antè crucem; & Dominum, vt exurgat, & iudicet cauſam ſuam, precatur. Nec vana ſpes; nam glorioſus miles, qui primus huic tumultui dederat occaſionem, attonitus Sodalium charitate, abiecto priori conſilio, Deo militare incœptauit, qui bellum Deo illaturus aduenerat: & pallium vmbonis inſtar ſiniſtro brachio circumdans, dextrâ gladium ſtringens, viam reliquorum libidinibus interclusit; offenſarumque Dei propulſator eſt factus, qui antè fuerat prouocator. Verùm neque his

his contenti Sodales, precio etiam iniurias in Deum redimere tentarunt. Illo namque die qui Sanctę peccatrici ſacer eſt, eam pecunię vim eiuſmodi mulierculis contulerunt, quam ipſæ turpi munere lucrari poſſent, dummodò illo die ſe prorſus à libidinibus abſtinerent. Deo laus, qui tantam erga miſeras perſonas, ſeruorum ſuorum animis iniecit charitatem miſericordiamque.

ANNVS CHRISTI 1608.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 44.

IN HISPANIA Bætica, Sodalitas Collegij Frexenalenſis ſenſit hoc anno opem præſentem aliquoties à patrocinio Virginis profectam. Adoleſcẽs nobilis, mulierculæ prouocatus illecebris, hac ſolâ vicit recordatione, Sodalis ſum B. Virginis, ſi non eſt mundus qui non viuit vt mundus, nec profectò Sodalis eſt qui non viuit, agit, loquitur vt Virgi- 1

nis immaculatæ Sodalis, caſtè ſcilicet & purè. atque illo tanquam impenetrabili ſcuto, tela
2 omnia cupidinis repreſſit. Alteri pugna erat anceps, multùmque dubia cum animo ſuo, daretne Congregationi nomen, & malè agendi conſuetudinem ablegaret à ſe; an contrà trahi ſe vinctum, captumque peccandi conſuetudine pateretur, & nihil in poſterum de Congregatione cogitaret. Vicit, vt eſt procliuis imbecillitas hominum, pars deterior; poſthabito Virginis Sodalitio, negauit ſe iuramentis ſolitis, vitæ prioris moribus abſtinere poſſe. Sed quæ Dei eſt, Virginiſque clementia, nocte cùm anguſtijs premeretur malæ conſcientiæ, ipſa miſericordiæ Mater per viſum ſe ei obiecit, matrona majeſtate grauis, voce etiam aliâ quâ ſolent homines; *Et quid agis tu?* (inquit) *quid ego hoc de te merui, vt Sodalitas tibi iaceat contempta? & libidinem potius tuam, quàm virtutem ſequaris.* Nec verbum addidit vltrà, nec opus fuit. Turbatus vt erat homo, monitis, & cœli voluntate tam certâ, omnia poſtridie conſilia mutauit. Vt primùm potuit, orto ſtatim die Patrem euocauit qui Sodalitatem regebat; non erat verbis opus, perturbatio ipſa inſolita, & metus adhuc in vultu, & in oculis inſidens, facilè loquebantur. Statim re narratâ, ipſo eo die in Congregationem Virginis eſt adlectus: nunc in ea verſatur magno animi ſui gaudio, & præcipuus inter eos qui raris exemplis enitent, quique virtutem omnem, pietatemque ardenti ſtudio ſequuntur.

3 In Domo Profeſſa Hiſpalenſi, quarta

Congregatio hoc anno inſtituta fuit, de qua hic pauca perſtringenda. Magna erat in Hiſpalenſi iudiciorum foro rerum perturbatio, ſimul & multorum querela, propterea quod nonnulli ex iuſtitiæ Miniſtris, non adeò rectè, nec vt æquitas poſtulabat, ſe gererent in ſuis adminiſtrandis officijs, vnde fiebat, vt hoc genus hominum apud multos non benè audiret, imò exoſum haberent plerique. Deus optim. maxim. ergò, eam iniecit vni è Societate Ieſu mentem, vt de Sodalitate ex illo hominum genere cogendâ cogitaret, imò & ageret. Difficilis omninò, & inacceſſa prouincia viſa eſt hæc initio; ſed diuinâ gratiâ factum eſt, vt primũ victus vnus, & alter, illi ſenſim ſine ſenſu vicerint cæteros, atque adeò breui tempore iuſto conſcripti numero, vltrò ipſi de Sodalitio inſtituendo, & Pontificis auctoritate firmando, atque indulgentijs Roma petendis agere inſtituerent. Acceſſere quãplures ad numerũ, & enũciare pœnitẽtiæ Sacramẽto lapſi tẽporis peccata cœperũt, res ſuas vitamque componere, nomen animoſque Sodalitio lubentes dare. Denique tantis incrementis cùm aucta res eſſet, de nomine & Præfecto Cõgregationis eligendo actum eſt: leges Congregationi propoſitæ, & ſummo omnium applauſu approbatæ. Fructus verò qui ex huiuſmodi fonte ad commune bonum, ſalutemque publicam emanarunt, illi ſunt præcipuè notati. Magna in forenſi Iudicio & maniſeſta mutatio, occluſus auaritiæ aditus, iniquitatis irritamenta munera in vniuerſum ſublata, facillimo negotio 4

omnia expediuntur, & quæ æternæ erant aliàs futuræ lites, die iam ſæpè forenſi vno, & altero, finitæ. Fuere qui pecuniam ingēti precio oblatam reiecere; vnus aureos nummos quadringentos, ſolâ mercede iuſtâ & ordinariâ contentus. Conſtitutum eſt quoque, vt è Sodalibus vnus, omni die forenſi cauſam pauperum agat. Multis ea res ſolatio eſt; liberantur enim è vinculis non pauci gratis omninò. Vnius nuper pauperculi cùm eſſet aliqua difficilior cauſa, vt niſi pecuniâ numeratâ parti, exire non poſſet; cauſidicus ipſe de ſuo ære pretium dedit, & hominem è carceribus liberum ire iuſſit. Deni-

5 que mirantur boni omnes magnam rerum mutationem; mali contrà multis modis oblatrant, atque detrectant. Sed vltor aliquorum Deus eſt. Nuper cùm vnus inſolentius dixiſſet in Cōgregationem, multoſque Sodales turbaſſet; quaſi vaticinio elocutus fuiſſet Pater, qui Sodalitium dirigit; Sanè (ait) infelicem huius hominis exitum è vita, valdè vereor. Adfuit repentè verbis fides; ſubitò infirmatus obijt, nihil tale ipſe cogitans, nullum vt remedium ſaluti animæ tempeſtiuè potuerit adhiberi.

6 MANTVAE in Italia, quidam publicè à coœtaneo adoleſcente tam verbis contumelioſis, quàm minis illiberaliter exceptus, non modò ad inſanientis petulantiam commotus non eſt, verum etiam eâdem horâ confeſſario adito, exomologeſi prius, mox cœleſtis panis ſūptione ad grauiora perferenda ſeſe communijt. Profuit quibuſdā ſua in B. Ignatium, & in B. Aloy-

ſium Gonzagam pietas & religio: vnus enim quartanâ, alter longâ ac diuturnâ febre liberati, hic B. Aloyſij, ille B. Ignatij precibus.

BONONIAE, quidam ex eo Sodalitio, cui à sereniſſimis Ieſu & Mariæ nominibus nomen eſt, quadam die adijt Patrem, qui præerat Sodalitio. Rogat, vt ſibi peculiaribus à Deo ſtimulis incitato, conſilium, opemque ferat ad inſignem vitæ mutationem, hæc identidem repetens: Ecquis ſcit, an mihi paulò poſt ſubito ac repentino mortis genere ſit obeundum. Veram eam eſſe diuini ſpiritus motionem indicabant lacrymæ, feruor, & verba ipſa, quibus illa dicebantur. Pater collaudatâ piâ voluntate, peculiaria homini præſcribit pietatis exercitamẽta: præcipuè vt frequentius confiteatur, & ſingulis feſtis diebus ad ſacram ſynaxim accedat. Paret ille diligentiſſimè monitis ad duos menſes circiter: ad quorum finem, cùm quodam die feſto, mane, incolumis exiſſet è domo, ſacro interfuit, communicauit, concionem adijt, peregrinorum viſitato hoſpitali liberales ſingulis eleemoſynas diſtribuit. Mox pranſurus domum redijt; ſed ecce tibi, conſcenſis ſcalis, antè ianuam concidit. Sedet in eâ, quæ prima occurrit, ſede, & in inuocatione nominum Ieſu & Mariæ, animum ſuo reddit Creatori. Mouit res, vt par fuit, non parum Sodalium animos, & ad perſeuerantiã incitauit; quippe qui apertè viderunt ijs ſe ſeruire, qui clientes ſuos ex hac vitâ imparatos decedere non patiantur. 7

8 In Belgio, è Gandenſi Sodalitate vnus graui confectus ægritudine, etiam macie, coloreque penè exanguis, vt mœſtos medicorum iudicio parentes vidit, fretus Patronæ ſuæ fiducia, Bono eſte animo, inquit, parentes mei: Si curare medici non poſſunt, num etiam B. Virgo non poterit? quo extemporali filij ſui dicto ſtupefacti iuxtà & erecti parentes, in proximum pagum, vbi ſculpta è ligno Aſpricolli, nota miraculis, imago colebatur, eum, duobus è Collegio Patribus comitantibus, deducunt. Hîc exomologeſi ſimul, & Synaxi recreatus, regredi ad bonam valetudinem cœpit; quâ integrè recuperatâ, teſtes accepti beneficij feſtos verſus, panegyroſque aræ ſalutari conſecrauit. Quod æmulati eorundem ſtudiorum riuales, die præſtituto eum comitantes, ſua ibidem poëmata iuêre dedicatum.

9 Brvgis verò, funebris pompa quâ Mariani vnum extulere conſodalem, placido pietatis affectu, non modò condiſcipulorum, ſed etiam ciuium animos permulſit. Antecedebant funus, qui vexilla & imagines B. Matris deferebant. Chorus Muſicorũ ſequebatur, pſalmos modulantium: deinde cætera Sodalium turba ordine ſuo. Defuncti corpus ab adoleſcentibus Angelico habitu conueſtitis ſuccollabatur. Dixiſſes non funus duci, ſed triumphum agi.

10 De Partheniis qui Sodalitio Brunenſi dedêre nomina, dubitari poſſet, maioreſne in litteris, an pietate progreſſ⁹ fecerint. Fuit nonnemo, qui preces veſpertinas, in tẽplo

perſoluens, atque illud Virgineum melos, Magnificat, inquam, ſecum occinens, tàm ardenti ſuccenſus eſt in diuinum numen flammâ, vt nō ante quieuerit, quàm in ſola nemora recederet: vbi continens omninò biduum citra vllum potus cibique vſum traduxit; ſola piarum precum, meditationum, & cœleſtis gratiæ dulcedine ſuſtentatus.

OLOMVCENSIS Collegij Sodales, etiam iuniores, cùm reliquo tempore, tùm pręcipuè Chriſti ſupplicijs dicato, ſeipſos publicè generoſa ſui victoria cæciderunt: inter quos fuerunt paruuli Nobiliū & Baronum illuſtriſſimorum filij. Addidit & hoc Sodalitas Aſſumptę Virginis, vt Quadrageſimæ diebus ſingulis, in oratorio ſuo Patrem de Chriſti cruciatibus verba facientem, ſemihoræ ſpatio audiret; die verò Cœnæ Domini lautum epulum & pecuniarum inſuper ſubſidium præberet 13. ſtudioſis egentibus: quibus & pedes abluerunt, & accumbentibus reliqua miniſtrorum officia magno ſenſu pietatis exhibuerunt, Præfectus ipſe, cum nobiliſſimis aliquot adoleſcentibus Baronibus. 11

HILDESII Sacerdos prouecta ætate, Principis in ſpiritualibus adminiſter, grauiſſimos ſuſtinens capitis dolores, poſt omnia remedia, fruſtrà etiam ſectiones adhibitas, diuina iam cogitans, in Sodalitatem B. Virginis admitti poſtulauit; cùmque Præfectum Canonicum eâ cauſâ adijſſet, & iam vt maturaret propoſitum, generalem exomologeſim totius vitæ compleſ- 12

ſet; ſubitò omnis dolor nullis reliquijs manentibus euanuit, magna omnium admiratione. Ille verò gratus B. Virgini, tùm reliquis virtutibus, tũ liberalitate in ſtudioſos eſt profuſa; vt affirmet, amicos, ſe mortuo, nihil niſi quaſdã imagines pietatis accendendæ cauſâ reperturos.

13 Nec tacenda adoleſcentis Sodalis pietas, qui cùm malè veſtitus, inopemque vitam agens, adduci nõ poſſet, vt in ſumma frigoris aſperitate quicquam de conſueta ſtudendi, orandique aſſiduitate remitteret, morbum lethalem adſciuit. Sæpè ſenſibus deſtitutus, cùm Sacramentis eſſet muniẽdus, ſe magno eorum deſiderio teneri indicauit; ad nomen Ieſu & Mariæ auribus inclamatum, magno pietatis ſenſu leuare manus, oculos attollere, vultu gaudiũ præferre, cũ antè verbũ effari non poſſet. Iam verò moriturus, totum ſymbolum diſtincta voce recitauit, ſæpiuſque illa verba, *Natus ex Maria Virgine*; cùmque extremo halitu, verba Ieſu & Marię exprimere conniteretur, animam Deo reddidit.

14 E SODALITIO Fuldenſi, Chirurgus Parthenius aſſeuerare non dubitat, plurimos ſe ſonticos, & ignoratos morbos, aquâ benedictâ medicamentis admiſtâ curaſſe. Idem aucupio vitam tolerans, vbi retia, plagaſq; ſuas vidit incantatas, retibus eiuſdem liquoris aſpergine luſtratis, maleficium ſoluit. Sunt autem in hac vrbe Parthenij nobiles tam accenſis in pietatem & miſericordiam animis, vt veſte, calceis, alijſque ſpolijs ad vſus pauperum vndiq;

Digitized by Google

conquiſitis & expurgatis, benignè faciant inde
egenis. Ijdem foras ad Noſocomia , & ſacella
hoſpitalium prodiere, vt à pædore, ac ſitu ea
loca repurgarent , templiſque ſuum honorem
& vſum reſtituerent. Fuit etiam mors in deſide- 15
rio duorum præſtanti virtute , ac religione ci-
uium Sodalium; ex quibus vnus olim ab hæreſi
ad fidem orthodoxam adductus, integerrimi
Chriſtiani officiũ iam inde vſque præclarè ſuſti-
nuit; pro religione cęſus, tres liberos libẽs vo-
lẽſq; religioni conſecrauit; pauperũ & lepro-
ſorum curâ infatigabili ſemper ità vegetus, vt
horum commodis ſæpè rem ſuam familiarem
poſthaberet. Itaque cùm ſtipem illis magnam
haud raro confecit, tùm domus à fundamentis
inchoandæ & reſtaurandæ eius auctor fuit, quæ
apud Fuldã amnẽ leproſis habitata, à S. Catha-
rina nomen gerit. Elatus eſt honeſtiſſimo fune-
re ab ipſa Sodalitate, defletus vt pater paupe-
rum, & antiqui moris exemplum. Alter huic 16
penè religione, & virtute geminus, qui auro fa-
ciundo victitans, horas canonicas vir coniuga-
tus exſoluebat, officijs diuinis, cantui, alijſque
templorum functionibus ceu ſacerdos quidam
aſſiduus intererat. Ambo totius ciuitatis præ-
conio tanquam optimi ciues, & germani Soda-
les, viui mortuique celebrati.

LANDSPERGAE in Germania, vir facilè prin- 17
ceps ciuitatis, natu grandis & conſularis, in cre-
atione Pręfecti, præſentibus primarijs ciuibus,
multis cum lacrymis, & copioſâ vehementique
oratione, in cœtum Parthenium admitti poſtu-

Digitized by Google

lauit; quæ res non mediocrem Sodalitati exiſtimationem peperit. In ſupplicatione Paraſceues, hoc memorabile; hominem à Catholica doctrina alienum, cùm in ſe tam acriter flagris ſæuire nonnullos cerneret, adeò fuiſſe eo ſpectaculo motum, vt vltrò diceret: Vos quidem rectè videmini intelligere, ac ſeriò perpendere illam Chriſti ſententiam, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; nos verò nihil agimus, quod vel aliquod pietatis, aut religionis veſtigium oſtendat.

18 Avscis in Aquitania, vnius è maiori Sodalitio pater, ex morbo repentino tantùm non agebat animam: accurrit pius filius ad Sacerdotem Collegij euocandum, qui ſaltem moribundum patrem à culparum ſuarum vinculis exolutum, in æternam libertatem emitteret. Feſtinus aduolat Sacerdos, & ægro de tota vita confitenti aures præbet. Filius interim, licet à medicis conclamatum eſſet, non priùs domum reuertit, quàm ſpei plenus de viâ deflecteret ad proximum templum, vbi prouolutus in genua, cœleſtem medicum adhibens, ritè concepto pro ſalute patris voto, B. Virgini Garazoniæ ſe peregrinum vouet: & confeſtim quaſi de Patronæ ſuæ præſidio ſecurus, exurgens patrem reuiſit, quem ſanum ac valentem, ac cum Sacerdote, impetratum erga ſe Dei beneficium cum gratijs extollentem, offendit. Idemque voti reus, quò ſe illo piè quamprimùm exolueret, poſtridie viam aggreſſus eſt.

19 Bizvntii in Gallia Lugdunenſi, feriâ

quintâ in Cœna Domini, quo tempore ſepul-
chri Dominici memoria religioſè pièque coli-
tur, Sodales nouo genere ſupplicationis, om-
nium in ſe oculos menteſque conuerterunt.
Bini proceſſerunt ordine bene longo, ſine fu-
nalibus, ſine cantu, nullo vexillo præeunte, nul-
lâ mutatione veſtium, ſolâ modeſtiâ, ſilentio,
ordine contenti. Atque itâ capitibus apertis ta-
citi apud ſe preces funditantes, præcipua ciui-
tatis templa obiere. Neſcio quo pacto fieri ſo- 20
let, vt ipſa quandoque nuda, & minimè fucata
ſimplicitas delectet magis, quàm pompa. Certè
res & admirationem, & ſtudium imitandi exci-
tauit. Nimirum intellectum eſt, quâ religione,
quâue ſignificatione pietatis adiri ab omnibus
ſepulchra deberent. Ad oratorium reuerſi, poſt
preces fuſas, & auditam adhortationem, paupe-
ribus ritu ſolemni, nobiliſſimi quique pedes
lauere. Sed ecce aliud eorum pietatis argu- 21
mentum. Cùm Societatis Patres, imaginem ex
quercu Sichemienſi, in qua olim affixa B. Virgi-
nis effigies, cum Indulgentijs nacti fuiſſent; eam
Sodales ferculo incluſam, ſericâ veſte, auro gẽ-
miſque diſtinctâ, inſtitutâ ſupplicatione cele-
bri, feſto apparatu, publicâ penè vrbis lætitiâ,
in templum Collegij intulerunt. Hanc Sodaliũ
ſupplicationẽ Patres Minimi cohoneſtare volu-
erunt; & in primis Reuerẽdiſſimus Corinthiorũ
Archiepiſcopus, Sodalis & ipſe, qui eã infulatus
in altari collocauit, & de Virginis Sichemiẽſis
laudibus concionem habuit. Iã verò, ne diſce- 22
dã ab his Parthenijs, vinitor apprimè pius, diſ-

ficili morbo iam inde ab annis quindecim tenebatur: maleficium potius, quàm vſitatum aliquod morbi genus fuiſſe dixeris. Nam primò, zona veluti cingens vmbilicum, malignus humor, adeò tenaciter parti illi adhæreſcebat, nullis vt vnquam fomentis diſſolui potuerit; poſteà ſerpens humor reliquum corpus occupauit, fractis omninò viribus, quod in homine id ætatis (accedit enim ad quadrageſimum) in opifice, & ad laborem nato, moleſtiſſimum videbatur, maximè cũ nec morbi cauſa, nec remediũ appareret. Accedebat fętor intolerabilis, quo, ſiue auras acciperet, ſiue redderet, ſiue cibũ qualẽcũque ſumeret cum incredibili nauſeâ, perfundebatur. Tentarat vias omnes; ſed fruſtrà. Itaque maiorem vim adire conſtituit. Hîc opportunè admodum, dum de votiuâ neſcio quâ peregrinatione cogitaret, incidit in Parthenium, quo familiariùs vtebatur, & conſilium aperit. Verùm, Quin tu, inquit ille, omiſſa longiori peregrinatione, templum adis Patrum Societatis, ibique antè Virginis imaginem prouolutus, communem parentem inuocas? vix hæc finierat, cũ æger velut ex grauiore ſomno expergefactus, lucem intueri cœpit, ſperare ſanitatẽ, eãque vehementius intra ſe expoſcere. Res mira: vel ex eo puncto temporis ſentit beneficium, lãguore plurimũ imminuto. Sed inclinabat dies in veſperum. Ergò domum redit, vxori rẽ aperit, certus luce poſterâ, & Sichemium, & Virginem Aſpricollem in icuncula templi inuiſere, inuenire. Primo mane memor ſalutis, voti non

immemor, venit ad templum vnà cum coniuge. Verùm quia occluſis adhuc foribus negabatur aditus, atque ad ſua negotia extra vrbem neceſſariò vocabatur, ſtans in limine, Virginem ſalutat, ſalutarem opem expoſcens, vxorique mandat, vti ſuo nomine genibus antè imaginem obuoluta, pacem, & abſolutam incolumitatem imploret. Paret vxor, duplicique voto, & mariti, & ſuo, ſupplex imaginem adorans, Chriſti parentem ſollicitat. Interim uinitor cliens Virginis, ſuas res agit, neque in medio negotio negotium ſalutis, aut Patronæ memoriam deponit. Mirum dictu. Languor omnis, & fœtor omnis abſcedit; redit ille ſub veſperam viribus integris, plena ſalute, nullo vel minimo ſenſu doloris, in eoque ſtatu iam ſex ipſos menſes lætus & incolumis perſeuerat. Addam hîc finem beatiſſimum Sodalis cuiuſdam ſenis propè centenarij. Vir erat vt acer in rebus gerendis, 23
ità pietate feruens. Is cùm mortis tempus imminere ſenſit, Patrem, quo vtebatur à confeſſionibus ad ſe vocat, factaque exomologeſi, & inſolito quodam exultans gaudio, ruit in amplexus Sacerdotis, identidem hæc ingeminans: Deo ſit laus, mutuis fruemur aliquando in cœlo amplexibus: repoſita hæc ſpes eſt in ſinu meo. Erat tum dies D. Iacobo Apoſtolo ſacer, cunctiſque peropportunum videbatur, vt ſacro viatico muniretur; quod ille licet non probaret modò, ſed etiam vehementer optaret, quia tamen B. Annam D. Virginis parentem, præcipua ſemper religione coluerat, rem differri iu-

Digitized by Google

bet in craſtinum. Qui dies vbi illuxit; vix hęrēs oſſibus, duce famulo, adminiculante ſcipione, in Collègij templum perreptauit, ibique cœleſti pabulo recreatus, domum hilaris, & iam ad moriendum paratus, reuertitur. Sed non leue pietatis argumentum boni ſenis poſtrema voluntas. Iubet quas in ſortitione ſanctorũ ſententias acceperat, bene aſſeruatas, & in vnum faſcem colligatas, ſibi adferri, & præterea roſarium, quo frequentius vtebatur; hoc manibus implicatũ ſecum vnâ condi loculo, illas ſudario aſſutas comites ſepulchri eſſe imperat; vt quos habuerat in vita Patronos, eoſdem in morte & defenſores agnoſceret, & amicos experiretur.

24 DOLAE, quidam ex opificum cœtu Parthenius, cùm Februarij menſis die quodam mane, velut futura præſagiens, vt ipſemet poſtmodum referebat, ſeſe Beatiſſimæ Virgini & Patronæ, peculiari illâ oratiunculâ, *Sub tuum præſidium, &c.* commendaſſet attentius; ecce tibi eodem die, dum Sacerdotis hoſpitis gratiâ, per lapideos ſcalarum gradus decurrit ardentius, ſummus gradus cæteris amplior, vi diſruptus frigoris, quod hoc anno per eos dies fuit maximum, ſub pedibus fatiſcit, & in geminas ſoluitur partes: ipſe verò inter ambas portiones corruentes medius, in inferius pauimentum decidit illæſus; eâ procul dubio Virgine protegẽte, ſub cuius præſidium, eo ipſo die prima luce confugerat.

25 E SODALITIO Collegij Camberienſis Cauſidicus vnus annum penè totum obire Cõ-

gregationis conuentus prætermiſerat,hac duntaxat religione contentus, vt quotidiè B.Virginem ſtatâ prece veneraretur. Ergò nocte quieſcenti repentè ſpecies eſt obiecta Deiparæ, multo lumine circumfuſæ, quæ fouere blanditijs cæteram Sodalium multitudinem videretur, ſeipſum autem præ pudore cunctantem auerſaretur. Vicit tandem ſtudium adeundæ Virginis, à quâ benignè in ſpem futuræ probitatis acceptus, non diu diſtulit, quin ad Sodalitatem frequenter ſe referret, eſtque cum primis bono Sodalibus virtutis exemplo. Deteriùs 26
cum alio actum item Aduocato, qui liberioris vitæ curioſus, ipſam cœpit in poſtremis habere Congregationem. Ea de re interpellatus ab æqualibus,ſe nolle tot oculis obſeruari,reſpondit; ac vereri reprehenſiones, ſicubi ab officio deflecteret. Meritò igitur, quod illi contigit, diuinæ tributum eſt animaduerſioni.Nam cùm agnouiſſet riualem ſuum ſub horam primam noctis inde ſe recipere, quò ſibi ſoli volebat aditum patere, ſeque à muliere præ illo deſpici;redeunti ſine ſocio parat inſidias, ac vix initâ rixâ, cùm ipſe ac ſocij fugantur, exterriti, tanquam à plurimis premerentur; denique cùm fugeret, exertum, atque in ſe obuerſum quatiens pugionem, in ipſummet corruit, ſibique in pectus infigit. Quo grauatus vulnere, tandem reflexit oculos ad Sodalitatem, eiuſque ſe precibus enixè commendans, delicti veniam petijt, ſeque fore deinceps in officio ſuo conſtantiorem promiſit, ſi vita diuturnior conce-

deretur.

27 E SODALITIO Collegij Diuionenſis, adoleſcens quidam, Deiparæ cultui addictiſſimus, cùm aliquandò ſibi conſcius eſſet culpæ, quæ animum ſurdo verbere pulſaret, in ſomnis viſus eſt ſibi à turba cacodæmonum compreheƞdi ob eam culpam, vt raperetur ad Tartarum, cuius ſe dignum agnoſceret. Adfuturam tamen cùm ſperaret benignam Patronam, eiuſque opem imploraret, B. Virgo præſtò adfuit, ſuum clientem eſſe aſſeruit, cacodæmones abegit, ſeueréque monuit adoleſcentem, abſtineret penitùs eo genere peccati, ſi ſe vellet habere propitiam. Hoc viſo dilapſo, ſomno ſolutus eſt, multo ſudore madidus, horrore plenus; moxque proſiliens è lecto ad confeſſionem ſe contulit, ac multis deinceps diebus non deſtitit Deiparæ beneficium prædicare, ad eius cultum ſibi animos addere, eius monita ſedulò curare.

28 BVRDIGALAE, in maiori Sodalitate Parthenia, centumuiralis Curiæ Patres Conſcripti Sodalitatis Præfecturam, hoc anno ceperunt; & continenter ex eorum numero quatuor illũ Magiſtratum cum eximia laude, virtutiſque teſtimonio, geſſere. Eorum vnus pijs commentationibus intra Collegij parietes excultus eſt; alterius vxor, cùm propinqua partui periclitari cœpiſſet, ſi fœliciter fœtum in lucem ederet, vouit argenteam ſe Crucem Sodalitati donaturam: infantem enixa, ſimul ſeſe uoti religione quam primùm exoluit.

E MOLI-

E MOLINENSI Collegio, quidam optimæ frugis adoleſcens, in cholicam inciderat tam immanem ac crudelem, vt inuſitata vis morbi videretur. Iam per plures dies ad conſtitutum redierat, & à prima vigilia torquere incipiens, ad primam vſque diem ſine reſpiratione vexabat. Nihil iam reliquum ſenſus, niſi quod ad tanti doloris ſenſum ſatis erat, & diuinæ Matris inuocationem. Audijt Sodalis ſui calamitatem, Parthenius alter, pro legibus Sodalitij ſtatuit opem ferre; adeſt igitur cùm res poſtulat, cùm erumpere malum debet, & inſtaurare carnificinam; & iam reſentiebantur velitantes quædam pœnæ, iam horror cruciatus, patientis vultum efferabat; haud ſegnius dat ſe in genua ſuppetiator ille Sodalis, & communem matrem ardentiſſimis votis implorat. Tùm è veſtigio mutata eius facies; non iam ęger gemere, ſed ridere, & defixis in cœlum obtutibus incredibilem quandam iucunditatem agere potius, quàm loqui. Pergebat interim in voto Sodalis; & ſimul fuit orandi, dolendique finis. 29

E SODALITIO domus Probationis Nanceianæ, quidam à conſueto Sacramentorum obeundorum curſu deflexerat; qui cùm menſes iam multos libertatem vitę pœnitentiâ non corrigeret, ſecundùm quietem videre ſibi viſus eſt ignitâ in caligine irruentem in ſe, vt raperet, dęmonem: Cui ad eius terrorem expergefacto, timor cùm ad deteſtationem intermiſſæ pietatis permagnus; tùm ad curam animi ſalutiſq; mul- 30

tò maior fuit;itâ vt diuinitùs id datum confeſſio velox, tanto cum dolore facta, mutatioque vitæ loquantur.

31 LIMAE in Peruuio, Sacerdos Parthenius cuidam ſtipem precariò corroganti, pallium, quo amiciebatur, liberaliter elargitus eſt, S. Martini exemplo. Adoleſcens erat, qui cùm ſe iam olim aſſiduis febribus extorreri mirum in modum condoleret, eam hauſit ſpem, vt ſi ſanctiſſimæ Virginis cœtui adſcriberetur, futurum aliquãdo, vt priſtinam recuperaret valetudinem. Nec ſpe deiectus; nam vbi primùm eam inijt mentem, magnâ omnium admiratione, ſtatus quartanarum circuitus intermiſit. Ijs alijſque exemplis haud ægrè promouentur ſæculares homines, qui eiuſdem ſunt Virginis Sodalitio adſcripti, vt tam ſanctis veſtigijs inſiſtant.

32 PERPINIANI in Hiſpania, Carolus Colomã, ſummus in his Regni finibus, præſidiorum limitaneorumque militum Præfectus, cuidam multa in Congregationem, cuius ipſe Præfecturam gerit, & in Societatem Ieſu mendaciter effutienti, ità reſpondit, vt veritas de mendacio triumpharet. Cùm verò pergeret calumniator nomen Sodalis exprobrare; quaſi minus decorè in tantum virum caderet; Si Rex, inquit, eſſem, clariſſime Carole, decem millia aureorum annuæ penſionis cum inſigni aliquo ac ſpecioſo honore tibi donarem, hac lege, vt Sodalitium deſereres. At ego, mî homo, etiam viginti ſpernerem cum hoc onere; prolixoque addito ſui Sodalitij & Societatis Ieſu præconio,

linguacẽ illũ ab ſe dimiſit. Fœlices porrò duorũ Sodalium exitus, ſatis aliorum vitam commendarunt. Vnus humilis fuit opifex, facilè cum viris perfectis comparandus, religioſus in Deum, cuius myſteria meditabatur quotidiè, quolibet octauo percipiebat, aliquot horis contemplationi tributis; pius in alios; duriſſimus in ſeipſum; datum ſitienti Chriſti calicem deguſtauit; in extremo morbo acerbiſſimos cruciatus, quàm æquiſſimo tulit animo. Alter Helenenſis Canonicus, reconditæ & admirandę ſanctitatis vir: cui Deus in corde, in ore, in omni opere, humana ſub pedibus. Id apparuit, cùm feriâ quintâ ſanctioris hebdomadæ, nudis pedibus templum religioſè luſtrauit. 33

IN COLLEGIO Madritano præter Sodalitatem Scholaſticorum, eſt alia Sodalitas cõſtans hominibus ſæcularibus: in qua numerantur ſupra mille; & quidem omnes octauo quoque die confitentur, & decimo quinto ſacram Euchariſtiam percipiunt. Huic Sacramentorum frequentiæ cætera quoque reſpondent, vt inter alios, quaſi luminaria in mundo, præluceant: cùmque aliquando in conſultationem venerit, an duas ex vnâ Congregatione fieri oporteret, vnam quę nobilibus, & primarijs dumtaxat cõſtaret, alteram quæ cæteris pateret; nullo modo permiſerunt equites, ac viri nobiles, ſed ipſi potius vltrò ſe permiſcent alijs, & pari Sodalitatis iure coniungunt, Chriſtianam humilitatẽ theſaurum rati maiorem, quàm externum nobilitatis ſplendorem, ſæculique diuitias. 34

35 In Domo Profeſſa Toletana, Sodales ſponte ſua, pulchro inuento effecerunt, vt quo die Taurorum agitatio celebratur, eo die ſacra Euchariſtia ſolemni ritu, multoque apparatu, ſpectabilis ponatur in templo. Itaque, & ipſi, & ipſorum exemplo, piorum virorum numerus non exiguus, cum magna ædificatione, diem illum in templo exigunt, diuino ſpectaculo contenti interea, dum alij, cum animæ corporiſque diſcrimine, crudeli ſpectaculo, vel carnificinæ potius intenti debacchantur. Et quidem cùm frequentes adſint in hoſpitalibus, vt omni ope pauperes iuuent, præſertim verò in carcere; quotidiè nunquam minus, quàm centũ pauperibus victum largiuntur. Nam ſæpenumero (quia ex toto Regno coguntur huc damnati ad triremes) ducentos corrogatis hinc inde eleemoſynis alunt; ex quibus multi extremè indigentes, annis elapſis moriebantur fame conſũpti. Res accidit in hoc genere narratu digna. Cùm annis ſuperioribus ad triremes cathenati longo agmine ducerentur, medioque foro trãſirent, nihil erat à furto ſecurum, vt propolę ſua tentoria clauderent, ac demum quiſque ſibi caueret, ſi vellet omnia eſſe ſalua; tum deinde lõgo itinere multi defatigati, aut morbo oppreſſi, cum incedere non poſſent, vi ferrei annuli abſciſſo capite, ſine Sacramentali Confeſſione, miſerè in agris iacebant, canibus & lupis obiecti. Ea ne acciderent, Congregatio prouidit, & inſtante profectione, victu veſtituque egentes adiuuit; cùmq; hæc vltima cathena octogin-

ta quinque concluderet, omnes ſua peccata cõ-ſeſſione expiarunt; multi etiam ſacro pane re-fecti. Vnus de Sodalitate Sacerdos, omnium ſuffragio delectus, illos toto itinere proſecutus eſt, vt ægros curaret, oppreſſos leuaret, con-feſſiones audiret. Ibant omnes modeſti, demiſ-ſis oculis, voluentibus manibus calculos pre-catorios; ore, animoque B. Deiparam ſaluta-bant. Nullus in foro officinam clauſit metu ra-pinæ, imò verò multi illos comitati ſunt ad fo-res vſque vrbis, rei nouitatem admirati: ita-que toti ciuitati ſpectaculo fuere. Cardinalis ip-ſe Archiepiſcopus tranſeuntes illos videre vol-uit, neque ſolùm benedictionem Pontificiam, ſed etiam largam eleemoſynam omnibus im-partiuit; totâque illâ nocte, lacrymis obortis, de nulla alia reloqui potuit.

ANNVS CHRISTI 1609.

CONGREGATIONVM BEATAE *Virginis* 45.

1 IN HISPANIA, è Bracarenſis Collegij Sodalibus quidam à pietate notiſſimus, ſacratiori Hebdomadâ, graui cum morbo luctabatur. Hic, vt vel Chriſti in Euchariſtico pane videndi ſibi copia fieret, à domeſticis impetrare non potuit: ad ſui ergo Domini imaginem in cruce fixam conuerſus, delictorum veniam expoſcit; quod æger dùm facit Seruatoris iconem vultu auerſam, aut videt, aut non ſine pauore credit. Ità à ſe per Deiparam abductus, totis artubus contremiſcens, Chriſto Prætori iudicandus ſiſtitur; ſub pedibus (vt ipſe poſteà enarrauit) via erat in orbem ducta, mirè ſplendicans, quâ beatas mentes incedere accepit. De criminibus ibi accuſatus, toruum primò habuit, & ſeuerę ſontis Iudicem: ſed eo tamen per Patronam ſuam ponè ſtantem

ſerenato, non ſine criminum modò, ſed & ægritudinis moleſtiâ, ad ſe eſt reuerſus. Ad hos etiam Sodales ea laus pertinet, quòd non ſuæ ſolùm, ſed & alienæ ſaluti ſtudere didicerint, fęlicique ſucceſſu vnum ex hæreſeos laqueis exoluerint.

MVSSIPONTI in Frãcia, è ſcholaſticis Parthenijs adoleſcens, cùm integrâ valetudine Chriſtianæ probitatis pulcherrimum ſe exemplum ſtatuiſſet; in eo morbo, qui vltimus ipſi fuit, expreſſiora etiam reliquit eius monumenta. Tulit vim morbi tantâ animi conſtantiâ, tantâ oris ac vocis æquabilitate, vt cùm ſe mori ipſe ſentiret, (dyſſenteriâ autem, & vehementi viſcerum dolore torquebatur) adſtantibus vix paulò grauius dolere videretur. Aderant tunc fortè nonnulli de Sodalitio, quos ille benignis, vt ſolebat, oculis intuens, vehementer ad cœptum virtutis iter cohortari; dextrâque, amplexúque teſtari amorem in illos ſuum; polliceri ſi quem, vt ſperabat, ſibi inter ſuperos locum diuina bonitas largiretur, ipſis nec precibus nec ope defuturum; collacrymantibus adhæc qui aderant, & tam beatam mortem tantùm non inuidentibus, olim certè optantibus. Sacramenta extrema Catholico ritu ſuſcepit; & cùm rogarent ij, qui litteras ei à parente, ægritudinis huius neſcio, de reuocando eo in patriam attulerant, núm quid denique per ipſos ad eam vellet; chriſtianiſſimè reſpondit; veram in patriam ſe, longéque optabiliorem à Deo inuitari, habere autem quod illis daret melius nihil, quàm vt ne 2

ne vnquam ſe immoderatâ honorum, ac diuitiarum cupiditate irretiri patiantur; deſpectâ terrâ cœlum cogitarent; quæ hîc cernuntur, fragiles eſſe, beatas illîc ac æternas opes. Mediâ nocte cùm de Ieſu nomine etiamnum audiret, repentè, vt ſe in eius ſinu mori teſtaretur, collectâ omni, atque effuſâ vi naturæ, idem ſanctiſſimum Ieſu nomen inclamans, extremum cum eo ſpiritum edidit; tantóque exemplo, vti de eo commemorãdo, laudandoque, multo pòſt tempore, ſibi homines non temperarent.
3 Adoleſcentem alterum paterno amori indulgentior pater à complectendo religionis ſtatu prohibebat; eumque, dum is remitteret feruor, ſtudiorum cauſâ Muſſipontum ablegarat. Vix trium hebdomadarum interpoſito ſpatio, ecce ad eum triſtis, ſed verus nuncius, filium lethali vulnere confoſſum, certam mortem expectare; ſi quid ſolatij, id habet, nullâ hoc filij culpâ contigiſſe. Perculſus nuntio Pater, celeriter aduolat, filij conſpectu tres ante mortem horas fruitur. Filius omni id ratione agere, vt ægrum dolore patris animum inflecteret, ad iniuriam Chriſti cauſâ condonandam. Expugnauit ea filij pietas parentem, à Chriſtiana pietate alioquin abhorrentem. Seceſſerat is à filij lectulo paululùm, cùm intermortuâ volentis aliquid atque appellantis voce reuocatur; eſſe in aurem ei quod diceret. Auſcultanti, Vides, ait, mi Pater, quem dulcem gnatum nuper non es paſſus in Religioſa familia, Chriſti cruce inſignitum, tutam ad aſtra viam inſiſtere; vt eum nunc non

Chriſti cauſâ, ſed alieni facinoris importunitate morientem videre cogaris? Quo admonitionis telo ſic altè parentis animus confixus eſt, vt neq; lacrymas tenere, neq; hunc mordacẽ animi ſenſum vix vnquam ſermone ſibi leniri pateretur.

ROTHOMAGI, quidam adoleſcens, cùm laboraret graui morbo, ad B. Virginem, vltimũ ſui mali remedium, ſibi perfugiendum ratus, eiuſdem Partheniæ Sodalitatis ſacris vſibus calicem aureum deuouet; Virgini ipſi quotidie quinas genu flexo ſalutationes. Ex eo tempore ſenſit illicò eam inualetudinis moleſtiam releuari in dies, ijs exceptis diebus, quibus promiſſæ ſalutationis fidem, aut non exolueret, aut id indiligentiùs præſtaret. 4

BVRDIGALAE, alius è Collegij & Sodalitij alumnis adoleſcens, cùm ſe difficili morbo à medicis conclamatum vidiſſet, ad cœleſtem opẽ adiecit animũ; ſpoponditque, ſi reualeſceret, in Virginis Sodalitate hoc anno ſe Aeditui munere cum diligentiâ perfuncturum. Non ingratum fuiſſe votum, euentus declarauit. Species enim auguſtiſſimæ Matris, niueo amictu oblata, clienti ſuo ſanitati fuit. 5

LVGDVNI, in tuendâ pudicitiâ ſe egregiè fortem præſtitit vnus quidam Sodalium Partheniorum. Cùm enim nulla alia ſeruandæ integritatis via ſupereſſet, manus ſuas in vultum ſuum armauit, atque elicito vnguibus cruore, oris ſui florem ità contaminauit; vt, quod porrò amaretur in illo, nemo videret. 6

AVENIONE, Sodalis quidam, in graui caſu, 7

Deo clementiore vſus eſt. Is neglecto Sodalitio, vltimos ſcholarum carceres vix emenſus, inter iocandum, vt ferè fit, ob noxam inimicitias contraxerat ità graues, vt nefariorum hortatibus diem aduerſario locumque deſignaret ad certamen. Interea temporis, de prouocatione illâ certior fit è Societate Ieſu vnus, qui iuuenem ad ſe aduocat, ab eoque flagitio auertere contumacem, nequidquam, interpoſitis etiam minis, adnititur. Fato rapi ad necem miſerum diceres: adeò non Sacerdotis ſolùm, ſed vrbani quoque Prætoris minas ac manus flocci faciebat. Erumpit igitur ex vrbe furore amens, ſeſeque duello ſiſtit: petitur ab aduerſario ſecundùm pectus, præcordia ipſa ferro traijciuntur, vt ne momento quidem, legibus naturæ ſuperfuturus, credi poſſet. Redit tamen ad ſe iterum, oculos extrema in morte attollit, præſentémque illicò clementiſſimæ Sodalium Patronæ opem accipit, vt inducias ſaltem ſeptem dierũ non ſine miraculo (teſtibus ipſiſmet medicis) impetraret; quos ille dolori, ac pœnitentię ſedulò conſecrauit. Et quod cincinnatos iu-
8 uenculos noſſe profuerit, criſpabat hic crines, cirroſque ex arte turbinatos, in alaudæ, aut gruis modum ſurrigebat, quos nec deponere, ſæpè quamuis iuſſus, nec verò minuere vnquã volebat. Euictus tamen ſingulari hoc Dei iudicio, quam adeò ſolicitè curabat antea cæſariem, reſectam nunc vltrò, non abſque ſuſpirijs, Confeſſario in manus tradidit, adeòque vitam ipſam demùm cum magna adſtantiũ ad-

miratione, ſenſuque pietatis, religioſiſſimè clauſit.

9 BIZVNTINI Collegij Sodalitas, hoc anno, ciues ipſos feruore ſuo atque exemplo inflammauit. Ierunt enim ſupplicatum ſcholaſtici Sodales in templum Collegij, ipſo Annũciatæ Virginis peruigilio; ibique coram ſacratiſſimâ Sichemienſi Virgine, vota ſua cum ingenti pietatis ſignificatione nuncuparunt; atque in amoris pignus cum funalibus candidis, votiuâque tabulâ, cor argenteum, pretio & opere viſendum depoſuerunt, ita inſcriptum:

CONGREGATIO ANNVNCIATAE VIRGINIS, HANC PVRO EX CORDE PVRAM CORDIS EFFIGIEM, PVRIORIS OBSERVANDAE PVRITATIS ERGO, PVRISSIMAE VIRGINI, CVIVS EX MONTIS ACVTI QVERCV, IN COLLEGIO SOCIETATIS IESV VESONTIONENSI COLITVR IMAGO MIRABILIS, VOVET, DICAT, DEDICAT.

Hanc ſcholaſticorum pietatem tota poſtmodum ciuitas alacriter eſt imitata, ità vt iam pro ſe quiſque cereos Virgini accendant, veſtes ſericas, & anathemata ponant, ſigna aurea, & argentea, annulos, coronas, votiua curationum monumenta ſuſpendant. Tanta enim hoc anno Dei Matris in Bizuntinos merita extiterunt, vt longum ſit ea enarrare.

Digitized by Google

10 AVSCIS in Aquitania, periculoſo morbo laborabat Sacerdos, cui dum venit in mentem Sodalitij Parthenij, indèque ſingularia Virginis in clientes ſuos beneficia ſecum reputat; vouet, ſi melius per eam habere ſibi detur, illicò ſe eius obſequio mancipatum iri. Vtrumque euênit, vt & æger conualeſceret, & datum eius nomen Sodalitas acciperet. Alius iterum è ſcholaſticis adoleſcens, cùm in grauiſſimo morbo à conſilijs medicorum iam eſſet deſertus, adeòque depoſitus; præceptoris ſui monita ſequi cœpit, ſe ſuamque ſalutem Deiparæ, ac S. Ignatio ſuppliciter commendare. Illatâ igitur ad oſculum Beati iſtius imagine, nuncupatiſque Sodalitatis ineundæ, peregrinationiſque pedeſtris ad locum Virginis celebrem Garaſoniam ſuſcipiendæ, votis; morbo liberatus, fidem quoque ſuam liberauit.

11 E PARTHENIIS Collegij Anicienſis, jacebat ad imminentem mortem vnus, qui ſe valetudinem priſtinam Patronæ ſuę ope recepiſſe affirmatè dicebat. Alius pio ſæpè fratris hortatu exemploque compulſus, vti ſe in Sodalium B. Matris collegium cooptari pateretur; tamdiu repugnauit, donec morbi violentiâ, quâ tenebatur, fractus, & mortis à quâ procul, vt videbatur, aberat, horrore victus, eidem ſe voto nuncupauit, cuius religionem ſalus excepit.

12 Ciuis è maiore Sodalitio, torrentem pedibus tranſmittere dum conatur, aquarum impetu per abruptos procul ſcopulos, ſubiectaſque voragines præcipitandus abripiebatur; ſa-

lutaribus Ieſu ac Mariæ identidem nominibus inclamatis, ſaluus è periculo in ripam eijcitur. Miſerat Parthenius quidam (vt id quoque hic ponam) piaculares aliquot calculos, in patriam; quorum vnus, cùm mulieri energumenæ appenſus fuiſſet, nimium quantum perfidus hoſpes, vociferari, frendere, turbari cœpit, execrarique *Damnatum eum, qui ſacra illa æra Anicio adſportaſſet.* Abſtracta itaque in ignem ardentem iniecit; vnde magnâ omnium admiratione, ſemel, iterum, ſæpius, illæſa penitùs icuncula reſilijt.

13 LOVANII è Sodalitio maiori quod ciuium eſt, exciderat cuidam è manu & memoriâ ſyngraphum pretij omninò magni; vouet B. Virgini cereum; quem illa gratum habuiſſe, reſtituto ſyngrapho declarauit. Nam domo fortè abeunti, cœno, ſordibuſque inuoluta chartula obtulit ſeſe vltrò eo loco, de quo ne ſuſpicari is quidem potuiſſet. Anglus nobilis, ab hæreſi iam abhinc biennio abſolutus, Louanium cùm acceſſiſſet, id in votis habuit, in Sodalium cohortem quamprimùm vt adſciſceretur; ſed cùm febri ardentiſſimâ diſtentus conuenire cœtum non poſſet, precibus tandem expreſſit, vt intrà priuatos parietes nuncupatâ votiuæ orationis formulâ, ſe B. Matris obſequijs manciparet. Quod, vt maiore animi ardore faceret; coram eiuſdem imagine è ſacrâ Sichemienſi quercu, quam ſecum & in Angliam, & inde rurſus huc, non citrà ingens periculum, aſportarat, quantum exhau-

ſto iam vires permittebant, erexit ſe, ſuaque omnia Deo Deique Genitrici commendauit. Nec multo pòſt, ſacramentis omnibus præmunitus, ſecurè ſuauiterque obdormiuit.

14 Sed dandum nunc vnius quoque deſertoris exemplum, ſcriptu licet iniucundum, lectu tamen fortè non infructuoſum. Is Sodalium bonis honeſtiſque cùm moribus, tùm colloquijs, ad aciem ordinatam velut claſſico identidem reuocabatur; at diem ex die trahebat, & tamdiu denique trahebat, dum imparatum ſupremus oppreſſit. Nuper enim haud benè ſobrius, ortâ inter neſcio quos rixâ, inopinatò plumbea glande traiectus, emotâ ſubito mente, nullo dato pœnitentiæ doloriſue indicio, expirauit.

15 DVACI, à multis è flore ciuium efflagitatum eſt ſubinde magnâ ſollicitudine, filioli eorum in Sodalitium Parthenium, quod ab Angelis nominamus, vt adoptarentur. Mouit optimos parentes horum Sodalium illuſtris pietas. Ex his pepigere nonnulli cum domeſticis; vti, ſe domi præſentibus, nemini alij ſtipem ferre pauperibus, quàm ſibi liceret. Quidam pueros pro foribus mendicantes, præter ſtipem ordinariam, doctrinâ formandæ Crucis, aliorúmque Chriſtiani hominis rudimentorum eleemoſynâ donauit; his maiora ſe daturum pollicitus, ſi aliàs gnari, atque obſeruantes horum reuerterentur. Magna, meo iudicio, ſunt hæc in tam paruis.

Digitized by Google

IN COLLEGIO Antuerpiẽſi inſtituta hoc anno Sodalitas, quæ magno ambitu expetitur, puerorum mechanicorum, qui vitæ annum decimum & ſextum non exceſſerunt. Iſtorum omnium iã moribus receptum eſt, vti deferendam ad ægrotos Sodales Euchariſtiam octoni, deniue, cum facibus præeant, multi deducant. Fuit cùm quadraginta terniones longo agmine pompam Sodalitati honorificam, Catholicis iucundam, hæreticis inuidendam facerent. Soror vnius, à medicis depoſita animam agebat. Sogat ille & hortatur, ſpem ſuam vti reponat in matre viuentium, & aſſulas quercûs Aſpricollinæ, tot iam miraculis decantatæ, poculo intritas hauriat: hauſit, & quæ ſub ortum ſolis occaſura videbatur, ſole occumbente ſurrexit. Cæterùm, quæ horum aliorumque in Gymnaſio diſcipulorum indoles, pauculis iuuat exemplis cognoſcere. Vnus Xaueriani æmulus facinoris, vt benè verteret, quòd Sodalitio Beatiſſimæ Virginis Angelico nomen dediſſet; ter fune circumacto fidem Deiparæ obligauit, ſeſe hoc baltheo, lumbos obeunte, ſtrenuum ſub ipſius ſignis militem fore; mox tamen attrîtis lateribus, exulcerata cute, aſperior fuit dolor, quàm ferrent tantillæ vires. Poſt trimeſtre ſpatium rem apud magiſtrum cum fletu depoſuit; quæſiuitque, num mitiore cruciatu, acerba tormenta redimere liceret. E veſtigio magiſter inolitum ſanguinolentæ pelli reſtem cultro abſcidit, monitumque, ne inconſulto de hinc

confeſſario in ſemet animaduerteret, dimiſit; & glorioſâ puerilis ſanguinis purpurâ tinctum funem, pietatis trophæum, domi ſpectandum dedit. Alium inflammauit magiſtri narratio de heroicis geſtis Diuorum, qui piâ auſteritate in ſe crudeles fuerant. Vix ſcholâ egreſſus calceos acutis ſcrupulis impleuit, donec plantis exulceratione tumefactis, parentes greſſum impeditiorem notantes, acerbam pietatem viderunt, ſtupuerunt, vetuerunt.

18 In Collegiis Traiectenſi & Brugenſi, inſtituta hoc anno Sodalitas, cui Angeli & nomen dedêre, & normam viuendi, ingenti pueritiæ cum emolumento. Eius eſt quàm decentiſſimè ſacris operanti miniſtrare; modeſtiâ, diligentiâ, pietate, diſcipulis anteire; Angelos cuſtodes eorúmque Reginam cultu atque obſeruantia ſedulò venerari. In hanc adleguntur duarum poſtremarum Grammaticæ claſſium pueruli, præcipuâ indole, morumque gratiâ commendati. Dederunt auſpicium PP. Rectores vtriuſque Collegij, rem diuinam apparatu ſolemniori facientes, adhibito muſicorum concentu, & pueris Angelico ſchemate præſentibus; tum deinde alia quæ ſolemnitatem auxerant addidere. Quàm eximia in his eluceat An-
19 gelorum imitandorum cupiditas, teſtatur mirifica eorundem ad omne genus obſequij alacritas, exactaque inprimis legum ſuarum obſeruantia. Inuisêre Traiectenſes ægrotãtem vnum; ibi de piæ hiſtoriæ narratiunculâ ad lectionem Thomæ de Kempis ventum: rogatus à Sodalitij

Digitized by Google

tij Rectore infirmus (nam & ille tum fortè ſuperuenerat) moleſtáne eſſet lectio? neque ſi ad noctem, inquit, extendatur, gratiſſima iucundiſſimaque eſt ; Moxque ad matrem conuerſus: emendus eſt mihi, mater, hic libellus. De Brugenſibus id hîc ſolùm addo, eos à Superioribus beneficij ſingularis loco, vt hebdomadariã ipſis exomologeſim permitterent, expetijſſe, & iure quodam pietatis impetrauiſſe.

IPRIS etiam, hoc anno inſtituta Parthenia Sodalitas Angelorum, auſpicium & fauſtam apprecationem dante R. P. Prouinciali. Fuitque vnus è mortalibus iſtis Angelis, qui feſtiuis diebus veritus ne aliqui ex condiſcipulatu ſuo, diuini officij tempore aliud agerent, ſacculum libellis precarijs plenum ad claſſem deportaret; mirantique, & cauſam ſciſcitanti magiſtro reſponderet, ideò ſe factitare, vti carentibus ad piam lectionem commodaret. 20

LVXEMBVRGI in ea Sodalitate Virginis quæ eſt ſtudioſorum, feruor hoc anno omnium mirificè adauctus. Pauca dicam pro multitudine eorum quæ dici poſſent : vnde formam quilibet ac ſtatum reliquarum in Belgio Sodalitatum facilè deprehendet. Delicta in leges, pœnis vltrò ſuſceptis, aut è Præfecto humiliter ac multâ prece exoratis, publicè expiant. Præfecti ipſi ad hæc duces. Fuit qui tyronum quos ad Sodalitij mores erudierat, ipſo quo inſcribebantur die, pedes peteret oſculari ſingulorum. Vt factis, inquiebat, nunc eos doceam, quod prius verbis. Fecit, æmuloſque concitauit. Nam 21

Digitized by Google

& qui vniuerſæ Sodalitati præeſt,cùm ſit Sacerdos,ſupplex ad genua accidit Directoris,expoſtulauitque , vt idem ſubmiſſionis genus in ſuos ſibi liceret Sodales exercere. Et aliquatenus conceſſum. His alijſque exemplis mutuò incitant,& incitantur. Ijdem errata ſua in medio cętu ab ijs qui norint,poſtulāte,mēdationis ſtudio , euulgari. Nam illa inter eos vulgariſſima: crebra ſui expiatio , productæ preces,voluntaria ieiunia, punctiones cilicinæ, aliaque ad glorioſum ſui triumphum atque victoriam. Media ipſa nocte Natalitiorum,complures nudis pedibus, per niuem glaciemque feruidi, ad templum adiere ; atque eo modo ſacris myſterijs, ad maiorem Chriſti recens nati honorem per-
22 ſtitere.Denique cùm vni ex ijs grauiſſimè ęgrotanti, vſuque vocis propè deficienti, reuocatio in patriam ſpe ſalubrioris cœli,miſſuſque in hoc equus,& famulus nunciaretur;negare ille,quidquam niſi ex pręfecti Sodalitatis nutu facturum; non ſui, ſed alieni iuris eſſe velle. Re igitur ad Sodalitij Magiſtratum delatâ,eoque abnuente, mox hominem & equum remittit : & ecce vnâ remitti morbum ſentit, biduoque poſt,in templum de recuperata valetudine,Deo Opt.Max. Virginique patronæ, actum gratias venit. Iam verò vacationes à lectionibus , piorū vtilitate exercitiorum non vacant ; quippe quibus pro incundiſſimo ludo eſt, vel ad ſacellum aliquod oppido vicinum peregrinari, viæque tædium pijs , de Deo Diuiſque, collocutionibus mitigare; vel pauperum caſas ad doctrinæ Chriſti-

anæ communicationem aditare ; vel ægros debileſque inuiſere , atque ad ſacramentorum perceptionem moribundos inuitare.

In Viennensi Collegio Sodalitates tam D. Barbaræ , quàm Deiparæ , cum annis creſcunt. Huius ſyllabo præter inſignes alios, Illuſtriſſimus Cardinalis Forgach, Archiepiſcopus Strigonienſis, vnà cum fratre Sigiſmundo, ſua ſe manu præſens ipſe inſcripſit. Ex minorũ 23
cœtu pernobilis adoleſcens hydropiſi grauiter tentatus, eius opem poſcendam exiſtimauit, cuius ſe tutelæ dudum commiſerat. Nec fruſtrà. Nam ſigno in aurorâ ad ſalutandam Virginem dato, cùm ſpe plenus eidem diceret *Aue*, viſus eſt non obſcurè ſibi videre Patronam ſuam brachijs filiolum geſtantem, atque hiſce ægrum vocibus compellantem: *Confide fili, valebis*. Vanam hanc non fuiſſe vocem, ſecuta poſt paulò valetudinis reſtitutio , manifeſtè videtur demonſtrauiſſe. 24

Olomvcii ea fuit Sodalitatum (quarum hîc loci quatuor ſunt) pietas ac feruor, vti ciues etiam Olomucenſes exemplo ſuo accenderent. Dederunt Sodales in magnâ hebdomadâ pauperibus epulum, miniſtrantibus nobiliſſimis quibuſque, & inter eos, Baronibus octo. A mensâ pedes loti cum oſculo: additi ſingulis eleemoſyna Philippici ſinguli. Non tulerunt eam ſibi laudem negari ciues permulti. Imitati ergò hæc illorum tam Chriſtiana officia, inuitationibus pijs , & donationibus, Sodales propemodum etiam ſuperarunt. Adoleſcentulus ex 25

26

infima Grammatices, idémque Parthenius, officium Beatiſſimæ Patronæ ſuæ, quod integris tum viribus recitare frequens conſueuiſſet; id in ſummâ ægritudine faciendum multò magis putauit; vt qui morti propior eſſet, & mercedi. Legere ergò pro more ſuo preces dum conatur Marianas, clauduntur oculi; & ille ad Sodalitium Diuorum euocatur; pertinaciter adeò intra digitos inhærente libello, vt quòd ei commodè extorqueri non poſſet, cum eodem articulis ſic impedito, ceu teſſerâ ſuæ in Deum, & Virginem pietatis, fuerit ſepeliendus.

27 E COLLEGIO Nouodomenſi, incidit in mortiferam Parcarum manum, quæ nuſquam omnis exulat, Nobilis quidam adoleſcens, Sodalitati Partheniæ adſcriptus, quem ſubitâ febriculâ extinctum cœlo tranſmiſiſſe creditur. Cuius rei argumento eſt, quod ad vltimam luctam Chriſtiano more inſtructus, Cerberum nigerrimum canem ſcuticâ iuſſerit abigi, vt Beatiſſima Virgo, quæ eius ſeſe obtutibus offerebat, acceſſum haberet liberiorem; quam etiam, lecto iam adſtantem, manibus iunctis venerabundus ſic alloquebatur: O Virgo, ô Mater, ô Patrona mea dulciſſima, tuum ne deſere tibi caſtimoniæ voto obſtrictum, in horâ mortis ſuſcipe. Dixit, repetitóque aliquoties gemino ſalutis nomine, cum eâ ad ſuperos diſceſſit.

28 COLONIENSES Parthenij ſeditionibus animorum componendis ſtrenuè occupantur. Pauperes aluerunt; frequenter pedes eorum lauerunt; in ſentes exemplo ac fine D. Benedicti

ſeſe abiecerunt; carnes diebus interdictis, ne in periculo quidem vitæ, eſitare voluerunt.

29 TREVIRENSIBVS ciuibus, Sodalium Marianorum pietas admirationi, mutatæ in melius viuendi rationes voluptati fuere. Horum complures Litanias veſpertinas in familiam ſuam induxêre, alij contemplationibus mentis inſueſcunt. Duo ſub noctem à quodam Palatino per iniuriam gladio appetiti, citra vindictam, hominem exarmârunt; & illuceſcente die arma ui ſublata redhibentes, ſui eum periculi commonefecerunt; addito, eam B. Virgini ſalutem ferret acceptam, cuius veneratione, & amore hoſti peperciſſent. In alium peregrè iter habentem, ex inſidijs latro inuaſerat; ſed Marianus manu promptùs ſicarium occupat, cùmque eum ſub ictum teneret, maluit differre, quàm ſclopo, quem expeditum gerebat, conficere; durauitque periculoſa velitatio, donec ſuperuenientibus temerè viatoribus, tenebrio latebras ſuas repetiuit. Duo præterea alij præſen- 30
tiſſimam eiuſdem Virginis opem ſunt experti. Prior è naui lapſus, in ipſâ Patronæ ſuæ inuocatione tabulam fœliciter apprehendit, ſéque ſeruauit. Alter è ſcaphâ in vorticem Gelbis fluuij abreptus, omni ſpe humanâ deſtitutus, votis, ceu velis quibuſdã, nauiculam ſubter vmbroſam arborem agit; vbi apprehenſo ramo, in ipſam arborem nauicularius recipitur; illa ſub oculis orantis, fluctu ſorbetur. Interim grauia etiam in cœtum hunc odia exarſerunt. Dole- 31
bant digni quidam homunciones qui doleant,

Sodales comeſſationibus, blaſphemijs, ingurgitationibus abſtinere; tribunitias conuiuiorum leges, & veteres pergræcandi conſuetudines negligere. Alij hoc periculoſiùs, quò rectiùs, pietatem oppugnabant; coitiones eorum ſeditionibus excitãdis opportunas videri; proin temporì occurrendum malo. Verùm contumelijs his fœliciter finem attulit cuiuſdam è primoribus infœlix proteruia; qui dum in publico hoſpitio multa, in Sodalem quendam, Sodalitatemque vniuerſam, probra congerit, in ius vocatur; calumniæ damnatus, poſt turpem mendaciorum reuocationem, grandem mulctam, Sodalitatique trium librarum cereum, pendere cogitur.

32 MONASTERIENSIS puer Parthenius, parentum hæreticum, tamdiu precibus, hiſtorijs, exempliſque de B. Virgine narrandis fatigauit, donec poſitâ hæreſi fidem agnoſceret. Mulier deſperatis medicorum remedijs, conſilium acceperat à filijs ſuis, qui Sodalitij Mariani erant, peregrinationis ad Crucem Strombergenſem miraculis illuſtrem, ſuſcipiendæ. Secuta mulier benè ſuadentes eſt, ſanitas verò mulierem.

33 CRACOVIAE in Polonia, vnus quidam è Sodalitio Virginis Aſſumptæ, quod ex Academicis conſtat, Ouidij libros de amoribus inſcriptos, eo ſolùm emit propoſito, quò ſupprimeret peſtem, ne cuipiam alteri eos fortè legenti, venenum inde cum periculo propinaretur; damno pecuniæ, animæ damno ſapienter

poſthabito.

POSNANIAE quatuor Xenodochijs epulum lautum cum veſtibus datum, miniſtrantibus Sodalibus. Paſcere & veſtire pauperes, cõpluribus hîc quotidianum. Eſt inter illos, (vt exemplo vno alteróue rem declarem) vir memorabili ſanè, & patientia, & charitate. Hic multo tempore potentis alicuius, & factioſi ciuis conuicia paſſus, nunquam reponebat; ſed & in mercibus inſignes aliquot illo agente fecerat iacturas; quas eo quidem tulerat animo, vt diceret, illa ſe facilè pro Deiparæ amore remittere, pluráque ferre paratum eſſe. Pergebat ille alter moleſtus eſſe, donec permittente Deo, domum, & magnam rei familiaris partem incendio amiſit. Tecto miſer cariturus erat, niſi hic toties peſſimè habitus, occaſionem miſericordiæ & charitatis dilexiſſet. Inuitat ærumnoſum domum ſuam; vxori eius, quæ propediem partum editura erat, cubiculum egregiè inſtruit; gratulatus ſibi quàm maximè, quòd inimico facere amicè diuinitus liceret. Ex miſericordiæ Sodalitio, opulentus quidam diuitijs & virtute mercator erat, vir conſularis, ſuique ordinis honeſtiſſimus. Tantus is pauperum fuit amator, vt decimam lucri partem quotannis, in eorum vſum neceſſitatemque, ſeponeret. Vnde in funere ipſius nihil tam ad ſpeciem lugubre apparuit, quàm facies pauperũ luctuſque egenorum, parentem communem, lacrymis communibus proſequentium. Reliquit huic hominum generi Xenodochium inſtru-

ctiſſimum; laudatuſque pro concione eſt, partim merito ſuo, partim quòd ad hæc nobilium funera, gentis more, maximi fiant concurſus, vnde fructus non negligendi reportantur. Sequuntur viros, eâdem viâ, magnis paſſibus adoleſcentes Parthenij, qui & ipſi in Quadrageſimâ pauperibus octuaginta Confeſſione ad Euchariſtiam comparatis, lautum miniſtrauerunt conuiuium. Toto eo ſacratiſſimo tempore, meditationibus breuibus de Chriſti Seruatoris cruciatibus, quotidie in loco ad id cõparato, vacarunt.

36 VALENTIAE in Hiſpania, Sodalium domus Profeſſæ eleemoſynâ, & charitate, hoc anno è vinculis educti trecenti. Gandienſiũ quoq; ciuium, qui ex Sodalitio Mariano ſunt, in captiuos maximè ſe prodidit charitas. Ex carcere redemerunt centum octoginta.

37 BILBILI contigit hoc memorabile. E ſolemni conuentu vnus Sodalium poſt ſumptam Euchariſtiam euocatur; quem mox ità, vt erat, imparatum tres hoſtes inſtructiſſimi, ad iniuriã quàm falsò ab eo ſe accepiſſe putabant, vlciſcẽdam, aggrediuntur; eumque punctim magno impetu, latronum more appetũt. Ille repentinis circumuentus inſidijs, Virginis tutelam ſuppliciter inclamat: geſtabat autem tum fortè in pectore venerandam eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis imaginem, in quam gladius ferientis fœliciſſimè peccauit, repercuſſúſque iunci inſtar, ſine vllâ hominis læſione, ſe inflexit. Compertâ deinde Sodalis huius innocentiâ, auctor fa-

Digitized by Google

cinoris reſipuit; & in publico Sodalium cœtu ad genua læſi prouolutus, tam ab ipſo, quàm ab vniuerſo Sodalitio veniam petiuit, impetrauitque.

38 ILERDAE, in Bacchanalibus impotentiùs efferueſcẽs quidam, Sodali Mariano coram numeroſâ ſcholaſticorum multitudine, alapam infregerat; mox tamen, vindictam veritus, adit Patrem, qui Sodalitio præerat, vt à læſo Virginis cliente veniam precaretur. Is conſtanti hilaríque animo iniuriam remiſſurum ſpondet, ſi alter vnà ſecum Euchariſtiam ſumat, & Iubilæum quod ijs diebus Collegij templo conceſſum erat, lucrari velit. Lucratus eſt. Itaque ſe vindicauit optimus Sodalis non tam de homine, qui iniuriam fecit, quàm de Diabolo, qui vt faceret fecit.

39 CORDVBENSES Parthenij bis hoc anno dederunt operam, vt vniuerſa vagorum mendicorum, & circumforaneorum turba, è palearijs, receptaculiſque ſuis, è plateis, compitiſque, certum in locum conuenirent. Hos ijdem multis antè diebus inſtituunt Catecheſi, & rectâ cõfitendi ratione imbuunt, illincque ad ſtatum diem agmine per vrbem circumducto, Chriſtianam doctrinam decantantes, in Collegium deducunt; vbi ad Confeſſionem eos opperiuntur aliqui Patres, alijque eiuſdem Sodalitij Sacerdotes, vniuerſim ad quadraginta. Expiati, ad templum pergunt, ſacrificio, & diuinæ menſæ vnà omnes interſunt eius conditionis homines, circiter quadringenti. Quibus ritè peractis,

eodem, quo venerunt, ordine, ijſdem ducibus, in hoſpitales ædes reducuntur ; cohoneſtante pompam vtroque Sodalitio, tam Virginis, quàm S. Spiritus; nec non & aliquibus alijs Eccleſiaſticâ dignitate præditis, qui in partem tam pij
40 operis hoc anno venire voluerunt. Audita eſt & harmonia tẽpli maximi, quę paupertinam cohortem ad ædes aduentantẽ, iucundiſſimè ſalutauit. Hîc ergo accubuerunt; & Sacerdotes omnes, officia ſibi miniſtrorum cum magnâ ſui victoriâ, pauperum ſolatio, aliorum commendatione fructuque ſumpſerunt. Porrò Sodalitas Parthenia eos viros hîc informat, quorum opera nõ vrbem modò iſtam, verùm etiam conterminas, alióſque pagos attingit. Excurrunt, concionantur, catechiſmum docent, confeſſiones excipiunt.

41 XERAE, vir nobilis, quâ neſcio læſus honoris offenſiunculâ, Sodalitatis pomeridianas conciones, aliaſque pias exercitationes deſierat accedere, qui ex illâ ſtatim die cœpit malè affici, & tam animi, quàm corporis doloribus nõ mediocribus torqueri; qui quidem nullâ medicorum arte, nullâ humanâ indnſtriâ poterant impediri, quò minus per totum corpus malum diffunderetur. Lecto affixus, ſex integros mẽſes tanta incommoda paſſus eſt, quanta vix credi poſſunt. Tandem ſapuit, diuinitúſque in ſe vindicari animaduertens, ſacrum cœtum, quem inconſultò deſeruerat, quàm maturrimè repetere decreuit; ædes Collegij adiuit; confeſſus eſt; Euchariſticũ panẽ ſumpſit, & cũ eo priſti-

Digitized by Google

nam animi corporiſque ſanitatem.

In Baezand Collegio, ſeptem ſunt Congregationes florētiſſimæ. Prima habet vrbis prima capita; Priores, Canonicos, Doctores, Theologos, alióſque tam Eccleſiaſticis, quàm Academicis dignitatibus ornatos: quibus mirum eſt, quàm ſit cordi, ſacris Sodalitij exercitationibus & concionibus pomeridianis intereſſe, cùm tales ſint, qui quadraginta aliquando annos ipſimet in concionandi munere, ſumma cum laude, & rei Chriſtianæ acceſſione, ſint verſati. Educat ſecunda auditores Theologos, & Philoſophos, Magiſtros, & Laureatos vniuerſim ſupra centum. Tertia & quarta recenter hoc primùm anno pullularunt, minorum & maiorum ſcholaſticorum. Hi à lectione veſpertinâ quotidie in Collegij templum conueniunt, piâque libelli auditâ recitatione, in diuinis commentationibus ponunt ſemihoram. Quinta ingentem hominum inſtituit multitudinem, quibus, in templum dominicis diebus, conuenientibus, hiſtoria, aut aliud quidpiam Chriſtiano homine dignum enarratur, explicaturque. Diſparis conditionis homines complectitur ſexta, tum publicos, tum priuatos: qui omnes ſub noctem primò caput aliquod ex P. Ludouico de Ponte audiūt; mediam deinde horam meditando conſumunt; & alternis diebus toto anni decurſu nimirum die Lunæ, Mercurij, & Veneris, à meditatione piam vltrò diuerberationem ſuſcipiunt. Septima denique nobilibus 42

Digitized by

nonnullis, & Clericis lectiſſimis viris conſtat,
quorum primum inſtitutum eſt, *Salue Regina*,
quotdiebus Sabbatinis in templo Societatis,
multâ ſymphoniacorum, & inſtrumentorum
varietate, quàm apparatiſſimè decantare: tùm
adire noſocomium, ægros ſolari, catecheſi in-
formare, purgare cubicula, ſordes eluere, ad
viliſſima quæque mediaſtinorum miniſteria, de-
miſſionis exercendę cauſâ, ſeſe abijcere. Sodali-
tia hæc omnia ac ſingula tãti faciũt ciues, vt in
eo homine abſolutam virtutem vix eſſe poſſe
exiſtiment, qui vnius ſaltem eorum alumnum
ſe non profiteatur.

43 MANILAE in Philippinis inſulis, Dux qui-
dam inſignis iſque Hiſpanus, enixè petijt à
Sodalitij Electoribus, vt ſibi æditui liceret fũgi
munere, & impetrauit; itàq; curæ habuit id mu-
neris, vt ſi in caſtris militarem aliquam prouin-
ciam adminiſtraret. Quoties ſacellum, vel pe-
riſtromatibus, vel tapetibus alijſque rebus ad
ornatum cultúmque Virginis ſpectantibus, fuit
inſtruendum; ipſe ſuâ manu (cum plures ha-
beret ſeruos) munia omnia accuratiſſimê eſt
executus. Quod maioris eſt admirationis, ibi
hoc facere eum, vbi ciuis Hiſpanus quilibet,
quaſi Principum more, natus tantùm videtur
ad imperium; Indi contrà Aethiopéſque ad
laborandum, ijſque obtemperandũ: vt ſint ho-
44 die gentibus iſtis Hiſpani, quod Romani olim
ſub liberâ Republicâ, toti terrarum orbi. Solent
porrò Sodales huius loci, triduum illud Bac-
cho præpoſterè conſecratum, in Paſchatis dies

Digitized by Google

(quos ità etiam nominant) conuertere. Itaque ſerico panno ædem ſacram conueſtiunt, tibicines inuitant, cereos ſuis ſumptibus accendunt, ſeni coram venerandâ Euchariſtiâ humi defixi ſupplicant, omnia denique agunt, quæ in alijs quoque prouincijs agi ſolent. Inter hos, Græcus quidam, quinque ſupra viginti argenti libras obtulit, hoc fine, & conſilio. Erat ei nauigandum ad eam huius Inſulæ partem, per quam velut ianuam huc primò aduentantes eunt Mexicanæ naues: inde ipſi Manilam vſque, deuehendæ erant ſericæ quædam merces, quæ ex ſuperioris anni naufragio, quod Hiſpanorum nauis ibi fecerat, ſupererant. Ad hoc iter, quod centum minimùm leucarum erat, opus ei fuit Hiſpano eóque diligenti nautâ, cui tantum argenti pro naulo ſoluendum erat. Tum Græcus, Vt quid hominem quæro ſocium, qui nullo me nauigaturum periculo liberabit? Deum præſtat habere, non nautam, ſed nauclerum; hunc eligo meæ ducem nauiculæ, meæ nauigationis comitem; ſicque ei hoc tantillum pecuniæ pro futuris proximè Bacchanalibus offero, quò cerei ardentes auguſtiſſimum ſui Corporis Sacramentum quoquomodo cohoneſtent. Et ſanè non fefellit Græcum comes. Nam cùm Manilam vnà cum alijs nauibus velificaret, aduerſo flante vento, pluribus ad ſcopulos alliſis, ipſe incolumis cum naui, ac mercibus, portum tenuit; votoque ſe exſoluit. Maturiores iſtos, tertij generis

45 alij Sodales, pro ſuo quique modulo imitantur, elementares, inquam, pueri ſeptuaginta. Cuidam tredecim annos nato, cui atra bilis iram facilè excandeſcētiamque excitabat, ſuaſit vnus è Societate, vt eiuſmodi impetus patientiâ frangeret; Ità morigerus fuit puer, vt cùm non multò poſt ab æquali alapam acciperet, imperturbatè reſponderit: Hanc ego pro Deo feram lubens. Ab alio item iniuriâ affectus: Et hanc, ait, quoque perferam. Die quadam acceſsère ad portam, ex ijſdē puerulis, tres quatuorue; qui à ianitore interrogati, quid quærerent: Quid quæreremus? inquiunt; nihil aliud, quàm hoc modicū ſolatij accipere in domo domini. Murmurabant quidam, coram alio ex his B. Virginis clientulis, de Societate Ieſu; ille rem non ferens ac ſubindignans; Alia vos agite, ait, ne talia de ijs, à quibus ego, meíque ſimiles omnem hauriunt pietatem, obloquamini: ego quidem inter ingratos numerabor, ſi talia præſente me effutiri ſinam.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 1610.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 46.

AGRIGENTI in Sicilia, 1
quidam ex Sodalitio, de pietatis tramite, ipſiuſque adeò legibus, præcipiti negligentia deflexerat. In eo vitæ ſtatu cùm eſſet, & neſcio quid animo verſans, aut moliens, ad honeſtæ matronæ limina acceſſiſſet; maritus illius fœminæ irâ extimulatus, verutoq; obarmatus, fugientem vt figeret, cœpit inſectari; & ictum quidem iam intentarat, cùm ille B. Virginis opem ſupplex implorat; cuius clementiam, licet indignus, præſentiſſimam mox eſt expertus. Cùm enim toto virium impetu hoſtis in ictum rueret, ſola veſtis vulnerata eſt, ferro acutè, haud ſecus ac ſi in adamantinum clypeum impactum eſſet, diſtorto. Agnouit auxiliarem Deiparæ manum homo, & ad Sodalitium multò quàm antea frequentior, & ardentior acceſſit; à quo,

quòd viueret, habere ſe non dubitauit.

2 NEAPOLI, Sodalium opificum cœtus incredibiliter eſt auctus, numeranturque in eo Sodales ad ſeſquimille in quinque tributi claſſes. Omnes partium ſuarum eſſe exiſtimant, vrbe totâ pueròs, imperitamque multitudinem Chriſtianæ doctrinæ rudimentis inſtituere, cõtinentem oram conſilio eodem luſtrare, ſuadere facinoroſis expiationem ſcelerum, alia omnia facere, quæ illos verè Parthenios eſſe manifeſtè demonſtrant.

3 Illud egregio ſanè fructu nuperrimè ſunt commenti pietatis argumentum, vt Diuorum aliquem vniuerſæ familiæ tutelarem in ſingulos annos ex alueolo ſortiãtur. Eius imaginem pro ſacello ſtatuunt, opem arctis in rebus implorant, & cœleſti refecti pabulo ferias agunt; quam eorum religionem diuina beneficentia cumulatè rependere videtur, non æternâ modo, ſed & temporariâ mercede.

4 Ferunt enim aliquos tenues & ab opibus imparatos, ex quo Sodalitium iniere, fortunis inſtrui cœptos; vt deſertoribus ex aduerſo diffluere, quæ congeſſerant, quotidiano videatur experimento: quorum quidem alios obiecta terriculamenta diuinitùs ad tuendam initi propoſiti fidem impulerunt; alios obita pericula vitæ, nonnullos à defectione reuocarunt.

5 Cùm aliquis eorum de creditâ pecuniâ debitorem ſuum appellaret, ab irato atramentariâ thecâ ſecundùm faciem appetitus eſt. Neque tamen ille vltionem, ſed ſpecimen dare voluit, quid in Sodalitio profeciſſet. Itaque, cùm & ipſe ferramen-

ramenta præ manibus haberet, quibus illatum vulnus vltró reponeret, omiſit planè, animoque amico percuſſorem admonuit, caueret, ne quid vnquam tale in alium auderet: futurum enim fortaſſis, vt quam expertus eſſet in ſe facilitatem, eam in alio deſideraret.

In Aeglensi vrbe Congregatio eſt inſtituta, in qua numerabis ad quinquaginta ſupra quadringẽtos piſcatores, qui omnes enixè tuẽtur inſtituti Parthenici rigorẽ, alioſq; trahunt ad idem vitæ genus amplectendum. Eo præſertim anni tempore, quo magis efferueſcere ſolet ſtultorum inſania, mirum in ijs exarſit pietatis ſtudium. A Collegij enim ædibus ad Profeſſorum, vbi, prout moris eſt, indictæ quadragenariæ preces, bini ſupplicationem inſtituerunt; & alternis alij prægrandibus opere cereo facibus ibant, alij flagris ſe cædebant ornatu pereleganti, alij ſanctorum reliquias baiulabant. Et hanc illorum pietatem, miraculo planè comprobare voluit, Optimus Deus. Cùm enim in morbum ex verberatione quidam incidiſſet, ac proinde pauperrimę familię victum aliquandiu quæritare omitteret; recuperatâ valetudine piſcatum exijt; opemque Deiparæ Virginis in loco poſtulauit, vt ipſa iacturam Dei causâ factam refunderet. Præcepta ſpes minimè fefellit piſcatorem; tantam enim mox piſcium copiam concluſit, quantam prius nunquam. Iuuenis ex eodem Sodalitio, cui Pater altercatione fuerat interemptus, vt declararet, quàm ſibi cordi inſtitutum ſuum foret, non modò ab vltione ipſe

6 (beside "In Aeglensi")
7 (beside "Iuuenis")

abſtinere ſe voluit, verùm & inimici malo grauitèr perculſus eſt, cùm illum in apparitorũ manus incidiſſe cognouit; Aiebat enim, hominem auguſtiſſimæ Deiparæ obſequio mancipatum decere, vt aduerſarij malis indolere, ità & cõmodis delectari. Et cùm mater iuuenis, iniuriâ pariter ac dolore victa, omnem quem ipſe faceret piſcando quæſtum, in viri nece perſequẽda profunderet; ſępenumerò eam cõmonuit, de ſententia vt diſcederet. Quod cùm illa facere recuſaret, à piſcatu ſe ceſſaturum edixit, niſi partâ pecuniâ ſatius vteretur: adeòque deinceps adduci nunquam potuit, vt opus faceret, donec acceptâ fide parentis, interfectorem omni moleſtiâ ſolutum iri intellexit.

8 Opificvm Sodalitas Collegij Barolitani ſecundo procedit vento, vtiturque Deipara, quam multis modis deueneratur, multis modis clemente. A cœtu quidam prohibitus (languidior enim in inſtituto curſu per faſtidium ad priſtina redierat) iter habuit de nocte procul ab vrbe; neque ſat ſcio, quo furore actus, impia verba cœpit dicere in Deum; cùm ecce tibi deformem repentè belluam, laceſſiti numinis vltricem, expoſcentemque conuiciatoris artus ad laniatum. Hîc temerarius ille ad ſe redire, deſertæque Virgini vota noua facere, atque Sodalitium redeundi propoſitum firmũ conciper. Quæ bona voluntas voto ferè citius, auertit ab homine periculum, & horribile illud ſpectrum quod ad mille paſſus fugientem ſequebatur, à trepidantis conſpectu ſe ſubduxit;

Digitized by Google

ille verò ſuſcepti conſilij memor accuratâ con-
feſſione totam vitam defleuit, Sodalibuſque
redditus frugi eſſe didicit.

IN AQVILANI verò Collegij Sodalitate 9
quę eſt nobilium,accidit hoc memoria dignum.
Quidam eques Hetruriæ ſub magno Duce mi-
litans,quadam die preces fundebat, nihil pror-
ſus,quod ſuarum partium eſſet, in eo negotio
deſiderari paſſus: & quoniam ne lacrymulam
quidem intimus eliciebat affectus,angi propte-
rea ille, ſeipſum obiurgare, velut qui ſuâ culpâ
areſceret. Auxit curam viro frater germanus,
ijſdem in ædibus, ſed non in eodem precatus
cubiculo, quem in fluuio propè lacrymarum
ſingultantem procul audiuit: cui cùm pinguem
iſtum, & ſuccoſum orandi modum, vir bonus
inuideret, ad ſuum ſpiritum tutelarem magnâ
verborum fidentiâ conuerſus: En,inquit,aridi-
tatem meam vides, nec miſereris: ſaltem enite-
re, vt frater illacrymans iuxta me, deprecetur
miſeriam meam. Comprobauit euentus peti- 8
tionem non fuiſſe inanem. Continuò enim ne-
ſcio quâ occultâ virtute compulſus eſt frater
illius, quamuis abſens & ignarus, ad obſecran-
dum pro miſero, cuius ſpeciem animo ſecum
circumferre ſemper videretur, ità ut eam re-
pellere non poſſet. O miram orationis vim ac
virtutem! cadunt è pumice guttæ, lacrymæque
aridum pectus emolliunt,& omnem animo lan-
guenti mæſtitiam detergunt.

Placet hic addere exemplum diuinæ iuſtitiæ, 10
quod Tropææ accidit in Italia. Quidam Soda-

litij transfuga, cùm gregales ſibi aſciuiſſet graſſatores & ſicarios, à lictoribus in eo comitatu deprehenſus, exitu diſſimiliore, quàm initia ſponderant, luit ſuſpendio ſuam defectionem.

11 IN LVSITANIA cultum Virginis ità reſtaurarunt, ſtabiliueruntque Sodales Funchalenſes, nemo iam vt ſit, cuius lateri non hæreat Roſarium, aut corona precatoria: quam religionem auxit mirus euentus. Nobilis vir ad ædem Virgini erigendam, ex vrbe ſecum abduxerat operas in ſyluam antiquam, vt inde robora ad deſtinatum opus cæderet. Cùm tota die opus feciſſent, ſub noctem ad vnum locum cõueniunt, quietis capiendæ cauſa: ibi cùm eſſent, ecce tibi in ſubiectâ valle faces conſpiciunt, non caſu errantes, ſed humano velut ductu alias alijs inſtantes. Mixtum admiratione horrorem ſpectaculum ciebat. Multa inter ſe (vt eſt admirantium mos) ſciſcitari, intenſius contemplari, coniectari. Dùm mutuis vocibus & oculis ſic rem explorant dubij, flammæ altius ſe tollunt, quas hàc illàc manifeſta monſtra tetra ac portentoſa ſpecie mouebant; è quorum membris artubuſque erumpebant ignium globi cum fœditate odoris intolerandi. Tremuere ad ſpectaculum viri; multoque magis, cùm ſe ab vmbris identidem peti arbitrarentur: & nunquam in vita maioribus timoribus oppreſſos ſe meminerant. Ergò cùm ſe tanto periculo prorſus inuoluendos crederent, vnàque inde cum ipſis flammis abripiendos, Virginem ſuam in præſidium vocant: implorationeque citius pe-

Digitized by Google

nè, faces, monſtra, periculum omne à ſe amoliuntur.

IN FRANCIA, dum quidam è Nanceiano B. Virginis Sodalitio, lateres concinnaret ad vrbis propugnacula, arcuati lateres, quibus inſidebat, vitium fecerunt: ille veritus ne ruinâ opprimeretur, ſe in foſſam lapidibus oppletam præcipitauit, implorato nomine ſanctiſſimæ Matris & Patronæ. Itaque ex edito loco ruit, viginti octo pedes alto; tantùmque abfuit, vt à ruina inuolueretur, vt domum reductus breui conualuerit. Quò autem ſalutem ferret acceptam ſecundùm Deum Virgini, accidit tribus poſt caſum diebus, vt eo ipſo temporis momento, quo Sodales pro Sodali ſuo precabantur, ſubitò doloribus, quibus ad id tempus pungebatur acerrimis, releuaretur, ſummâ voce exclamans, Virginem, non modò ſuam, ſed Sodalium etiam voces audiuiſſe. 12

BVRDIGALAE ſolebant antehàc Parthenici, ſtatis de more diebus carcerem, & Xenodochia inuiſere: nunc ea ratio inita eſt, vt quemque eorum ſemel tantùm vnoquoque anno ille ordo tangeret; ſemel item ad domum hoſpitalem iret. Vnus ſemper è Senatu familiam ducit, cuius in ædes reliqui conueniunt, partim cauſidici, & mercatores, partim ſcholaſtici. Ibi in vnum confertur, quod quiſque eleemoſynæ nomine erogare ſtatuit. Quinquageni nonnunquam aurei, quadrageni minimùm colliguntur. Fuit nuper cuius vnius ſymbola Francos quinquaginta effecit. Inde cùm ad er- 13

Digitized by Google

gaſtulum ventum eſt, habetur ab vno è Sodalibus, eoq; ferè ſacerdote, accommodata ad vinctos hortatio; ſub qua viritim cuique eleemoſynam porrigunt: tum ſi quid in commune cõſulendum eſt, quod in eorum ſolatium ſit, id ſtrenuè curatur. Si quis modicâ ſummâ redimi poteſt, continuò manumittitur; vt vnus nõ ita pridem, nummis aureis decem. Eadem lex ad valetudinarium euntibus dicta eſt. Namque vt in egentium ædes ingreſſi ſunt, collectis in vnum pauperibus percontantur, ecquid cuiq; ad frigus maximè arcendum, ſit neceſſarium. Refertur id in codicillos, & pro multitudine ac neceſſitudine, certus numerus pileorum, tibialium, calceorum, opificibus imperatur. Ijdem Sodales (quòd qui publico carcere attinentur, Miſſæ ſacrificio intereſſe nunquam poſſint) impetrarũt ab Illuſtriſſimo Cardinali, vt inter ipſa ſepta dominicis feſtiſque diebus ſacrum fieri liceret: locum proprijs impenſis ſe empturos receperunt. Et eſt collecta iam, in eam rem, ſatis magna pecuniæ ſumma; ſacelloque exædificando opera datur.

14 E PARTHENIORVM Collegij Lemouicenſis albo, quidam ſua culpa expunctus, dum Burdigalam aliquantò poſt contendit; ipſâ ſacratiſſimâ nocte, quæ Chriſto domino natalis, in ſylua, tenebris oppreſſus, frigore, cœlique iniurijs obrutus, ſolus ac deſertus moritur. Nam poſtero die neque vllum in eius cadauere vulnus apparuit; neque quidquam vel de pecunijs, vel veſtibus ademptum erat, ſed integra & ſalua

omnia aderant, ſola vita aberat. Alius dum cũ- 15
ctatur Sodalitium ingredi, in morbum incidit, atque eo tamdiu tenetur, donec cauſam morbi penitus ſuſtulit. Inductus in eâdem Congregatione diebus dominicis per aliquod tempus contemplandi vſus, mirum quantas animis delicias pepererit.

16 SCRIPTVM eſt anno proximè ſuperiori, cor argenteum, à Sodalibus Collegij Bizuntini Parthenijs, Deiparæ appenſum. Ne quid ergò inane, aut intermortuum obtuliſſe viderentur, hoc anno in ſuum anathema, ſpirãtes velut animos, infuderunt, dum libellum eleganter concinnatum, ſingulorum Sodalium nomina & promiſſa continentem, addiderunt, argenteâ thecâ reconditum: vt quod ore ſemel nuncupatum ab ipſis foret, æterno pignore teſtificarentur.

17 LOVANII vigent in tripartitâ Deiparæ Sodalitate, conſuetæ pietatis exercitia ad animaduerſam vſque mali dæmonis inuidiam. Is enim cùm à Sodali quodã, parochi munia obeunte, exorciſmis Eccleſiæ in energumenâ exagitaretur; multaque, ſi in os energumenæ digitos non conſecratos immiſiſſet, interminaretur; ille confidenter immiſſis, Age, inquit, fac quod à Deo, & Deipara tibi permiſſum fuerit. Tum ille infrendens: Nimis, ſubijcit, audax es ſacrificule, nimios tibi animos facit tua Deipara, quòd annos iam duodecim illi ſeruieris; parùm tamen abfuit, quin cultum eius antè ſeptenniũ deſereres; ſed expectatationem meam neſcio

Digitized by Google

quo pacto tùm fefelliſti. Affirmauit ergò poſteà idem Parochus, ſe totidem planè annis fuiſſe de numero Sodalium, & quidem deCongregatione deſerendâ,propter domicilij, vrbiſque mutationem, antè ſeptennium deliberaſſe: tamen
18 alia omnia amori in Virginem conceſſiſſe. Fuit alius, cui impactus publicè colaphus,maiorem ipſâ iniuriâ vindictam, ſuadebat, nempe percuſſorem dimiſſâ Sodalitate in frequentiſſimo iuuenum cœtu reuerberandum: ſed audita exhortatio, (erat enim peropportunè de condonandis iniurijs) & officij inVirginem memoria, animum hominis ad plenam iniuriæ condonationem inflexeruut.

19 Antverpiae, iuuentus, populus, optimates,copioſum ab octo Sodalitatibus, hoc eſt mille ducentis quinquaginta ſeptemSodalibus, tulere fructum. Vltimæ duæ,hoc primùm anno natæ ſunt, quasAntiſtes vrbis,ſacrâ manu ipſe conſignans,initiauit. Earum altera, Sodales variarum nationum, Gallicâ linguâ vtentium admittit: altera indigenas puerulos litterarum rudes continet, qui vbi in annum ſextum decimum adoleuerint,in vernaculam aliam maturiorum promouebuntur. E ſecunda Congre-
20 gatione florẽ ſibi B.Virgo decerpſit. Adoleſcẽs erat duodeuiginti annos natus,inter Humanitatis auditores, aut primus,aut primo proximus. De cuius virtutum exemplis,quæ bono ſint Sodalibus,viſum pauca é multis perſtringere. Retulit Pater, ſe plus tricies,eum & frigore rigidum, & fletu madidum, cùm media nocte &

hyeme, inter orãdum nudis genibus iunctiſque manibus obdormiuiſſet, in lectulum depoſuiſſe; miram quoque in eo morum maturitatem, cum inſigni parentibus ſuis obſequendi ſtudio coniunctam, obſeruaſſe; neque tantillum ſibi moleſtiæ, niſi fortè cùm ad extorquendam pro mendicis ſtipem eſſet importunior, ab eo illatum eſſe. Idem, quadriennio antè vltimum vitæ diem, omnibus ſabbatis in Deiparæ honorem, ſtatum ſeruabat ieiunium: adultâ verò ætate, à ſacra reuerſus confeſſione ad Matris ſe pedes abijciebat, veniamque delictorum, genibus flexis, enixè poſtulabat. Cùm per ingraueſcentem morbum à ſcholis abſtineret, ruri ſubulcos aut opiliones túm formationem S. Crucis, tùm prima fidei ſcitu neceſſaria, adiectis etiam præmiolis, edocebat; vt iam in agro ſuburbano ſancti pueri famam obtineret. Sacrum Miſſæ officium nullo vnquam die prætermiſit. Mendacium in puero, vel leuiſſimum, nullus aduertit: peſſimè eum habebat, ſi quis præceptoribus (quos mira ſemper obſeruantia ipſe coluit) negotium faceſſeret: nec infrequenter ex Magiſtro ſuo quærebat, quidnam Deo præſtare poſſet quàm gratiſſimum; vt iam tum videretur in vitę fugacis compendio, etiam compendia quęrere meritorum. Iam in magnis morbi doloribus pulchrâ erat patientiâ, & dies extremos ità 21
diſpenſabat, vt vno die ſe pro parentibus, altero pro ſcholarum Præfecto, tertio pro Magiſtris, deinde pro alijs, atque alijs, dolores ſuos Deo offerre diceret. Paucis antè mortem diebus,

Digitized by Google

Confeſſarij quem biennio precibus fatigauerat impetratâ facultate, B. Virgini in Aſpricolle votum perpetuæ virginitatis nuncupauit. Erat dies antè poſtremum vitæ diem nonus, cũ allatas ad ſe B. Gonzagæ reliquias, oculis, oſculiſque pietate pleniſſimis excipiens, Iam, inquit, ſcio verè, aut beatiſſimum meum Aloyſium, nonum abhinc diem, ſi animæ commodo fuerit, corporis integram valetudinem mihi à Deo impetraturum; aut morienti, in vltimo periculoſiſſimoque conflictu, ſtrenuum fore adiutorem. Præſagio euentus reſpondit, & cùm mallet benè mori, quàm diu viuere, melioris voti compos fuit.

22 IN BELGIO, illuſtre fuit Sodaliũ Collegij Inſulenſis in pietate exercitium, qui oblationẽ ſui, olim Deiparæ factã, eiuſdẽ Aſſumptæ feſto, poſt generalem peccatorum exomologeſim, & ſumptam Synaxim, lectâ ſolitâ oratione, & oblatis cereis, renouarunt. Singulis deinde Patronę ſuę feſtis diebus, ſeptem horarum prece, in totidem modò dolorum, modò gaudiorũ memoriã & honorem, communibus votis celebrarunt.

LEODII verò diẽ Patronæ ſuæ in cœlũ aſſumptæ hoc anno primùm ſolẽniore cultu Sodales celebrare cœperunt, & indulgentias ſibi cõceſſas cum vniuerſa ciuitate communicare, quæ adeò gratæ acciderũt, vt eo die cœleſti ſint epu-
23 lo excepti ter mille quingenti. Ipſa verò Virgo, clientum induſtriam nõ obſcuro miraculo videtur approbaſſe. Pannos lineos quatuor conopeo è ſacelli fornice ſuſpẽdendo, Sodalis cuiuſ-

dam vxor, commodarat. Interim maritus natus annos octoginta duos, in morbum lapſus, lecto affigitur: & iam tres ipſos dies decubuerat, cùm diſſuto conopeo panni referuntur. Vxor lauandos ſeponit. Poſtero die cũ nihilo melius haberet æger, recordatur illa pannorum in honorem Deiparę ſuſpenſorum; ſpeique plena aliquid per eos clementiſſimam Matrem efficere poſſe, vnum igni applicatum calefacit, calefactum mariti dorſo admouet. Mirum dictu: vix admouerat, & is omnem dolorem quaſi abſtergi in contactâ corporis parte ſenſit. Deinde alterum etiã calore imbutum pectori apponit; & ſimul in ea corporis parte doloris omnis ſenſus diſcedit. Rogat maritus ſopito dolore, quid ſibi factũ ſit: intellecto quod erat, ſurgit, & valetudinis firmatę beneficiũ, illi aceptũ fert, cui debuit.

E GRAECENSIS Collegij Sodalibus fuit, qui conſtanti reprehenſione, miniſque diuinæ vindictæ, hæreticum hominem vetitis diebus carnes vorantem, conuicia in Deiparam & blaſphemias euomentem, eò tandem compulit, vt Collegium adiret, ſcelera panderet, Catholicus fieret. Minimè erubuit vir nobilis, manuque promptus, puero ſe, ad fidem mutandam, vſum eſſe auctore, & magiſtro. 24

OLOMVCENSES, quo tempore de pace agebatur inter Rudolphum Imperatorem Romanũ, & Matthiã Regẽ Hungariæ, tantum ſtudij in ſupplicationibus poſuerũt, vt cẽtũ alij roſaria, alij plura pro ſecũdo tanti negotij euentu offerrent; præter alia complura id genus pia opera. 25

Ibidem puerulus ex Reginæ Angelorum Sodalitio, per plures ieiunij magni dies, cibario pane contentus eſſe maluit, quàm carnibus veſci. Idem aliàs, cùm à Patre ſuo ſollicitaretur, id vt die quodam ſabbathi ageret, neglexit, quamuis interdum non ſine tergoris ſui aut periculo, aut incommodo. Cui cùm ſtomachabundus diceret pater: itàne verò te parentibus obedire docent Ieſuitæ? ego imò verò obedio, reſpondit puer, nam & Eccleſia Mater eſt.

26 COLONIAE, vni licet hæretico ſaluti fuit, Matrem Dei grauiſſimo in vitæ periculo implorasſe: qui voti damnatus, primò ad ædem Lauretanam peregrinatum ijt: & indè redux, hîc auitam fidem edoctus, & amplexus eſt. Nec multò poſt, ſacris meditationibus exercitus in Collegio, omnes in ſui aſpectum, affectumque rapuit; ità vt inde digreſſus, alium cilicij vſum docuerit, alij exercitiorum ſpiritualium vſurpationem perſuaſerit. Ad hæc in album Parthenicorum relatus, nudus pedes, pœnitentiæ habitu, in ſupplicationem proceſſit. Tandem etiam abruptis veterum Sodalium commercijs, quod alij tempus inter nugas tranſigebant, ille magnâ animi firmitate bonarum rerum cogitationi, lectionique impendit. Gemellus penè alter, ab vſque mari Bætico oriundus, cùm biennium ipſum varijs diſceptationibus extraxiſſet, ceſſit tandem veritati. Is nuper cùm lacrymans ſacro Chriſmate confirmaretur, ipſi etiam Antiſtiti lacrymas exciuit. In Sodalitatem Partheniam, & ipſe adlectus, cimelia quæ vani-

tati ſeruierant, Virgini Matri anathema fixit. Cæterùm, ex Parthenijs Colonienſibus vnus, 27
magni Ioſephi factum, repudiato ſceleris precio renouauit: alius domandę carni, nodoſum truncum ſubdidit ſibi, ad quietem decumbenti: alius item copioſus & locuples, certo per hebdomadam die, mutato ſub veſpertinum crepuſculum habitu, ſtipem domatim collegit. Illud porrò precium erit adijcere. Sodali è patria Coloniam redeunti, quo tempore militares copiæ omnem prouinciam populabantur, ad ſyluæ cuiuſdam ingreſſum, atra ſeſe equitum nubes obiecit. Ille turmas prouinciales ratus, deſertâ regiâ viâ, in penitiores latebras ſe abdere: moxque aliud ex oppoſito agmen videt, quaquauerſus omnem ſibi exitum præcluſiſſe. Hîc in tanto periculo deprehenſus, &, quod res erat, ſupra humanum quiddam ſuſpicatus; implorato Deiparæ præſidio, ductâque per frontem ingenti cruce, tartareas illas acies diſſipauit.

CRACOVIAE in domo Profeſſa ad 28
B. Barbaram, cùm alij æſtiuo tempore à cœna otioſis inambulationibus indulgere ſolent, Sodales altare, Deiparæ effigie celebre, frequentant: quos & mirati, & imitati de Academica iuuentute ſæpè complures. Idem præſtitere circa venerationem B. Ioannis Cantij S. Theologiæ doctoris, viri ſanctitate & miraculis hoc loco celeberrimi. Fuit adoleſcens annorũ ferè 29
viginti, qui vix cœtui adſcriptus Parthenio, eâ contentione cœpit Patronam ſuam deuene-

rari, vt pientiſſimos quoſque pietate anteuer-
teret; & cùm primus inter æquales cubitu ma-
nè ad precandum ſurgere conſueſſet, ſingulis
noctibus in ſacello ſui contubernij, preces co-
ram Virginis imagine funditabat; nihil terri-
tus importunis Cacodæmonum ſtrepitibus,
quibus eum frequentes ab incœpto auocare
contendebant. Non ſemel, circa matutinum
crepuſculum, obtulit ſe illi per quietem ſpe-
cies auguſtiſſima Deiparæ, in horto quaſi flo-
rum mirabili varietate conſito; & aliquamdiu
magna cum eius voluptate permanſit, auditâ
ſubinde voce cuiuſdam, eum ad tantæ Virginis
venuſtatem contemplandam, ſuſcitantis. Ex
eo tempore ſabbati diebus in honorem Vir-
ginis, à cibo terreſtri ſe abſtinere, & cœleſtem
30 ſumere, hodieque perſeuerat. Alius eiuſdem
Patronæ cliens, idemque è primarijs in Acade-
mia hac Profeſſoribus, magnum etiam aliquid
in ſomno vidit. Cùm enim publicas ſuas lectio-
nes ſemper inuocato Dei, Deiparæque nomi-
ne auſpicaretur, laboreſque ſuſceptos ad v-
triuſque gloriam, & honorem referret, offerret-
que; nocte quadam nomen auctoris illius pro-
fani, quem ſemeſtri illo auditoribus publicè
prælegebat, litteris magnis aureiſque expreſ-
ſum, atque in altari auguſti cuiuſdam templi
appenſum conſpexit; quod tùm mirificè ſpe-
ctantem recreauit, tùm ad pietatem eam fo-
uendam augendamque, magis accendit.

31 PVLTOVIAE quibuſdam è Sodalitio per-
actæ Confeſſiones, alij commentationes B.

Ignatij, turbas mentis cõpeſcuerunt. Adſcripſit eidem ſancto puer Parthenius, valetudinem ſuam priſtinam, quam ab eo precibus, argenteâque tabellâ ad ſepulchrum eius Romanum mittendâ, impetrauerat. Fuitque cæterorum adoleſcentium præcipuè qui in commilitio Virginis cenſentur, mirus in pietate profectus. Paſcere pauperes, ſepelire functos, octauo quôque die conſcientiam emaculare, in neminem niſi in ſemet & tergora propria funiculis ſæuire, illis iam more fit. Diebus vacationum, antequam animi relaxandi cauſâ, progrediantur ad campos; ſolent illi pro ſcholarum veſtibulo conuenire, factâque ibi arbitrariâ (prout cuiuſque fert facultas) penſione, coëmptiſque inde panibus, coactos vndique pauperes reficiunt, rudimentis Chriſtianæ doctrinæ imbutos. Nec iam pudet ſequi ex Clero viros, quà pueros tanta alacritate cernunt præcedere. Nec verò ferre poſſe in ſua hac familia degenerem, ipſa Dei Mater videtur, quin eum maternâ, vt ſolet, caſtigatione emendet; quod exemplo conſtat. Quidam ex Sodalitio, die ſacro aſſumptæ Patronæ, eques iter ingreſſus, negotijs profanis poſthabuerat ſacrum Miſſæ officium; ſimulque communionẽ, ad quam eo die ex legibus ſuis accedere debebat, neglexerat: qui paulùm à templo profectus, repentè quodam quaſi fulmine de cœlo ictus proſternitur, grauique adeò caſu affligitur, vt mortuo ſimilis, & à mente non minùs quàm equo deiectus, ſex integris horis, humi

aquis pluuijs penè obrutus, iacuerit, equo interim fugâ dilapſo. Poſt tantum temporis interuallum, cùm ſe nonnihil collegiſſet, ad proximam tabernam ambulauit, de fuga equi, cui reculas ſuas & pecuniolam impoſuerat, multùm ſollicitus. Tandem ſubijt animum cauſa mali, dataque admiſſæ negligentiæ vindicta. Conuerſus itaque ad clementiam Virginis, veniam rogat; quod dum facit, curriculò ad hoſpitium venit equus, ſed ſarcinulâ, atque adeò ipſo ephippio leuatus: quaſi diceret ſe fugiſſe, vt equitem ſuum omiſſi officij cõmonefaceret; rediјſſe, vt exoratæ Virginis miſericordiam demonſtraret; ſarcinam & pecuniam perdidiſſe, ne diuina quiſquam ſacris diebus impunè ſe neglecturum ſperaret.

34 CAESARAVGVSTAE, Sodali nobili ex Rhetorices palæſtra, colaphum quidam inflixerat, à quo nihil aliud iniuriarum vel accepit, vel audiuit, quàm illa Chriſtiano homine digniſſima verba: Inter Sodales Marianos numeror: quapropter hoc mihi, & quiduis aliud, æquo eſt animo perferendum.

35 HISPALI, è Parthenio clericorum Sodalitio obtinuit à Rege Philippo vnus, vt publicum ergaſtulum (triremem appellant) ædificaretur, in quod flagitioſæ mulierculæ, ſcelerumque conuictæ conijcerentur, quibus ex Sodalium liberalitate neceſſarius victus tribueretur. Quare tantum timoris iniectum eſt illi hominum peſti, vt mulierculæ complures collectis vaſis Hiſpali exceſſerint. Quæ remanent,

ad

ad frugem ſe omiſſâ libidine recipiunt: & patronum ex iiſdem Sodalibus habent, qui incluſas corrogatâ ſtipe ſuſtentet, curetque de cætero, ne quid vel animæ deſit, vel corpori. Quibus pietatis ſtudijs cùm Sodales iſtos maximè delectari intelligeret Archiepiſcopus; non alios magnæ pecuniæ ſummæ præficere voluit, quam pauperibus occultioribus, & ſtipem petere erubeſcentibus aſſignauit diſtribuendam. Aemuli iſtorum viri nobiles, qui diuerſum cœtum cõſtituunt: quâque dominicâ binos in orbem nominant, qui per eam hebdomadem patrociniũ pauperum ſuſcipiant, captos pretio redimant: fitque nonnunquam, vt octo dierum ſpatio, amplius quatuordecim, horum Sodalium operâ liberentur.

CORDVBAE audierat vnum è Societate narrantem Sodalis; ad corporis laſciuiam compeſcendam præcipuè valere annulum, litteris *Aue Maria* inſcriptum, ſi eodem quis Virgini ſe quodammodò deſponſaret: id quod exemplo demonſtrabatur. Voluit ergò, & ipſe experimentum huius rei facere, & contrà eaſdem moleſtias eodem remedio vti; quod ità ſucceſſit, vt hominis naturam ea in parte prorſus exuiſſe ſibi videretur. Clementiſſimæ huius Matris operam ſenſit alius, qui à ſpe neſcio cuius boni deiectus; cum eâdem ſpem vitæ decreuit abijcere. Ità mœſtus in ſuburbano agro, cùm facinus meditaretur, in ea verba prorupit: Vſque adeò miſer ego ab omnibus rebus deſtituor, vt ne diabolus aliquis præſto ſit, qui laqueum mini- 36

ſtret interituro? vix hæc abſoluerat; cùm ecce collo in laqueum inſerto, in ſuſpendium trahitur, nemine vſpiam parente. Sed ille, cùm rem ſeriò iam agi ſentiret, tum primùm dictorum verborum cœpit pœnitere, & fidem beatiſſimæ Virginis toto affectu inclamare. Et verò exauditus eſt. Nam conſtringentis laquei nodus, illicò laxatus, liberum eum permiſit abire: qui rectà ad Collegium ſe contulit; rem omnem ingenuè detexit; ac ne delyrantis ſomnium putares, laqueum ipſum oſtendit.

38 E Mexicani Collegij Sodalibus, vnus eâ cum Deo familiaritate perfruitur, vt animas pro quibus ſupplicat, ex igne ad cœlum volare ſubinde conſpicetur. Vir probatæ fidei, dignus planè cui vel iniurato credatur, ſe vidiſſe aſſeuerauit è Sodalium numero quendam ſyderum varietate ac ſplendore circumfuſum radiare: quod mirum non adeò videatur illi, qui horum cœtuum pro virtute contentiones cognouit, frænis potius quàm calcaribus indigentium.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 1611.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis 47.

LOVANII in Belgio, is fuit omnium in quadripartitâ Sodalitate, in Diuam Matrem affectus, qui viciſſim maternum in ſe animum rapere potuit, nec non ſingularia quædam inuſitati fauoris argumenta, ab illâ expreſſit. Inciderat in morbum medicorum iudicio moleſtum magis, quàm periculoſum, Sodalis quidam, Sacerdos ac Theologus, vir doctus & grauis; ſuaſerunt medici, vt ad hebdomadas aliquot in patriam proficiſceretur; profectus eſt, ſed præter ſpem magis magiſque languere cœpit. Itaque poſt paucos dies, ſororem ad ſe vocat horâ ſatis intempeſtiuâ, rogatque, vt abſque morâ extremo viatico ſe communiri curet: cùmque omnes affirmarent, nihil opus eſſe feſtinatione, id præſertim temporis, nulloque adhuc vel in ſpeciem appa- 1

rente mortis periculo, inſtitit ille rurſus, dixitque vix duas ſibi horas vitæ reſtare: adfuiſſe ſibi beatiſſimam Virginem, & poſt gratiſſimam conſolationem monuiſſe, vt ſe intrà duarum horarum ſpatium ad æternam mutui conſortij beatitudinem compararet. Paruit ergò ſoror, perculſa tam inopinato reſponſo. At ille munitus Eccleſiæ Sacramentis, integrâ ad extremum vſque ſpiritum mente, tanto pietatis ſenſu ad optatum beatarum mentium, Matriſque dilectiſſimæ conſortium, ſe comparauit; vt circumſtantibus omnibus, qui è vicinia frequentes cõfluxerant, lacrymas excuſſerit, donec tandem vix alterâ horâ elapſâ, fauſtis omnium votis proſequentibus deceſſit. Itaque gratulatur hic ſibi, ni fallor, de adeptâ per matrem miſericordię, æternâ illa vitâ. Alius autem, & ipſe Sodalis,
2 præſentem hanc, eâdem interueniente, ſibi relictam profitetur; qui diuturnâ atque ardenti febri, raro pietatis exemplo, præſidibus Collegij ſui, ipſique medico erat admirationi. Is ad extrema iam redactus, cùm deeſſe videret humana, ad diuina præſidia intenſius animum cõuertit. Iubet, aliquot ſegmenta quercus Diuæ Virginis Sichemienſis dilui, rogatque præſentem Confeſſarium, vt potioni ſolitâ formâ benè precetur: tùm vitrum manu tenens, defixis oculis in imaginem ex eodem ligno, votum Diuæ Sichemienſi concipit, atque ità ebibit. Vix caput in puluillum declinauerat, mox Rectorem Sodalitatis magnâ voce compellat, ac roganti quomodo ſe haberet: Sacrum, inquit, illud

Digitized by Google

lignum mirificè me exhilarauit. Deinde ſacro oleo confeſtim vnctus, ità repentè mutatus eſt, vt Patres Collegij qui vigilaturi aduenerant, omni curâ ſoluti, domum redierint. Ille paulatim ſibi reſtitutus, ſanitatem ſuam Diuæ Virgini etiamnum acceptam refert.

3 DVACI quoque habet Virgo cœtum ſuũ è ſelecto iuuentutis flore conflatum, qui trecentis ſexaginta & amplius capitibus cenſetur. Horum tantâ charitate, tanto animi ardore vnus ê Societate Pater curam geſſit, vt omnes communi conſpiratione, grauiter illi ægrotanti mille & octoginta roſaria, totidemque *Veni Creator*; Conſultores verò viginti octo ſacrę menſæ communiones, ſanitati à magnâ Matre impetrandæ obtulerint; hæcque ſua vota in publicas tabulas emblemate vermiculato retulerint. Neque hîc ſtetit grati animi ſignificatio. Cũ enim die Veneris vitâ exceſſiſſet, ipſo Dominico Sodalitatis aulã pullis pãnis veſtierunt, quos mortis, & B. Virginis inſignibus, hinc inde luculenter aſperſerant. Pararat & vnus orationem funebrem in fũcti laudes; ſed obſtiterunt pro ſua modeſtia Patres Collegij. Alternis tamen vicibus per diem integrum ſubeuntes, & horâ quintâ confertim omnes, pro eius anima preces fuderunt. Lecta ſunt & epicœdia in aulæ ianuâ fixa. Quæ cùm inſcijs Patribus ingenioſus adoleſcentum ardor excogitaſſet, prohiberi eorũ aliqua, & ſi certè potuerint, omnia tamen ad communem doloris ſenſum non debuerunt. Proximis ergò diebus quàm magnificentiſſimo

potuerunt apparatu, funebre miſſæ ſacrificium pro demortui, vel potius iam viuentis ſalute, indixerunt; & viginti aut amplius funalibus, quæ à nobilioribus geſtabantur, cohoneſtarunt.

4 E Collegio Brugenſi, iuuenis quidam cum hecticâ febri alterum iam annum cõflictatus, medicorum iudicio properabat ad mortem; ſed Sodalitatis ineundæ propoſito, & peregrinatione ad B. Virginem Aſpricollenſem ſuſceptâ, exiguo tempore ità valetudini eſt reſtitutus, ac ſi tentata ea fuerit nunquam. Cùm adhuc honoratiores viri ac nobiles ſibi dedecori penè ducerent, ſi eorum quiſquam in ſolemni ſupplicatione, ſanctiſſimo Chriſti corpori manu præferret facem (famulos enim & pueros id officij præſtare iam moris erat) nunc Sodaliũ exemplo ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſacro die, nouo ipſi diuini honoris incenſi ardore, facibus è purâ cerâ inſtructi prodiere in publicum ex ipſorum numero propè ducenti.

5 Insulis, ſtudioſorum Partheniorum vnus, generoſo & nobili inprimis facto claruit. Suborta cuidam adoleſcenti fuerat ſuſpicio, apud præceptorem ab iſto ſe delatum. Graſſante igitur animi dolore, grauiſſimo in eum odio ſic exarſit, vt ne quidem æquis oculis aſpicere poſſet; ac tandem, quam volebat nactus occaſionẽ, coniectâ in faciem manu ei colaphum infringeret. Nihil ea moderatum iuuenem iniuria cõmouit, nullum ei animi dolorem expreſſit aliũ, quàm quo cædentis, & crimen, & miſeriam deploraret. Eâdem ergò die ſub noctem, cùm ne

ſic quidem aduerſarij odium exſaturari perſpiceret, in eius cubiculum penetrans, humo aduoluit genua; & cuius immunis erat culpæ veniam deprecando, tamdiu ſe terræ affixit, donec efferatam eius mentem generoſo facinore demulceret.

IN COLLEGIO Cameracenſi, Partheniæ Sodalitatis inſigne fuit incrementum. Nam cùm duo ſint hîc prima capita, Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus, & Regius gubernator, qui vrbem Cameracum, eiuſque ditionem, armis, militeq; defendit; uterque hoc anno Deiparæ Virginis Sodalitati nomen dedit. Et huius quidem virtute, quam hebdomadaria in templo Collegij confeſſione oſtendit, Præſidiarij complures attracti, octauo quôque die animum ſordibus expurgant, ſanctiſſimoque ſacramento roborãtur. Illuſtriſſimus etiam Archiepiſcopus paulò poſt ſuum in vrbem ingreſſum, beatiſſimæ Virginis patrociniũ in eâdem Sodalitate complexus eſt, eamque auctoritate ſua aduerſus obtrectatorũ maledicentiam tuetur, & ſuo ſplendore adauget. Inſequutus eſt hunc, admodum Reuerendus Sancti Auberti Antiſtes, multique alij viri, tum nobilitate, tum alijs titulis inſignes. Fœliciſſimis hiſce Sodalitatis incrementis deſideratiſſimum complementũ impoſuit illuſtriſſimus D. Guido Bentiuolius ſummi Pontificis in his partibus Nuntius cum poteſtate legati à latere; qui rerum famâ excitatus, præſens conuentui interfuit, finitâque oratione, vndecim diuerſis linguis à ſcholaſticis exceptus, indulgentias 6

Congregationi liberaliter donauit, eamq; ſuauiſſimè compellans, ac ſtudium ſuum, & in vrbe, & in Belgio ampliſſimè pollicens, omnium animos erexit.

7 LEODII, fuit ex Parthenijs, qui arduum B. Ignatij facinus auſus eſt æmulari. Videbat ſuſpectum ſibi iuuenem, ad virginem quandam hoſpitis ſui filiam, cuius nimiam cum eodem familiaritatem frequenter aliàs verbis caſtigauerat, adijſſe, ſéque in locum arbitris haud ità peruium abdidiſſe; ratus, vt erat, periculoſæ plenum opus aleæ, ad preces confugit, depoſitoque thorace in ſeipſum ſæuiens, benè largum à tergo ſuo cruoris imbrem elicit, quo impurum alterius ardorem extinguat. Nec factum diſſimulat, ſed arreptos adhuc ſanguine madentes funiculos, ei cuius cauſâ res agebatur, oſtendẽs: Diſce, inquit, miſera, vel fuſo ſanguine ſeruandam, quam Chriſtus redemit animam. His ego memet malè mulctaui modis, vt imminentem capiti tuo ruinam propellerem.

8 LVXEMBVRGI, cùm Arlanum antè annos aliquot ab Hollandis fraude interceptum ſpoliaretur, agreſtis quidam, ſingularis Deiparæ cultor è Sodalitate Parthenica, in eâdem cum cæteris calamitate conſtitutus, quinque Philippęos Imperiales in manus ſecum accepit, vt ſi in hoſtem fortè incidetet, hoc ſe quaſi lytro redimeret: ſed mox facti pœnitens ad tutiora cõſilia adiecit animum; commendauit, inquam, ſe D. Virgini, cuius & præſidio munitus, ità per medium prædantium agmen penetrauit, vt ne

grauiori quidem verbo à quoquam fuerit læſus, aut appellatus.

9 VIENNAE quoque, Baro Tranſyluanus, à Principis ſæui & capitalis hoſtis ſui militibus aſtu circumuentus, vique captus, iam ad certũ exitium rapiebatur, cùm omni humanâ ope deſperatâ, ad vota recurrit; &, ſi B. Virginis auxilio ex eo periculo eximeretur, Sodalitati eiuſdem S. Matris ſe nomen daturum vouit; mox inde exemptus, & ab omni periculo liberatus eſt.

10 E SODALIBVS Collegij Labacenſis, extitit, qui pro duobus in fide hæſitantibus à Paſchate vſque ad Corporis Chriſti Domini feſtũ diem, quotidie certas preces fudit, & vt ijdem, die eâdem ad confeſſionis & communionis Sacramenta accederent, impetrauit.

11 IN SODALITIO Parthenico Treuirenſi, damnatus aliquando acriori oratione luxus, qui natalitio cuiuſque die, in gratiam amicorũ aliorumque, qui ope iſtâ non indigent, profunditur; honeſtiori ratione, vt ad pauperes deriuaretur, commonſtratâ: quod conſilium ijs auribus acceptum eſt, vt mox vnus alijs facem ad egregium facinus præferret; dieque ſuo natali (is erat B. Ioanni Euangeliſtæ ſacer) prandium opiparum inſtrueret, ad quod duodecim pauperes, ætate, & mendicitate inſigniores adhibuit. Alius item Sodalis, cùm ab vrbe procul 12
in quibuſdam patrui negotijs verſatus, intellexiſſet, parentem ſuum, ità graui morbo repentè occupatum eſſe, vt tantumnon pro mor-

tuo haberetur, voto pro eius ſalute facto, eundem ſeruauit. Cùm enim vouiſſet, parenti, ſi conualeſceret, auctorem ſe futurum, vt inter Parthenios nomen profiteretur, confeſtim & Virgo ſanitatem reddidit parenti, & filius Virgini ſuum votum.

13 HEILIGENSTADII in Germania, tanta vnius è ciuicâ Sodalitate fuit charitas, vt vicini contagione peſtiferâ demortui cadauer, humeris ſublatum, ſepulchro intulerit. Ciuis alius Parthenius qui diu lecto affixus iacuerat, cùm vix à ſuis impetraſſet, vt in Montem quem vocant adiutorij deduceretur, ſenſit in ipſâ viâ vires ſibi paulatim reſtitui; eaſdemque peregrinatione abſolutâ integrè reparari.

14 CONFLVENTIAE verò, cùm quidam è Sodalitio Virginis cum familia vniuerſa graſſans venenum hauſiſſet, nec qui malo medelam quæreret, reliquus foret; Sodalitas è cœtu virum nominauit, qui decumbentibus adeſſet, & ne quid ad animum, corpuſque pertinens deſideraretur, adlaboraret. Poſtulabat ſimiliter hoc viri virtus & probitas; vt qui nocturnis diurniſque precibus deditus, aſſiduè cœleſtia voluebat, corpus ieiunijs macerabat, alia præſtabat quæ paucorum ſunt. Quo in exercitio cùm verſaretur, & prementem fortunæ ſarcinam grauius ferret (ære namque alieno aſtrictus benè magno tenebatur, ob lares nõ ità pridem incendio vaſtatos) in iſthæc prorupit verba: Aut, bone Deus, hoc me debitorum onere ſubleua; aut vitam, quam mihi meiſ-

que conceſſiſti, ſi placet abrumpe. Audijt rogantem Deus, atque ipſum totamque ſimiliter familiam nocte eâdem ſtrauit, & ijs curarum fluctibus clementer exêmit. Alius cùm iam animam agere videretur, & circumſtantium cura eſſet maior: Nihil, inquit, vos eſſe ſollicitos volo: non hinc migro, niſi beatiſſimam Matrem, dominam, ac patronam meam, atque S. Franciſcum vitæ meæ cuſtodem conſpexero. Die ſubſequenti, cùm reſpiraſſe nonnihil appareret, ſubitò exclamat; ſatis vixiſſe ſe, obeundum ſibi: itâque vale dicto emigrauit placidiſſimè.

CRACOVIAE in Polonia, iuuenes duo, 15
qui à Sodalitate Partheniâ ſeceſſerant, liberiorique viuendi generi animum applicauerant, gregales ſuos non minùs improbos ſequuti, in tumultu contrà hæreticos excitato, miſerè occubuere. Et alter quidem annorum circiter octodecim, glande traiectus, ſine confeſſione, aut vllis pœnitudinis ſignificationibus, repentè expirauit: alter autem viginti annorum duorum iuuenis, aliquoties ſaltem intra annum cum Sodalibus confiteri ſolitus, id videtur à Deipara, eiuſque tutelaribus impetraſſe gratiæ, vt vocato ad ſe Congregationis Patre, anteactam vitam palam deteſtaretur, Sacramentiſque omnibus ritè munitus, decederet cum ſpe: illud D. Auguſtini inter dolores ſæpius ingeminans. *Hic vre, hic ſeca, vt in æternum par-* 16
cas. Seruatus in vita, caſu planè mirabili, alius quiſpiam adoleſcens fuit: is dum libris

intentus, ſuo in muſæo, neſcio quid elucubrat ad lucernam, globo plumbeo fiſtulæ petitur per feneſtram: ſed quia tum fortè demiſſius in librum caput inclinabat, ità globus venit, vt vertice incolumi ſolos capillos ſtringeret, adureret, & præter fœtorē nihil incommodi relinqueret B. Virginis clienti. Non alio clypeo tectus alter, ſimili diſcrimine perfunctus eſt, globo hoſtili in veſtem illapſo; quod vt Marianæ tutelæ adſcripſit, ità mores quos antea habuerat laxiores, emendare, ſerioque
17 virtutis ſtudio cœpit adſtringere. Ad hos pertinet ille quoq; adoleſcens, qui ab aliqua fœmina perditè amatus, eò iā peruenerat, vt propinquius periculum videretur, quàm, vt eo ſe poſſet expedire. Conſuêrat ille in honorem Deiparæ, officium ipſius, à biennio, quotidie recitare; & quartum inſuper in hebdomada diem, præter ſabbathum, ieiunio per quàm religiosè conſecrare. Huic nocte quadam dormienti, ſub ipſam auroram ſpecies auguſtiſſimę Deiparæ obijcitur; alterâ manu ſertum viride geſtantis, alterâ ipſius quoque manum apprehendentis, & ad montem quendam amœnum deducentis, non ſine amicâ verborum inuitatione. Secutus adoleſcens, illud capiti ſuo ſertum imponi mox ſenſit. Tum ſomno ſolutus, ità ſe affectum reperit, vt à lacrymis vbertim fluentibus, in commemoratione eius rei, temperare ſibi non poſſet. In primis verò caſtitatem maiori multò diligentiâ ſtudioque
18 proſecutus eſt. Alius, vbi nomen Sodali-

tati dedit, eam vitam viuere cœpit, quæ pulcherrimarum virtutum illuſtrata decore, alios quoque ad honeſtatem inflammaret. Huic eidem, aliquot poſt hanc vitæ mutationem menſibus, in cubiculo preces Virgini Matri fundenti, mediâ luce tenebriones ſtygij ſex in conſpectum venere, terribiles vultu formâque; quorum conſpectis pedibus adeò conſternatus eſt, vt oculos attollere non auderet amplius, donec peropportunè meridiano ſalutandæ Virginis ſigno audito, ipſæ laruæ euanuerunt, quòd ad ſacrum illum campanæ pulſum conſiſtere diutiùs non poſſent. Admiſſus alius à ſuo familiari adoleſcente hæretico ad bibliothecam nobilem demortui parentis, celeberrimi in hac prouincia hæretici, cum facultate ſeligendi ex ea libros quoſcunque vellet; ità agere inſtituit, vt cùm plurimos manu ſcriptos hæreticâ libros in flumine vicino demergeret, non pauca volumina typo expreſſa ſecum aſportaret, & viris religioſis traderet. Reſtituit denique, vt creditur, precibus ſuis valetudini priſtinæ Sodalem vnum, B. Staniſlaus. 19

Pvltoviae feſta fuit præcipuè B. Ignatij dies, cui deditiſſimi Parthenij multa vota vltrò faciunt, multâ eum veneratione proſequuntur. Quidam Ignatij, caſtimoniæque ſtudio inflammatus, procacem à ſe fœminam pugnis abegit. Vſus illis cilicinæ veſtis pluſquàm familiaris eſt: acri, & frequenti animaduerſione in ſe vtuntur. Bis hoc anno ſolem- 20

Digitized by Google

ni epulo excepere pauperes: nec ſumptus modò in eam rem contulerunt, verùm & cibis coquendis, menſis apparandis, obſequijs denique omnibus exhibendis, ſumma charitate, voluptateque operam ſuam impenderunt. Cui liberalitati non diſſimilis animorum in eis eluxit demiſſio: ter ſiquidem pauperum abluerũt pedes, certatim deoſculati ſunt, feruore vtique commendabili.

21 BARCINONE, ſtudioſorum Sodalitas ad eas quas habet cum cæteris communes exercitationes, in ſuo ſacello vacat mente aliquantulum Deo: quæ conſuetudo, magno optimorum iuuenũ progreſſu, inualeſcit. Obijt ibidem fœliciter Sodalis vnus, magno ſuæ virtutis poſt ſe relicto exemplo. Erat pius & ardens; obuios quoſque ad Dei amorem inflammare adhortãdo, & ad omnẽ virtutem accendere morem habebat; ſuadebat, quantum vitæ cuiuſque ratio pateretur, rerum cœleſtium contemplationi, & conſcientiæ examini aliquid tribuerent quotidie. Quæ conſilia non tàm voce, quàm exemplo dabat; quatuor enim ſolidas horas Deo vacabat, vitamque rigore & aſperitate plenam traducebat. Moribundus ad vnum è Collegio cõuerſus: Quanto gaudio, inquit, perfundor Pater! vix capit lætitiam animus.

22 MONTELLENSIS Collegij Sodalium eæ inter alia ſunt partes. Bini in orbem ſingulis ſeptimanis curam Xenodochij ſuſcipiunt, qui è ſtipe, quam precariò colligunt, altero quoq; die mendicos reficiunt, aquamque ſufficiunt in ſin-

gulos dies. Ad hæc, vt extremo peregrinorum frigori, qui nudo in ſolo cubabant, ſubueniretur, magnum ſtorearum numerum coëmerunt: lectoſque duos compararunt, quibus ægroti & iacere commodius, & Euchariſtiam ſuſcipere decentius poſſent. Nam huc vſque viliſſimo grabato, humique ſtrato decumbere ſolebant. Diſcedentibus præterea peregrinis honeſtum commeatum præbent. Nec vinctorum obliuiſcuntur, quos prius à Patribus pro concione viſitatos, peccatiſque abſolutos, & epulo ſacro paſtos, cibo ipſi humano identidem reficiunt.

BAESANA opificum Sodalitas eum virtutis odorem de ſe ſpargit, vt illius ſuauitate, vicinorum oppidorum complures inquilini attracti, ijs ſeſe adiunxerint: quin omnes ſimul hoc anno, ad cætera pietatis opera, pretio aureorum triginta ſupra centum, inſignem ſanè crucem è marmore, altam pedes triginta duos, ad forum lignarium (quod totius vrbis eſt princeps) loco illuſtriore collocarunt, magna bidui continentis celebritate. Quæ res ità Senatui arriſit, vt publico decreto iuſſerit, ne forum illud in poſterum lignarium, vt huc vſque, ſed Crucis vocaretur. Hoc exemplo excitati ciues alij, alias in celebrioribus vrbis locis, ad quadraginta, erexerũt. Inter eas illa eminet, quam ſumptu aureorum nonaginta, ex marmore, ad aream templi Collegij, ſcholaſticorum Sodalitas erexit. Ex ea re, inter alia, is fructus eſt cõſequutus, vt mos ſubſidendi in genua ad ſalutationis Angelicæ pulſum, qui obſoleuerat, crucis iam conſpectu 23

24 renouetur. Vtrique Sodales, cùm inſtituti munia aſſiduè frequentant, tùm illi quidem bis ſingulis hebdomadis, ter quadrageſimæ, diuerberationem obeunt. Hi verò quotidie ſub veſperam piæ lectioni, ſupplicationique, ac contemplationi vacant; natu porrò atque auctoritate maiores, carcere incluſos, corporis animique cibo paſcunt aliquoties. In quo magni exẽpli fuit, videre bacchalaureatos artiumque Magiſtros, ipſis ferculis ac lancibus onuſtos, per vias vrbis publicas incedere.

25 FREGENALENSES Parthenij de more ſortiebantur Diuos initio menſis. Aderant omnes eâ religione ac reuerentiâ, quam facilè ſpectantibus plurimis inijcerent. Vnus tantùm aderat impudens adoleſcens, vt profanus è via ſpectator: is non ſatis piè de tam pio opere ſentiens; Patres, ait, hi ſchedulis iſtis ludificare homines volunt. Non tulit impunè dictum: haud ità multò poſt, vulneribus confoſſus, cõfiteri potuerit necne Sacerdoti, qui præſto illi fuit, conſtare non potuit. Multò ſecius accidit Sodalium vni, qui cùm ruri repentè in præſens mortis periculum incurriſſet, vix Sodalitatis Patronam puriſſimè Conceptam Virginem inuocauit, cùm defunctum ſe omni periculo animaduertit.

26 ANTIPOLI in inſulis Philippinis, virtutis ſtudium, Sodales Parthenij præſertim, ſplendidum reddunt. Nullum niſi probè exercitum recipiunt; cuius præclarâ duo exempla hoc anno extiterunt, in duobus ſexagenarijs, primarijs ciuitatis

uitatis viris, qui vt ſocietatem eorum obtinerent, ſacram ædem, aliáque ſæpiùs euerrere non abnuerunt.

SEDIS autem Boholanæ Sodales, optimas conſuetudines continuant, illam præſertim, quâ errata ſua palam omni populo in æde ſacrâ aperire non verentur. Fuit inter hos vir primarius, qui eodem loco de vinolentiâ ſuâ, firmâ emendationis interpoſitâ fide, ſe accuſauerat; ſed nihilominus poſtea, à delicijs veteri more illectus, temperantiæ leges aliquantum exceſſerat. Cùm obdormijſſet grauato nonnihil cerebro, experrectus dein, ſimul fidem datam violatamque in memoriam reuocauit; tanto de repentè in ſeſe vindicandi exarſit ardore, vt acceptis flagris, ad ſanguinem vſque, in tergum deſæuiret, perque pueri præambulonis vocem palam in æde ſacra impium ſe helluonem proclamitaret, atque de ſcelere magnâ cum doloris ſignificatione, veniam efflagitaret. Memorabile aliud, Parthenius quidam, aduerſus veteris ſuperſtitionis reliquias patrauit. Arbor erat in ſuburbio, de genere earum quas Nonoc incolæ indigetant, quæque eius ſunt indolis, vt ſi qua, tenera adhuc, aliquam lius generis arborem contingat, eam vitis inſtar arctè complexã ramulis implicet, & totam denique exiccet, humoremque in ſe deriuet. Hæc igitur miræ inter omnes pulchritudinis, ac prodigioſæ præ alijs vaſtitatis, tantùm ſibi conciliarat opinionis, vt ipſam olim Pyntati inter Numina velut præcipuum quoddam colerent, & ſi qui, ramu-

27 (margin, beside "Sedis autem")
28 (margin, beside "Memorabile")

ſculum ex ea decerperet, aut ſubiectam glębam aratro violaret, eum capite id piaculi luiturum dicerent. Facilè quidem ſtultitia hæc vnà cum cæteris fuiſſet penitus abolita, ni hæſiſſet altius quorundam cordibus infixus minarum metus. Arborem contingere nemo audebat, donec Parthenius aliquis gloriosè de falſo numine triumphauit; qui excisam admirantibus ſpectatoribus arborem igni dedit; & agrum ferro euertit.
29 Pium hoc factum non multò poſt Deus rependiſſe videtur. Accidit, vt eius vxor aduerſâ decumbens valetudine, magnam ab familiaribus quibuſdam, diuinam hanc eſſe vindictam exprobrantibus, moleſtiam ferret: veniunt ambo ad vnum è Societate, remedium malo quæſituri, exomologeſim peccatorum inſtituunt, ſani ambo diſcedunt. Fixum deinde eo loco Crucis ſignum, & conſperſus aquâ ſacratâ fundus; qui vberrimos vertente anno præ quàm alibi fructus dedit.

30 IN SEDE Palapagana earumdem Philippinarum, Sodalitium B. Virginis hoc anno coactum, in dies augeſcit, accenditque non mediocriter ſtudium pietatis cæterorum, exemplo ſuo; & ſuaui pręſertim ſymphoniâ hîc nunquam auditâ, quâ ſabbatinis diebus, Salue, & dominicis rem diuinam decantant. Hic adeò vehementer ægrotauerat aliquis, vt à medicis depoſitus, ab humano auxilio nihil ſperaret. Ergò implorato auxilio diuino, paulò poſt B. Virgini ſingulari pietate ſeſe deuouit. Adfuit benigna Mater ægrotanti; ſplendido vultu ſe viſendam

præbuit; admonuit vt ſurgeret; & porrò frequenter, ipſam Angeli verbis ſalutando, gratias referret. Surrexit ille, & ad Patrem Societatis accurrens, miſericordiam Magnæ Virginis deprædicauit.

IN MEXICANO Collegio, adoleſcens quidam Parthenius, cùm grauem in animo moleſtiam diu perpeſſus, complura remedia fruſtrà tentaſſet, ad B. Ignatij denique opem confugit, 31
qui proximâ nocte, ſplendido vultu cõſpicuus, tranquillitatem animi reddendã promiſit. Nec plura: ſecuta ſubitò res ipſa, viſionem non falſam fuiſſe declarauit. Magna verò Virgo, vni 32
alteríue, præſertim Sodali ſuo, benignam ſe præbuit. Primo, ob eximiam quâ ſingulis ſabbati diebus ieiunium in eius honorem ſanxerat, pietatem. Accidit enim, vt muliercula, ei eſculentum quid veneno illitum, die quodã ſabbatino mitteret: quod ille, cùm propter diei religionẽ in dominicum reſeruaſſet, vermibus vidit ſcatere; animaduerſoque, in quo verſatus eſſet, periculo, gratias Deiparæ retulit, ſtatuitque conſtantiſſimè dehinc in cœptâ pietate perſeuerare.
Sodalis nominẽ alter erat, re autem verâ quouis 33
impio profanior: à ſacra exomologeſi ſeptem ipſos annos abſtinuerat, nec veſtigium, nõ Sodalis dicam, ſed ne Chriſtiani quidem hominis reperire erat in eo vllum, niſi quòd Dominicam Angelicamque precationem ſepties quotidiè ad Crucifixi effigiem procumbens, recitare cõſueſſet. Exiguus hic Dei Deiparæque cultus, multùm apud diuinam clementiam potuit:

ſenſit aliquando, interno quodam, inſolitoque animi motu ad religioſam ſe familiam vocari: quem ipſe diuini numinis nutũ auerſari primò, & grauiſſimúm velut iugum à ceruice velle excutere. Verùm animi demùm inquietudine adactus, augeſcenti motui non potuit aliquâ ſaltem ex parte non parêre. Ad ſacrum ſe confert cœnobium, eâ ſpe confiſus, fieri nullomodo poſſe, vt in religioſorum virorum ſocietatẽ ipſe homo tam impius admittatur; petit habitũ religioſum, oris quidem ſono, cùm animo interim nihil magis, quàm quod petebat, odiſſet. Sedenim Deo longè aliter, quàm ipſe putabat, rem moderante, interpoſitâ morâ nomen eius in religioſum album eſt relatum. Tum inexpectato rei euentu perterritus adoleſcens, domum triſtis mœrenſque remeat, vltimum ſuis triſtiſſimumq; vale dicturus. Attamen ſubit interea animum, exploratam ſibi nondum penitùs diuinam voluntatem, à Cacodæmone calliditſſimo impoſtore æquè illos animi motus oriri potuiſſe. In genua igitur coram ſuâ Crucifixi imagine prouolutus, multis cum lacrymis & exuberante animi ſenſu, multa ad Chriſtum in cruce pendentem effatur; obſecrat, aliquod voluntatis ſuæ ſignum edere dignetur; ſe tum verò vocanti celerrimè obſequuturum. Res mira: vix dixerat, cùm imago à pariete, cui erat affixa, ter ſeipſam dimouit, vt miraculo attonitus Sodalis, in terram deficiente animo rueret, & reſumpto poſt ſpiritu ad Sacerdotem aduolaret, peractaq; vniuerſæ vitæ exo-

Digitized by Google

mologeſi religioſam vitam amplexus ſit.

ANGELOPOLI in Mexico, adoleſcens indigena, bonus aliquando Mexicani D. Gregorij ſeminarij alumnus, cupiditatibus paulatim habenas laxare; & in peius ire cœpit. Sed ruentẽ in præcipitium retraxit diuina clementia. In vrbe, vnà cum commilitonibus ſuis deambulãtem, graueque animo ſcelus voluentem, vir grandæuus vultu graui ac ſubirato, adoritur, & percuſſo fortiter pectore: *Tune* (inquit) *qui B. Virginis Sodalitio nomen dederis, hac mente, hac animo audeas tractare facinora?* ad quæ cùm ſubitò, delinquente animo, corruiſſet iuuenis; accurrunt comites ſuppetias laturi, & percuſſore nullo viſo, perterriti, ad Collegium deducunt; vbi peccatis ritè expiatis, tutelari ſe hoc aligero debere teſtatus eſt: vitâque poſtliminio in melius mutatâ præclarum iam alijs pietatis præbet exemplum. 34

IN SICILIA, vni è Sodalitate Mineenſi, quæ eſt opificum, ad frequentandam Sodalitatem, & obeunda ſacra Cõfeſſionis & Euchariſtię myſteria, admodum tardo & raro, quamuis ſæpiſſimè moneretur à Præſide, nocte quadam viſus eſt Sacerdos de Societate vitâ functus, qui multos annos huic Sodalitio fuerat præfectus. Is acriter ſegnem illum obiurgans, minabatur; *Nomen eius delatum ad patronam Virginem, tanquam Sodalis ſuarum rerum negligentis; proinde non leuem ipſi pœnam timendam, niſi reſipiſceret.* Quod viſum cùm mane pro ſomnio haberet Sodalis, & de propoſito cõfeſſionis inſtituendæ recideret, ſe- 35

Digitized by Google

quenti nocte eundem vidit Sacerdotem, multò iam duriora minantem,& acerbiora;ſed quæ illum non diu attonitum habuerunt, quin ad mores antiquos illicò & ingenium rediret; donec ab alio denique è Societate, per quietem iterùm nocturnam,in ipſum templum manu deductus, & de duobus criminibus in confeſſione ad id vſque tempus ſuppreſſis commonefactus, & ſpopondit, & præſtitit.

36 NEAPOLI,inter omnes Sodalitates,eminet illa quæ è Clero coaluit, trecentorum eóque plurium melioris notæ Sodalium, qui priuſquam Deiparæ ſacramento rogentur, hebdomadam vnam B. Ignatij commentationibus excolunt animos, vniuerſæque vitæ ſordes accuratâ confeſſione eluunt; quotidianæ precationi aliquam horę partem tribuunt; veſpertinę diurnarum actionum recognitioni ſuum quadrantem. In conuentibus, quî ſua ritè obeant miniſteria, quî diuina caſtè ſanctéque tractent, edocentur. Ipſi ad publicas itant cuſtodias, vbi confitentes audiunt; in vicis & curijs catecheſim docent rudes; inſtaurant, ſicubi collapſam offendunt,morum diſciplinam; & præſertim in Cœnobijs,ij qui ſunt à confeſſione Virginibus, quas pia,ſuo tempore opere ipſo exquenda,cogitare docent; rem denique ità gerunt,vt quandam inter eos religioſi ſtatus imaginem adum-
37 bratam, liceat animaduertere. Vniuerſim Parthenij cœtus eodem ſe feruore ſuſtinent;multos habent incredibili tolerantiâ præditos;nonnullos ità legum obſeruantes, vt triginta anno-

rum ſpatio, ſtatâ die conuenire prætermiſerint nunquam. Vnius ſtudium ab oppido finitimo prauam ludendi conſuetudinem eliminauit, virorum ferè octoginta Sodalitium coëgit, omnes ad cœleſtium rerum contemplationem informauit; horarias preces inſtituit, quibus operæ vt & ipſæ intereſſe poſſint, horam precum, immunem ab opere, profeſtâ die paciſci ſolent, nihil à conductoribus imminutâ mercede. Fructus à Sodalitio carceris is eſt; qui commemorando quàm vberrimum eliciat fletum: ità laudibus diuinis omnia perſonant, & in impiorum verborum locum grata memoria, iniuriarumque obliteratio ſuccedit. Quo in genere fuit illud egregium, quòd quidam ingenio præferoci alapâ exceptus à viro, quem officijs haud mediocribus ornarat, nihil eſt commotus animo; quin ad ſacellum mox diuertit, ibique multâ prece feruidus inſtitit apud auguſtiſſimam Virginem Matrem, vt animaduerſionem omnem à ſuo percuſſore amoliretur.

E SODALITIO Aeglenſi, Nauta, qui piſcando vitam ſibi familiæque tuebatur, cùm aliquando poſt diutinum laborem ne piſciculum quidem cœpiſſet, ad tutelarem Sodalitij patronam confûgit, eique bilibrem ex opere cereo facem ſpopondit, ſi mille pondo piſcium (quod hyperbolicè nec admodum ſeriò dixiſſe videbatur) vno iactu, tractuque caperet. Mirum dictu: rete explicat, & Virgo magnifica votum liberaliter implet; nam quadruplo maiorem atque optarat prædam, è mari trahendam dedit. 38

Digitized by Google

Alium, ex famoſo aleatore nouum Sodalem, trude ligneos fortè agentem globos, temporis fallendi gratiâ, ictuſque plæroſque inaniter perdentem, Cacodæmon os habitumque religioſi hominis ementitus, acceſſit, conatuſque quoquomodo luſorem ad conuitia in Deum iacienda impellere. Sed perfidus hic veterator magis ſuam luſit operam, quàm ille; obiectoque crucis ſigno bis fugatus, denique redire non eſt auſus.

39 VIRDVNI in Francia vir erat grauis & in Senatu primarius, qui Sodalitati nomen dederat, cùm ætatis iam ſexageſimum eſſet prætervectus. Is, & aliàs verberibus in ſuum corpus ſæuire ſolitus, & in eo morbo, qui poſtremus illi fuit, nullo die ſtatas & quotidianas omiſit precationes; vt illâ ipſâ luce, quâ è corpore egreſſus eſt, religioni ſibi duceret coram Sodalitatis moderatore, quòd ſacram Diuæ matri corollam nondum pertexuiſſet. In eâdem ægrotatione, eius virtus quodam in alio opere eluxit. Nam cùm primâ cuiuſque menſis Dominicâ, è Sodalium inſtituto, ad ſynaxim ſit adeũdum, idque ſolemne retinere in omni vita ſtatuiſſet; fractus iam & effœtis viribus ſenex, mortique proximus, contrà medici omniumque domeſticorum ſententiam, qui Euchariſtiam ipſi domum deferendam cenſuerunt, lecto tectoque egreſſus, in parœciam ſe ſuam, ægrè ſæpiuſque interquieſcendo, contulit, ibi auguſti myſterij communione reficiendus. Obiurganti ſuauiter cuidam, & intempeſtiuam reli-

gionem notanti, paulò poſt reſpondens quæſiuit; *Conueniret-ne tantum ad ſe venire Regem, an eum ab ſe adiri?*

Mors vnius è Sodalitio Bituricenſi, fuit non illi modò fœlix qui ad beatorum ſedes euehebatur, ſed multis etiam alijs, qui ad eum viſendum pro more acceſſerant, ſalutaris. Ille enim vt erat natus ad honeſtatem, dabat non patientiæ modò illuſtria exempla, ſed excellentiſſimarum etiam virtutum, quæ in adoleſcentiam cadere poſſunt. Itaque in morbi moleſtiâ & totius corporis acerbiſſimo cruciatu, hæc illius fere vox audiebatur: Quàm dulce, quàm ſalutare, ô Virgo Beata Sodalitium tuum! quid egi? quid commerui, vt in illud adſcriberer? tu mihi honorariam tutelam adhuc exhibuiſti, eam ne redde niſi filio. Quæ illius verba, neſcio quos pietatis aculeos in animis audientium relinquebant, vt cùm fortunatum eum dicerent, ſimilem ſibi exitum & eutanaſiam optarent. Funus adoleſcentis, pompâ non vulgari elatum, quæ vt noua & inuſitata, ità fuit plæriſque ſpectatu iucunda, in re alioqui triſtiori. Parens ipſe ætate grauis, & honeſtus, illo ſuo domeſtico in mœrore, ſpectaculo hoc nimium quantum eſt releuatus; & qui nihil vnquam de Partheniâ Sodalitate inaudiſſet, in eam iam admitti ſummâ cupiditate expetijt, atque obſides pijſſimæ voluntatis ſuæ, miſit ad ſacelli ornatum, aureos quinquaginta. 40

Partheniorvm ciuium Burdigalenſiũ tam fuit hoc anno explicata manus in egenos & vin- 41

ctos præſertim, vt admonendi fuerint, contractiore vterentur: quippe durabilem quàm effuſam largiendi cõſuetudinem acceptiorem Deo videri. Ijdem intrà ſepta carceris, ſuis ſumptibus erexere ſacellum; vt qui ſacro, concioniue diebus feſtis intereſſe, aut ſacramenta percipere commodè non poſſent, eâ inpoſterum facultate non deſtituerentur. Sacerdotem, ab hæreticorum faucibus, repoſitum in Eccleſiæ gremium, induerunt honeſtis veſtibus, partim ſuâ partim emendicatâ per Sodales aliunde pecuniâ. Multòque magis in ſui Sodalitij homines fuere benigni. Vnum qui egebat, aluerunt quinque menſium ſpatio gratis. Patri è Recollectorum ordine ſtipem poſcenti ad cõparanda ſacra volumina, quæ eſſent ad concionandum inter hæreticos futura vſui, libros miſerunt coëmptos amplâ ſatis pecuniæ ſummâ.

42 In Sodalibvs Auenionenſibus admiranda æquè fuit Deipara, tàm ad officium compellendo ceſſatores, quàm iuſtâ vindictâ animaduertendo in deſertores. Prioris hoc habe exemplum. Ciuis Parthenius die Aſſumptæ in cœlum Virgini ſacro, cùm ad D. Virginis iret principem vrbis ædem, cauſâ religionis, offendit quendam vultu pallidum ac ſubtriſtem: quem vt intellexit, ex imminentis grauiſſimi morbi non vano timore confici, hortatur ſub Deiparæ præſidium confugiat; eius enim precibus & patrocinio, plæroſque Sodalium, non rarò præſentiſſimæ mortis periculis defungi; proinde & ipſe nomen det albo, cultumq; Vir-

Digitized by Google

ginis ſolito oſtendat maiorem. Reſpuit tum quidem imprudens id conſilij; ſed vbi ſub mediam noctem repentinâ in pectore inundatione cœpit vrgeri, miſerèque perfundi; votum edidit, ſéque Sodalem futurum, cùm primùm per valetudinem poſſet, ſpopondit: potuit autem ſequenti ſtatim die, quod & præſtitit. Simile prorſus beneficium, in eodem genere morbi, à Matre miſericordiæ impetrauit clarus alius inter ſuos ciuis, qui Conceptæ Virginis Sodalitium in votis habuit. Alterius generis illud eſt. Quendam ſua iniquitas è Sodalitio exturbauerat: is non multò poſt inter digladiandum accepto vulnere, cœpit illud cum Virgine diuortium primùm perpendere, & vnde periculum animæ creaſſet, ex corporis dãno æſtimare. Quare non deſtitit priùs facinus ſuum deteſtari, quàm conſummatâ prece, criminis grauitatem aliquantulâ tarditate compenſaret. 43

E Collegio Viennenſi, adoleſcens deſerto Sodalitio, ſenſim exitiali profligatorum hominum contagione deprauatus, in peiora lapſus, eò tandem deuênit, vt peſtiferis magię illecebris captus & irretitus, peſſimam cum dæmonibus malis familiaritatem contraxerit. Tùm ergò quidquid eludendis oculis, faſcinandis auribus, domibus effringendis, iniurijs vindicandis, cupiditatibus potiundis, alijs nequitijs exercendis inſeruiebat, id omne è fœcundâ inferorum cloacâ, hauriebat; & ſingulari dono phialam acceperat ſtygiâ plenã aquâ, & hydris quibuſdam, infandiſque mõſtris 44

in exitium mortalium inuentis (vt dæmon affirmabat) refertam. Duos in illâ diſciplinâ annos iam exegerat miſer, cùm doctor præclarus impenſæ operæ mercedem, ac velut didactron exigit, cultum ſui, Chriſti eiurationem. Sed viuebant in iuuenis animo etiamnum, Chriſtianæ rationis, & pietatis antiquæ ſemina: vnde, ad horrendi pacti mentionem, attonitus hæſit, reique tantæ penſitandæ diem perendinũ petijt. Spectris interim, minis, pollicitationibus diu noctuque vrgetur; à quibus ſe expediendi hoc demùm reperit conſilium. Lugdunum contendit, vbi Magiſtrum quondam ſuum, cui charum ſe fuiſſe meminerat, verſari inaudijt; eiuſque arbitrio poteſtatique ſe totum committere ſtatuit. In viâ cum dæmonibus varijs, qui ſpectabili formâ illi ſeſe offerebant, conflixit, è re minimè fore dicentibus adiri Ieſuitam, conſuli hominem à quo exitium rebus ſuis immineret, & conſilijs labes; proin mortem luiturum, ab eo propoſito niſi deſiſteret. Reſumpſit de prædonum timiditate animum adoleſcens, ſciſcitari auſus, cur ſibi tanto tempore, Dei præſidio ac fauore deſtituto pepercerint, nec mortem quam modò tam ferociter minarentur, intulerint. Cui illi, nec promptam ſibî voluntatem, nec conatum defuiſſe reſponderunt; ſed prohibitos inuictis magni Dei imperijs, Reginæque illius, cuius olim puer clientelæ ſe commiſiſſet authoritate

45 coërcitos. Obſtupuit oppidò iuuenis admirabi-

lem clementiſſimæ Virginis in ſe charitatem, cuius à complexu præſidióue necdum ſe depulſum audiebat; cùm ipſe tamen ab illius caſtris transfuga, Sodalitij legibus contemptis, & Mariam Matrem, & virtutem omnem ab animo ſuo depuliſſet. Hoc dicto, tametſi ab hoſte profecto, in ſpem Virginis conciliandæ, Deique placandi erectus, cœptâ viâ pergit; Magiſtrum ſuum illum Viennæ, vbi docebat, reperit; animum, anguſtias, peccata exponit; ingenti lacrymarum vi, pœnitudiniſque acerbitate diluit; characteres, phialam, philtra, amuleta nefanda tradit, tandemque excuſſis penitùs ex animo tenebris, ad diuinæ gratiæ lumen virtutiſque amorem redit, & magnam inde conſcientiæ poſt tantos fluctus indipiſcitur tranquillitatem.

E PARTHENIIS Collegij Ruthenenſis, ciuis votiuum iter conceperat in ędem Montisſerrati; eò dum pergit cum aliquot pari mente ac religione ſocijs, accidit, vt tranſuerſim, quâ erat aſcenſus, anguſto colle & ſaxeo in montem contendentibus, plauſtra bubus tracta venirent obuiam. Nec erat, quò ſe reducerent, arcti vtrinque rupis crepidine. Ergò hi corporum declinatione, & quâ poſſunt arte, euitant periculum: ille Parthenius celerem quoque molitur tranſitum: ac feritur primùm à beſtia ferociente, ilia cornu traiectus: dein per confragoſa auerſus, in ſubiectum ruit præcipitium, ipſoque in caſu, ſanctiſſimum Ieſu nomen & Mariæ eiulabundus ingeminat; à quibus & 46

auxiliũ tulit. E durâ namque caute, cui inniderat, in pedes ſe erexit, & inuio itinere arduum montem ſupergreſſus, iugo ſe ſtitit incolumem, ſocijs ſtupore attonitis, quibus hilariter occurrit, Deo & Virgini ſeruatoribus grates, vnà cum ipſis, acturus. Alius ex eâdem vrbe, item Parthenius, ex iſchiade laborans, cùm diu acerbiſſimos dolores ſummâ pertuliſſet æquanimitate, ratus immodicos neruorum humores calore ignis poſſe aliquantulùm exiccari, iubet ſe de lectulo ad luculentum focum deportari. Verùm eò loci etiam, acriori doloris morſu pertentatus, preſſuſque adeò eſt, vti contrarijs alternantium ſpirituum impulſibus cœperit agitari, impellentium ſubinde atque adhortantium, præceps in flammam rueret; hunc demùm fore terminum ęrumnarum. Quibus anxijs cogitationibus exæſtuans; Heu me, inquit, ſumme hominum parẽs! ecquidnam perpeti neceſſe eſt æternis addictos incendijs? ecqua illis tormentorum finis? Ità vim dolori faciens hoc extremo dicto dæmonem in fugam egit; atque omnis repentè acerbitas ſic prorſus ſublata eſt, vt ne decennio quidem toto vel leuiſſimâ ſit ægritudine tentatus. Iam enim anteà geſta res erat, hoc primùm anno patefacta.

47 BITERRIS, quidam vir clarus nondum Sodalis Parthenius, acceptas ab affine iniurias memori ſeruabat irâ; nihil preces euicerant, nihil de Deo intentæ comminationes, tam altè à nocenti, vt aiebat, inſederat vulnus. Et verò latius manaſſet furor, niſi Deiparæ clementia inhi-

buiſſet; cùm feſto die Virginis ab Angelo ſalutatæ ſubit in ſacellum Congregationis, perluſtrat curioſiùs omnia; & primùm capitur cultu loci honorario, multam pietatem aſpirante; procumbit in genua, & Virginem ſalutat. Vixdum precatorios coronæ, quam geſtabat, globulos verſauerat, cùm aſperum hominis pectus ſic emollitur, vt mitem agnum modò crederes, qui anteà efferatus fuiſſet leo. Quid enim multa? egredienti fletu abundè rigatur facies, nihilque homini antiquius, quàm veteris odij abſtergere cogitationem, noxaſque omnes pœnitentiâ expiare. Accedit ergò ad pedes vnius è Collegio Sacerdotis, inchoatæ litis proijcit tabulas, inſtrumentum ſimultatis, negat ſe niſi ex eius nutu, quem pro diuino capiat, quicquam eſſe facturum. Rei ſucceſſu lætatus Pater, alium accerſit properè, ad peccatorum confeſſionem inducit, & vtrumque ſibi inuicem Deóque reconciliat.

ANNVS CHRISTI 1612.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 48.

1 IN SICILIA, Senatus Mamertinus qui eximiâ ſemper fuit religione in B. Ignatium, eam religionẽ, hoc anno pridie Calendas Auguſti, inſigni facto teſtatus eſt; cùm quatuor prægrandia funalia miſit, quę ad ipſius imaginem accenſa, octo dies totos lucerent. Hanc Senatus pietatem pari ſtudio æmulatę ſunt Sodalitates quinque Partheniæ, quarum ſingulæ ſingulos ingentis ponderis cereos, ſui quoſq; Sodalitij ſigillis impreſſos, apud Sancti effigiem accenderunt per octo continentes dies.

2 METICAE verò, quidam ex Nobilium Sodalitio, inſigni pietate vir, & erga S. Ignatium religioſiſſimè affectus, cuius ad imaginem in templum quotidiè venerabundus comprecabatur; graui morbo cœpit conflictari, quo etiam,

etiam, ab obitâ noxarum totius vitæ confeſſione, acerbius inualeſcente, ex eo delyrium poſtea conſequutum eſt, continentibus ferè accedentibus vociferationibus. Idem igitur è Collegio Sacerdos, quem æger ſacræ adhibuerat confeſſioni, à cognatis de nocte aduocatur pridie eius diei, qui S. Ignatio ſacer eſt; rogaturque, vti afferri ad ægrotum iubeat eiuſdem Sancti imaginem, ad quam æger procumbere aſſueuerat: ſperandum vtique eſſe, ad aſpectum illius quam impensè veneratus erat, ipſi melius futurum. Illatâ effigie ad ægroti lectulum, proni accidunt in genua qui aderant. Sacerdos precationis formulam concipit, poſtulatque intentiùs à Sancto, vt ægro quietem, mentiſque poteſtatem impetrare velit, quoad is cœleſti pane in extremum viaticum recreetur: additque hãc extremam preci clauſulam, eo ſe loco non deceſſurum, donec poſtulati compos fiat. Vix hoc poſtremum erat effatus Pater, cùm æger à laboribus conquieuit, liquidæque mentis vſum recepit. Tum affirmauit, eâdem nocte viſum ſibi eſſe Sanctum Ignatium, ingenti albatorum corona ſeptum, animique ſanitatem ſibi à Deo impetrantem; cuius poteſtati ac tutelæ quoniam diuino decreto fuiſſet eâ nocte permiſſus, nihil habere deinceps quod timeat. Poſtridie qui dies Sãcto ſacer erat, poſteaquàm diuino epulo manè refectus fuit, eximiâ ſignificatione pietatis, ſub nonam diei horam, ſpei plenus tranquilliſſimè deceſſit.

TOLETI in Hiſpania, ex opificum Sodali- 3

tio quidam antè diurnum opus conſueuerat quotidiè miſſæ ſacrũ audire. Eum morem leui ex cauſâ cùm die quodam intermiſiſſet, viſus eſt ſibi conſequutâ nocte per quietem rapi ad profundiſſima, denſis horrenda tenebris loca, pœnas daturus violatę religioſę conſuetudinis. Inter eos ſomnij terrores, cùm turbidè euigilaſſet, impotens ſui deſiluit è lecto, & nocte intempeſtâ in publicum egreſſus, ſibi ipſe non credebat viuenti & ſentienti. Hoc documento factus cautior, non acrioribus deinceps opus habuit aculeis, vt benè ſuſceptum iter perſeueraret.

4 CONCHAE in eodem regno, fuit vir quidã illuſtris, ſed diſſolutis moribus, quem ſingulari Dei beneficio emendata vita Sodalium B. Virginis pepulit, vt ipſorum exẽplo melius quiddam cogitaret. Sodalitatem ardenter cœpit ambire, in quam vt admiſſus eſt, ſumma quæque pietatis ac virtutum omnium munera perſequi aggreſſus, paucis diebus totam in ſe conuertit ciuitatem, ſtupentem adeò inſigni vitę mutatione. Hoc virtutis ſtadio ardenter decurrentem mors oppreſſit, non tamen imparatum. Cadauer inuentum in lectulo, tectum horrenti cilicio, cilicium ſtringente laneâ interulâ craſſiore: quam tegminis aſperitatem ferè quotidianam vſurparat.

5 IN AVSTRIA, vir nobilis è Mariano Sodalitio, rediens in equo Græcium, ex Sodalitij ritu ſtatas precationes obibat. Anguſtam viam aſperamque, vt pote in rupe inciſam, ingreſſus erat; vt inde mons arduus immineret, inde pro-

Digitized by Google

cliuis eſſet in abruptas rupes, atque ex ijs in rapidum flumen, prolapſio. Is dum iter perſequitur, caſu factum eſt, vt equus cui inſidebat in rabiem improuiſò actus, præcipitem ſe daret in ſubiectum fluuium. Præter pediſſequum aderat nemo; & qui aderat, pro loci naturâ, operam hero nauare niſi inutilem non poterat. Supinus, quo ſtatu ab equo fuerat excuſſus, diu vorticoſo amne iactatus, vt nuſquam ſubſideret; vſque eò ſupernatauit, dum tandem aduenissent, qui ſummâ aquâ fluitantem educerent, periculoque eximerent. Ergò, quòd ruinâ præcipiti per aſperas cautes deuolutus, non modò non eliſiſſet omnia membra, ſed ne leuiter quidem eſſet læſus, adeòque etiam rapidi amnis hauſtus vorticibus non perijſſet, nequaquam dubium eſſe potuit, quin B. Virgini tutelari, cuius in veneratione tùm occupabatur, tantum beneficij eſſet adſcribendum.

6 IN INGOLSTADIENSI Collegio, Sodalitium B. Mariæ victricis ex ciuibus hoc anno coijt. Eius inſtitutionem Maximilianus princeps, cùm maximoperè approbaſſet, litteris ad Sodales datis glorioſum cœptum eſt eis gratulatus, amanterque delato ſui patrocinij præſidio, ad perpetuam hortatus eſt inſtituti conſtantiam. Opportunè his principijs cecidit, à Principe profecta, hæc tam propenſæ beneuolentiæ ſignificatio, vt populo coram liberè auderent Parthenij; quos importunus pudor, rectè factorum profeſſione nuper abſterruerat.

7 ANTVERPIAE, Sodalium precationibus

opportunè conſultum eſt vulnerati adoleſcentis ſaluti; cùm adactus magnâ vi culter in coxendicē ipſius, & impetu fractus alterâ parte, ignaro chirurgo, hæreret in vulnere; nec deinde vnquam euocatum ferrum, obductâ poſt leuem curationem cicatrice, incredibiles aſſiduoſque cruciatus miſero concitaret. Ijs doloribus ſedandis ſæpiùs repetita chirurgi manus; & inciſâ carne ad eam partem quâ ſe inflammatio intendebat, cùm nihil ſuccederet, Sodalium precibus æger enixè ſe commendauit. Secundùm eas preces, chirurgo recens exſectum locum accuratiùs exploranti, occurrit abditum neſcio quid, quo manus rimantis offenderetur; ſed arte & ope omni adhibitâ elici nihil potuit. Expetit magno ſtudio iteratas Sodalium preces adoleſcens, quorum prioribus ad ſpem ſanitatis fuerat erectus. Coëunt illi, & feruenti ſtudio inſiſtunt, à præſide ſua Dei Matre, adoleſcentis poſtulare ſanitatem; quibus in eâ oratione defixis, nullo negotio noxium ferrum extrahitur, quod eo ipſo die lætus adoleſcens, receptæ ſalutis teſtimonium, & grati animi indicium, vni è Collegio, Sodalitatis moderatori attulit. Eódem lo-
8 ci, alter obſtructis calculo renibus, cholicis doloribus, periculoſâque febre laborans, & à medico planè deſertus, vbi ſe voto Beatiſſimæ Virgini obſtrinxit, Euchariſtiâque ſacrâ refecit, illicò tam benè habuit, vt è lecto exiliens in cubiculo inambularet, hymnumque ſoſpitæ Virgini decantaret.

9 Traiecti ad Rhenum, Sodalitij Parthe-

nij iuniorum præclaram diſciplinam, vel vnius
pueri Sodalis virtus, facilè indicabit, ex quo cę-
terorum mores æſtimentur. Is quà exemplo,
quà monitis euicit, vt omnes domeſtici horæ
dimidium quotidiè precationi antè quietẽ im-
pendant: quâ lege nemo ſe audeat eximere, ne
pueri reprehẽſionem incurrat, ſicut neque ipſo
conſcio alienius à ſanctis moribus verbũ emit-
tere. Ex maiorum Sodalitio, lectiora quædam 10
capita, cũ ex vita decederẽt, tantâ lætitiâ eis cu-
mulabatur pectus, vt eã premere nõ poſsẽt: quin
ſe multis ſignis effunderet, quaſi præſentem in-
tuerẽtur Patronam, quæ ſe pro clientibus va-
dem apud filium interponeret. Patri ergò So-
dalitatis moderatori, curæ id eſſe cupierunt; vt
in frequenti Sodalium cœtu hoc ſuum inſigne
gaudium, multamque ſalutis fiduciam, conſciẽ-
tiâ muneris ergà Patronam ex fide obiti, ad exẽ-
plum exponeret. Valuit eius rei fama, toto op-
pido diſſeminata, excitando Eccleſiæ B. Virgi-
nis Decano, ad Sodalitium ambiendum, etiam
in lethali morbo, ſpemque concipiendam vale-
tudinis: quam & recepit præter multorum opi-
nionem, vbi in Sodalitium fuit adſcriptus.

ATREBATE in Belgio, deceſſit cum mul- 11
tis ſanctimoniæ indicijs adoleſcẽs, qui religio-
ſiſſimè in Sodalitate nuper vixerat, hæres vni-
cus ingentium opum, filius Atrebatenſis olim
Prætoris. Probitatem morum ab ipſo matris
vtero viſus eſt hauſiſſe; adeò nihil niſi rectum
in totâ eius pueritiâ eſt animaduerſum. Caſti-
tatis vixit tam ſedulus cuſtos, vt in longo diffi-

cilique morbo, exceptâ matre, nunquam ſit paſſus, à quoquã ſe adhibendis fomentis frictionibuſue attrectari; cæterarum mulierum ne aſpectum quidem, aut præſentiam admiſerit. Ità ſe purũ ab omni noxâ ſeruare ſolitus erat, vt paucis antè obitum diebus, diligentiùs ſcrutanti ecquid in Sodalitatis leges admiſiſſet, id vnũ modò ſuccurrerit, minus acriter ab ſe cohibitum ſomnum, qui in Sodalium cœtu conſidenti, bis iterumue obrepſerat. Atque harum culparum vti ſuppliciter venia peteretur, ſuo nomine, ab vniuerſo fratrum conſeſſu, Patrem Congregationis accuratè obſecrauit. Ardenti ſtudio incenſus obſequendi, patiendique, dolenter querebatur, earũ rerum domi ſuæ nullã copiam cõcedi, vbi omnia ſuppeterent affluenter, omnes ſibi morem gererent, ipſe nemini. Quapropter ſtudioſiſſimè contendit, & frequẽter, vti in Collegio ſibi liceret emori, nimirum in paupertatis, obedientiæq; ſcholâ, vbi Chriſtũ in cruce nudũ & ad obitum vſq; obſequentem, quoad poſſet, æmulari ſtuderet: ex eo ſcilicet ad Ieſum tutius citiuſque aſpirandi ſpem ſibi affulſuram. Ambiguis verò reſponſis poſteaquàm eludi ſe deprehendit; ad matrem conuerſus, vehementer rogare inſtitit, vti ſe in ſtabulum, ſuâ conditione moribuſque dignum locũ deportari, vitamque finire pateretur. Hoc cùm non impetraret; eò deſcendit, vt ne in lecto, ſed humi certè abiectus, exhalare animam expeteret, idque ſibi negari iure non poſſe, contenderet; quod tam enixè poſtulanti fuit in ſpeciem promittẽdum,

leuandæ acerbioris .moleſtiæ, quæ alioqui ex tam frequenti poſtulatorum repulſâ naſceretur. Inſitæ porrò virtutis illud ſingulare quóque documentum fuit, quòd prioris anni morbo, iuncta cum multo languore tabes; poſterioris verò cruciatus acerrimi, altéque depreſſa vulnera, nihil vnquam ex ore aut vultu expreſſerunt, quod vel moroſum, vel acerbum poſſet iudicari. Hac pietate, morumque ſuauitate traducti pueriles anni, placidiſſimum genus mortis vti præſagierant; ità quoque accidit, vt velut blandiſſimo ſomno ſopitus, corporis vinculis ſolueretur.

FLEXIAE in Franciâ coijt hoc anno ex Cōuictoribus, ſacrum Mariæ Virgini Sodalitium, ijs quidem exordijs pietatis, quæ proceſſus in virtute inſignes ſpondeant. Eorum vnius animo inhæſerant eximia laudum capita, quæ in precarium roſariolum Magiſter in ſcholâ exprompſerat; vt deinceps non niſi hac tectum velut parmulâ, ſibi viuendum ſtatueret. Huic intempeſtâ nocte ardentius ſitienti, ac famulos inclamanti, cùm nullus audiret, ſitis ardore impoſita eſt neceſſitas exſcendendi ad vicinũ puteum. Exilit igitur è lectulo, circumiectâ prius brachio ſacrâ corollâ, vt aduerſùm noxia quæque præſens amuletum. Sed ecce, adſtanti ad puteum, horrificum ſpectrum ex aduerſo incurrit, atque penè inuolat in oculos; roſarium brachio inuolutum ſibi dari imperioſè poſtulat; ac niſi continuò detur, grauibus intentatis minis, aſperrima quæque denuntiat. 12

Digitized by Google

Adoleſcentulus, vbi ex formidine vehementiore ſe paululùm collegit, daturum iure negat, quod iniuriâ poſcebatur, laruæque vim afferenti fortiter obluctatur; inter quam pugnam iam quadraginta pedes à puteo abſtractus erat. Quâ violentiâ vt ſe eximeret, cùm veniſſet in mentem, Virginis in ſuos ſtudioſum patrociniū, de quo pridiè inaudierat in catecheſi, Angeli ſalutationem exorſus eſt; cuius enuntiandæ, vt fecit initium, velut Africo diſcuſſa nubecula, minax anteà ſpectrum, momentò euanuit.

13 CASTELLODVNI in eâdem Franciâ, negotij cauſâ verſabatur vnus è Sodalibus Collegij Bituricenſis, Chriſti ſcandentis in cœlū ipſo feſto, cùm repentinâ tempeſtate vehementius aër turbatur, malignâ luce denſum fulgur è nubibus emicat, horrēdis fragoribus cœlo vndiq; tumultuante. Adoleſcens declinandæ cauſa tēpeſtatis, è publico ſe recipit in proximam ędem: eò ſequitur vis fulminis, atque momētò duobus adoleſcentis latera fortè cingentibus, plagam infert, alteri eorū luxat manuum iuncturas; iſtū verò, qui medius ſteterat, loco procul arreptū, inſtarque turbinis variè circumactū, in extrema cōijcit vitæ diſcrimina, pallij iam & propiorum cuti veſtiū parte ambuſtâ, niſi Dei matris cuius nomen & opē ſupplex inclamabat, benigna manus in tēpore adfuiſſet, quæ incendium reſtingueret, cliētemque certâ pernicie eximeret. Eò accurrit multitudo, & ſpectaculi nouitate ſtupēs, numinis præſentis vim agnoſcit, prędicatq; inuſitatū miraculū. Sodalis vix ſui cōpos, in de-

mirãtis turbę medio defixus hæret, memor quã propè nunc aberat à funere; ac tã propitiâ dextrâ ſoſpitanti ſe patronæ, grates ex animo agit.

14 SENATOR Gratianopolites in Delphinatibus, pertinacium acerborumque dolorum remedium, quod nullum ars medica ſuggerebat, in Sodalitio B. Virginis inuenit. Peregrinationem ad ſacra loca, nominatimque Magnę matri pręcipuum cultum vouet, ex Sodalitij formula: cuius nuncupatũ votũ repẽtina ſanitas excepit. Lugdunum igitur primo quôque tẽpore cõtẽdit; votum ſuũ, ſanitatemque ex voto Sodalibus renũtiat; quo, vt ſe cũ fide exſoluat, in eorũ corpus cooptari poſtulat; quibus in ſuffragiũ vocatis, ſuo merito, & Patronę authoritate adlegitur.

15 AVENIONE, Sodalium inſtituto mirè infenſus, & quidem nulla alia cauſa, quàm animi deſtinatione quadã, ſexagenarius ciuis; vt de illis obtrectandi nullus ei eſſet modus. Graui ægrotatione lecto affixus cùm iaceret, ipſo Conceptæ Dei parentis ſacro die, quem ſibi ſolemnẽ primaria Sodalitas vetuſto ritu ſanctè colit; nouâ luce diuinitus miſſâ colluſtratus, ad ſe vocat Sacerdotẽ maioris Sodalitij præſidẽ. Is cùm aduenīſſet, in aliũ planè mutatus ægrotus, ſæpenumerò ac beneuolentiſſimè illũ amplectitur; medicum animi per confeſſionem ſibi adhibet; ritè expiatus, denuò ad amplexus redit amoris pleniſſimos; maleuolẽtię quondã ſuæ veniã ſupplex poſtulat, & quàm inimicus olim Sodalitio fuerit, tã amicũ fore ſe deinceps pollicetur. Eius rei haud dubio argumento teſtificandæ, ſummâ

contẽtione aggregari ſe in Partheniorũ conuẽtũ petit; impetratque,neq; mediocri ſuo bono. Adoptatus enim à Sodalibus,diuturnâ vexatione vomitus,qui regerẽdis continẽter cibis ęgrũ peſſimè afficeret,cõtinuò eſt ſolutus.Poſt hâc ab acerbâ vomitione quietẽ,morbus aliquot menſes tenuit;tandemq; hominẽ ętate alioqui grauẽ confecit, ſed ità in Sodales affectũ, vt eorum ſe acerrimum defenſorem, ſi viueret, fore iuraret.
16 Egregiã patris voluntatẽ recepit in ſe,ſuperſtes filius;qui vt paterni animi ac pietatis hęres, vicẽ demortui abundè ſuppleat in Sodalitio,incenſa in diuinũ cultũ ſtudia non ceſſat magnis incrementis promouere. Eius, inter alia Chriſtianæ mentis multa decora,emicat in egentes prolixa liberalitas,quâ non corporũ modò,ſed animorũ quoque imminentẽ ſępè prohibuit labẽ: ac virginis quidẽ,cũ ex ſũmis rei domeſticę anguſtijs periclitaretur pudicitia, idoneis ad ei⁹ dotẽ numeratis clã pecunijs,eã certâ pernicie liberauit.

17 Eodem loci iuniorũ Sodalitas, ſicut amplius nacta ſacellũ facta eſt numeroſior,ijs cooptatis, quos pridem arcebant loci anguſtiæ; ita ex ſuâ frequentiâ, velut fornax ex ampliore lignorum copia, noui ardoris feruere cœpit acceſſione. Quẽ ad concipiendũ feruorem,acriores etiam ſtimulos admouit diuinitùs inflicta pœna duobus è ſuo Collegio adoleſcẽtibus,in deſerti officij culpâ cõtumacibus. Vtrumq; corrupti ſui mores,cẽſoriâ notâ dignũ,apudSodales ſępenumerò fecerãt,nimiæq; cõtumaciæ reũ, cõuentu deniq; proborũ extruſerant.Eorũ alter,eodem

Digitized by Google

ipſo tẽpore cùm nomen eius è Sodalium albo expungeretur, linquente animo cadentibuſque ſubitò viribus, in tẽplo, vbi tum verſabatur, exanimis corruit; quo ex deliquio cũ deinde recrearetur, didicit quę pęna ſibi procidẽti, apud Sodales quoq; obtigiſſet. Nec dubitauit, cõparato eiuſdẽ tẽporis vtroque incõmodo, quin ea eſſet Mariani muneris neglecti diuina vltio. Eo igitur caſu admonitus, ne qua ſe grauior labes euerteret, mutatâ viuendi ratione, multo ambitu iterũ prenſare inſiſtit Sodalitatem; ac denique impetrat, vt tyronis conditione atque gradu in eam adſcribatur. Alterius fueritne in noxâ mens cõtumacior incertum eſt: contumacẽ tamen acerbior ſecuta eſt pœna, cùm dirimere conanti pugnam, ſuum inter fratrem aliumque exortam, duobuſque ſe inſerẽti, lethalis plaga inflicta eſt, quæ paucis inde horis eum vitâ exemit.

18 E Partheniis Collegij Lemouicẽſis, adoleſcẽs ingenio ac ætate florẽs, Sodalitatẽ cui⁹ erat alumnus ac ſeipſũ inprimis, illuſtribus virtutũ facinoribus egregiè commẽdauit. Frequẽs erat in Xenodochijs, vbi nullum non virtutis genus diligentiſſimè obibat: nam ægris verborũ, reiq; ipſius ſolatia; ignaris præceptiones Chriſtianas, præmijs ad ęmulationẽ diſcẽdi propoſitis, adhibebat; nudos clã ſibi detracto induſio tegebat; abluebat ſtatis tẽporibus viliſſimorũ de illo cõuentu pedes; atq; hoc nomine petulantiũ adoleſcẽtiũ æquo lætoq; animo excipiebat ludibria. Enimuerò is pro ingẽti triũpho duceret, ſi dericulò eſſet omnibus mortalibus in eo, vbi diuinę

gloriæ impēſius ſeruiret; quod hic euētus ipſius manifeſtò declarauit. In duas anus cæcas, iracundiâ immodicas, maledicentiæ atque odiorum impotentiâ ſæuas, adeò vt altera alterius pernicie ſuum furorem eſſet crudeliter exſaturatura, ſi locus daretur, cùm ille aliquando incidiſſet; muliebres animos vltionis cupiditate æſtuantes, ità manſuefecit, vt vtrinque mox rediretur in gratiam; quas in Collegij templum inuitatas, eò ipſe ſuis manibus prehenſas deduxit, ſeque curioſè ſpectandum in publico, & æqualibus prolixè ridendum præbuit. Eius præceptor, ſuos auditores commonefecerat nuditatis cuiuſdam è diſcipulis, hortatus vt ſi cuipiam eſſet detritum palliolum domi, eo humeros ſeminudos egentis integeret. Iſte continuò ab dimiſſis ſcholis, Magiſtrum rogat, indicari eum ſibi, qui amiculo egeret; in quem detractam ſuis humeris chlamydem erat impoſiturus è veſtigio. Cui iam ſe exuenti Magiſter: Tu verò, vt mendiculorum quiſpiam, eris in breui ſagulo, expers chlamydis? abſit hoc, quandoquidem neque illius tui condiſcipuli tanta eſt penuria, quæ huc te adigat. Non defuerunt ingenioſo pioque inprimis adoleſcenti rationes, quibus ſuperior in eâ cauſâ euaderet, niſi præceptoris reuerentia & confeſſarij ad conſilium adhibiti authoritas, eum propoſito abducerent, qui alienæ mallet prudentię obſequi, quàm ſuæ indulgere cupidini. Iſtiuſmodi facinora non pauca narrãtur eodẽ de Sodali; cuius incẽſus animus ad omne nobilium virtu-

tũ decus, admiratione ciuitatem ità cõpleuit, vt iã paſſim Sancti, & Angeli nomine deſignetur.

19 BRIGANTIAE in Luſitaniâ magnę Matri pro ſingularibus ipſius & infinitis in hanc regionem beneficijs, is honos habendus meritò viſus eſt, vt nullâ non horâ diei extaret Brigantinorum ciuium, ſuam in tutelarem, pietatis aliquod argumentum. Quamobrem à Patribus Collegij ſuaſi ſunt ciues, vti quoties æris cãpani ſonitu, horæ per diem deſignarentur, nemo non totâ vrbe poſitis humi genibus Virginem Matrem ſalutaret. Qui ritus ità Luſitanis placuit, vt mox totâ regione vulgatus, receptuſque ſit. Sed eidem Virgini amplius celebrandæ, noui auguſtique argumenti, ab Sodalibus Parthenijs, ſolemni admodum ritu, inſtituta eſt pompa; quæ non modò ciuitatis oculos aureſque demulceret iucundiſſimè, ſed etiam religionis longè vberiore ſenſu animos afficeret. Triumphantis ſpecie Virginis ſimulachrum, auguſtiſſimo cultu totâ vrbe circumferebatur, ſtatiſque oppidi regionibus occurrebat aliquis Tutelarium vrbis cœlitum, eorum maximè qui ciues aut populares olim fuiſſent, ſibi ac Brigantinis ciuibus Reginæ cœli aſſiduam tutelam, & per continuata beneficia indultam præſentiam, appoſitâ oratione gratulantium. Quo genere panegyricorum ac triumphi, mirificè læta ciuitas tota exultare cœpit in præconia Dei parentis, cuius laudes venerationemque animo complexa longè quàm antea maiorẽ; ſicut pietate creuit haud modicum, ità morum ſingulos in dies

integritate, patronæ auſpicijs, magnoperè proficit. Singula porrò diurnarum horarum ſigna ſuo cultui conſecrata eſſe, Dei mater valdè approbauit, ſuæque approbationis fidem fecit inuſitato prodigio. Adoleſcens ab alio adoleſcẽte iniuriâ læſus, vltionis ſtudio prodijt in publicum, ſclopeto gemina glande graui, armatus; obſeruatoque aduerſario machinam in eum conuertit, lethale telum iaculaturus, vbi primùm ab illo diuulſi eſſent qui colloquebantur. Interea verò, è proximâ æde auditum eſt horæ ſignum, moxque ille ignarus imminentis cladis prouoluitur in genua, Virginem ſalutaturus: cui prouoluto incuſſæ ſunt funeſtæ duæ glandes, exitium allaturæ, niſi clienti ſuo pia Virgo adfuiſſet. Nam traiectâ multis locis veſte, igniti globi ad ipſam ſummam cutem hæſerunt innoxij, velut illiſi ad æream laminam. Et hic adoleſcentis, à Dei parente ſeruati, caſus, vernaculis popularium multorum carminibus celebratus, miram Virginis venerationem exaggerauit.

ANNVS CHRISTI 1613. 1614.

CONGREGATIONVM BEATAE Virginis. 49. 50.

HERBIPOLI in Germania, Mariani Sodales, per maioris hebdomadæ ſolemnia, animi acriùs ad pietatem inflammandi cauſâ, in ſupplicantiũ pompâ, Chriſti patientis myſteria ſolent exhibere, interque cætera cruciatuum Seruatoris ſimulachra, prægrandis crucis geſtationem vſurpare. Anno ex his priore, matrona ſuum coniugem receperat ab ſupplicatione fatigatum, fractumque, ac ſudore totis membris diffluentem poſteaquàm gerulum crucis inter Sodales egerat; quem, animo egregiè comparatum poſteriore anno, ad idem onus humeris excipiendum, vxor non deſtitit obſecrare, dum eum ab ſententiâ deduceret. Rediijt ille quidem immunis ab laborioſâ geſtatione, ſed longè deteriore valetudine, quàm nuper ab ſacrâ ſarcinâ redierat; adeò ſcilicet 1

debilitato corpore, quaſi multatis contuſiſque omnibus membris, vt pedibus non inſiſteret; quæ inualetudo, quartumdecimum continentem diem ità tenuit, vt ſingulis momẽtis efflaturus animã putaretur. Ignotã medicis morbi cauſã mulier facilè agnouit, ſuęq; molli- tiæ ac inſano in coniugem amori, dolens meritòque attribuit; cui Deus optimus culpæ ſupplicium deprecanti, ſalutẽ mariti condonauit; vbi ſanctè profeſſa eſt, coniugis animum ab officio Chriſtiano nunquam ſe auocaturam.

2 AVGVSTAE verò, ex varijs opificum collegijs nuper coaluit Mariana Sodalitas, inſigni iam, per ipſa huius militiæ rudimenta, pietatis ardore, ac virtutum ſtudio; vt fuerit, qui ſetoſi cilicij aſperitatem duos menſes totos non poſuerit: alius qui ſolido bimeſtri durum aſſerem ſibi ſubſtrauerit per quietem: tertius cuius humeri bis quotidie concrepuerint incuſſis flagris, per menſes totidem.

3 BITVRIGIS in Gallia, Parthenius Sodalis, & alter eius condiſcipulus, dum neſcio quid philoſophicæ commentationis, eorum alij ſcribenti dictat alius; turbidiore iam cœlo, intendentibus ſe deinde maioribus tenebris, aëre verò tumultuoſiùs concrepante ab ingeminatis tonitribus, accurrunt ſpectaturi ad feneſtras; vbi eos horrẽda obiectæ regionis facies ad precationis officium inuitat; quâ piè defuncti, aſſurgunt, ſéque ad penſum reuocant. Vix vnum aut alterum verſum ſcribendo promouerant, cùm è veſtigio Parthenius cœlo delapſâ flammâ totus

totus circumfunditur, ſed impunè; ac poſt eum ille alter puer, igneo globo circumuoluente ſe, ſine vulneris veſtigio extinguitur. Creditum eſt, inopinanti licet, haud imparato tamen, infauſtum lethum obtigiſſe: nam eius ad feneſtram ſpectantis audita eiuſmodi vox erat; Prôh quàm formidoloſus nunc terror incutitur mortiferæ culpæ ſibi conſcijs! cuius ſententiam hemiſtichio ſubſecutus Sodalis adiecerat: Quàmque ad omnia fulmina pallent! ſecundùm quæ verba vterque Deo ſupplex, procubuerat in genua. Parthenius certè, ad collabentis ſocij extrema ſuſpiria, nihil antiquius habuit, quàm vt humi accidens, declinati periculi beneficium religioſè agnoſceret, ſéque ſoſpitanti patronæ tantò impenſius perpetuum clientē denuò addiceret. 4 Eiuſdem Sodalitatis alumnus alius, ad res Philoſophicas percipiendas Bœoticâ quadam ſtupiditate ſuffuſus, & plumbeo velut ingenio, cùm penitùs hebeſceret; votis Virgini Matri nuncupatis, huic duritiæ mentis amoliēdæ, tantùm poſteà perſpicacitatis nactus eſt, affuſo ipſi, Virginis operâ, clariſſimo lumine; vt de philoſophicis ęnigmatis abſtruſiſſima quæque liquidò peruideret.

5 IN EADEM Gallia, Ambianenſibus ſcholis nata eſt Parthenia Sodalitas, eodemque illi extinctus eſt totius Mariani chori flos delibatus, annorum duodecim, Peronenſis puer; quem iam inde ab incunabulis magna Mater ſibi delegerat, inuſitatæ cuiuſdam ſapientiæ innocentiæque futurum pueris ac viris exemplum ſin-

gulare. Eius indoles ad omnem religionem egregiè comparata; octauo ætatis anno, ardentiſſimâ cœleſtis epuli ſame cœpit concitari, cuius vſu aliquandiu prohibitus, vt æſtimandæ tantæ rei minus idoneus, vt tandem frueretur, rationibus haud quaquam puerilibus, impetrauit. Vt autem inaudijt de Societatis ſcholarum diſciplina, incenſo rerum diuinarum ſtudio, quarum ibi fieret vberior copia, precibus expreſſit, vti ad Collegium mitteretur. Diſcipulorum ergò parium cœtum ingreſſus, quaſi nouus, & inſito ſplendens lumine ſol, inter minora ſydera exortus, è veſtigio cunctos in admirationem ſui rapuit, beneuolentiamque. Suauiſſima nempe ipſius erat conſuetudo, mores cõpoſitiſſimi, ſermo totidem penè oraculis, quot conceptus verbis, ergà res diuinas ardor incõparabilis: quibus ſe abſorbendum, ſummâ ſuâ voluptate, magnam temporis partem dabat. Sed vel tam ſancti pueri præſentiâ indigni erãt mortales, vel cœlites non digni diuturnâ vtique eiuſdem abſentiâ; vt paucis menſibus, ei propemodum viuenti, ſuauiſſimè animus euelleretur è corpore, beatorum choris mox inuehendus.

6 LVGDVNI, adoleſcens Parthenius, cùm ingentis aſſiduitate negotij prohibitus, ſtatos Sodalitij conuentus non obiret, animo tamen ſtudium ergà Patronam diligentiſſimè fouebat; cuius ei copioſam mercedem, magna Mater repẽdit in tempore. Is enim, cùm operis neſcio quid curaret ardentiùs, maioris modi acum altè de-

fixit in ſiniſtro oculo; cuius plagam vt pericli-tati ſunt medici, decernunt, reuocandi luminis ſpem eſſe ablatam penitùs, in id vnum maturè conferendam artis induſtriam, vt oris deformitas abſtergeretur, cæteram omnem operam planè inanem fore. Per eas anguſtias artis humanæ opiſque, adoleſcens ſummo conatu mentē erigit ad extraordinaria ſubſidia è cœlo accerſenda, magnæque Matri ſupplicat ardentiſſimè, interpoſitis triplicium votorū velut obſidibus, vt clienti ſuo manum admoueat ſalutarem. Sub illam precationem Chirurgos obteſtatur, amoliendæ luminis orbitati curationem adhibeant ſolertiſſimè, tantiſperque ſuſtineant petitum ab naturæ & artis experientiâ iudicium; nam magnoperè confidere, ab Dei parente ſuffectum iri manibus ipſorum, inuſitatam vim ſanationis, eius ductum modò ſequerentur, quæ remedia & operam eſſet proſperatura extrà ordinē. Medicis ei tantoperè roganti obſecutis, paucorum dierum curatione, oculus aciem integram, ſpeciemque recepit, tenui dumtaxat vulneris maculâ reſidente, quæ diuinæ manus admotæ veſtigium præferret, identidemque refricaret memoriam beneficentiæ.

IN CAMBERIENSIS Collegij Sodalitate, quæ eſt iuniorum, detineri ſe Cauſidicus indignum ſuâ conditione credebat. Eapropter habebat ſe negligentiùs in omnibus, & multâ infrequentiâ nauſeam ſuam oſtentabat apertiùs. Ei ergò quieſcenti oblatum eſt viſum magnæ Matris, in puerorum conuentu, eorum ſingu- 7

Digitized by Google

los amantiſſimè amplectentis, & nullo non blãditiarum genere ſingularem omnibus teſtificãtis beneuolentiam, vno inter omnes præterito neglectoque Cauſidico, quem nec aſpectu dignaretur, niſi vt triſtioris frontis incuſſâ ſeueritate, hominis animum eo ſuæ indignationis percelleret admonitu. Quod equidem ſatís ei fuit; vt ſuam culpam agnoſceret, elueretque in poſterum.

8 Sodalitii Biterrenſis Præfectus, cùm abiret eo honore, poſtulauit in ſe reuocari vetus Sodalitatis inſtitutum, vt mox ab ſuâ præfecturâ iniret munus ianitoris; quoniam verò ſuus ſucceſſor, Pontificijs infulis deſignatus, atque ex Valeſiorum gente regia, non fortaſſe videretur, poſt geſtum Magiſtratum, ei muneri addicendus, petebat vt ſibi etiam eius loco ianuam liceret adminiſtrare. Non ægrè impetrauit prius poſtulatum; de poſteriore cùm referretur ad nouos magiſtratus, ipſumque in primis deſignatum Præfectum, Ludouicum Valeſium, ei petitioni vehementer omnes interceſſerunt, quòd ea de ſuo iure derogaret, qui vilitatem munerum in B. Virginis familiâ ſummo ſibi ducerent honori.

9 Cadurci Sodalitas ſeniorum coaluit ex quadraginta primùm honoratis viris, Epiſcopo, ad Præfecturam delecto, Aſſeſſoribus ei deſtinatis, Archidiacono, & Cancellario. Præſcindendæ autem omnis ambitus materiæ, cùm ex omnium ſententiâ decerneretur, vt nullo diſcrimine ſeruato, primæ ſedes occupantium eſ-

ſent, ipſe Epiſcopus ſuâ ſponte ad ima ſubſellia ſe dimiſit; ſed interceſſit omnis conuentus, & inuitum adegit, vt ſeorſùm in principe loco ſederet, vt qui eâ lege non teneretur. Tam multa nihilominus ſummæ demiſſionis argumenta edere, captareque perſeuerauit, vt ſtupori eſſet Sodalibus; quo in genere viri principes cæteri, eius veſtigia ſtudioſè aſſectati ſunt.

Mvrciae in Hiſpania, latro quidam inſignis, vt ſe periculo eriperet, accuſauit nobilis familiæ adoleſcentem: qui torquendus cùm eſſet, reiecta res eſt à Prætore in diem tertium, eò quòd eſſet peruigilium Aſſumptionis B. Virginis. Adoleſcentis mater, rogauit Sodales Cõgregationis, vt cùm ſacro adeſſent communicaturi, filij cauſam Deiparæ commendarent. Res mira; necdum omnes ſacram Eucbariſtiam acceperant, cùm latro ille feſtinè Iudicem aduocauit, ad eius genua ſupplex ſe abiecit, ſuum confeſſus eſſe crimen, & illius adoleſcentis proteſtatus innocentiam. Ità adoleſcens ereptus è carcere, magno ciuitatis applauſu, enixè petijt, vt in Sodalium cœtum adſcriberetur, perpetuus B. Virginis famulus futurus. 10

Valentiae Sodalitas ſeniorum quæ eſt in domo profeſſa, intra annum, liberauit è carcere ac vinculis, centum & ſeptuaginta captiuos, diſſoluto ipſorum ære alieno. 11

Caesaravgvstana quóque centenos vinctos é carcere, ſuâ pecuniâ, hoc anno exemit. Quinetiam diues mercator, huic propagandæ benignitati, millenos aureos legauit So-

Digitized by Google

dalitio.

12 TVRIASONE, Parthenius quidam lethali vulnere exceptus, cùm exiret è templo, id primùm cauit per Sacerdotem, qui ad eius confeſſionem accurrerat, vt omnes intelligerent, ſe percuſſori condonare; quod & apud propinquos ratum eſſe voluit. Neque caruit mercede illa manſuetudo: nam Deipara, cui erat cliens addictiſſimus, ei ſanitatem, præter multorum ſpem, impetrauit.

13 GVAMANGVAE in Peruuio, Hiſpanus ſcriba ſæpiùs inuitatus, vt vel in vitâ ſemel Sodalitium Marianum ingredi ne grauaretur; quò ſe tandem eius rei mentione abſolueret, reſpōdit; ſcire ſe, ingenioſis hominibus periculi nihil eſſe ab Tartareis incendijs: ideòque ſibi, nihil opus eorum ſubſidiorum eſſe, quibus ille caſus declinaretur: has ergò nænias reliquo mortalium vulgo eſſe concinendas; eas verò ſe iure ſuo habere, habuiſſeque ſemper, deſpicatui: poſſe quidem ſe culpâ pollui, quæ animum ſuum Orco addicat, ſed prouiſas habere animo rationes, quibus, vel ſub ipſum exitum è vita, ſe hoc expediat diſcrimine. Tam veſanam ac tu-

11 midam arrogantiam Deus inultam eſſe noluit. Cùm enim de viâ domum rediret, quinque annorum puer contentâ voce ipſum inclamabat, caueret ſibi ab immaniſſimo tauro cornibus infeſtis imminente, ac mox impetituro; quam vocem, vt ab irridente miſſam, accepit, nec aliud penſi habuit; ea tamen fuit vltimi fati denunciatio, ſi nequam ille intelligeret. Subitò nam-

que in eum morbus inuaſit,qui nec opinantem, & imparatiſſimum extinxit.

OLYSSIPPONE, lecto affixum vnum è Sodalitio domus Profeſſæ,grauis morbus opprimebat, ſed enecabat maximè nauſea; cùm eum, deploratâ iam valetudine,cœleſtis mater humaniſſimè inuiſit, conſpiciendam ſe cum puerulo Ieſu per ſpeciem præbet. Geſtabat puer calathum quibuſdam pomis grauem ; ex quibus vnum aut alterum,ad irritamentum gulæ, offerebat homini faſtidioſo:Leuat ipſe impiger corpuſculum ; dat ſe in genua venerabundus; & in puerum toto impetu ruit. Sed ecce inter manus ſubitò delicium tantum elabitur, moxque nauſea depulſa cum morbo eſt. 14

CONIMBRICENSIS Collegij Sodales, elaturi funere aliquem è Sodalitio , albati coierunt in commune ſacellum ; vnde poſteà ordine progrederentur ad exequias. Quod igitur Sodalium vnus, inſigni tectus amictu non venerat, Sodalitij cenſor ceream faculam ei negauit, mulctæ quaſi nomine. Sed animaduerſio huiuſmodi, hominis animum adeò exacerbauit,vt in verba licentiùs prolaberetur. Verumtamen ab eo ſtomacho vbi deferbuit, hanc piaculi luendi optimam inijt rationem. Cùm enim Sodales coijſſent, frequenteſque omnes nullo veſtis inſigni aſſiderent, ipſe albâ iam penulâ inſignitus ingreditur ; tùm defixis ſolo genibus , temerariam linguæ procacitatem palam profitetur, multiſque incuſat;optare ſe à Cẽſore illo duriùs obiurgari ; cæterùm veniam illo habitu & poſ- 15

Digitized by Google

cere, & ſperare. Eam verò nec immeritò aſſecutus eſt; & ingenui pudoris amatorem omnes mutuo amplexu exceperunt.

Digitized by Google

VITA
MICHAELIS
AYATVMI ADOLES-
CENTIS INDI, ET SO-
dalis B. Mariæ Virginis.

VEre optimum quemque 1
diligit Deus,& ab ipſis ſtatim incunabulis ſuâ gratiâ, ac fauore impertitur, quos in Beatorum ſuorum ordinem, ac cenſum transferre aliquando decreuit. Id olim in multis adoleſcẽtibus,tam qui fœlicia Chriſti tempora pręceſſere,quàm qui ſecuti ſunt,demonſtratũ nouimus; qui certè tales fuêre in ipſâ ſuâ pueritiâ, quales hodie, vel in ſenectute etiam, multos optaremus. Pleni ſunt libri, plenæ hiſtoriæ, eiuſmodi exemplorum; vt neceſſe haud ſit, in re adeò confeſſâ ac manifeſtâ, pro teſtimonijs diu laborare. Non aliam profectò gemmam in Occidẽte Indiâ nuper repertam, puerum inquam,om-

nibus partibus probum, Petrus Aunonius è Societate Ieſu autor eſt. Is Boholio, vbi tum verſabatur, litteras dedit ad P. Gregorium Lopezium, Societatis in Philippinis inſulis Prouincialē, ſcriptas Nonis Martij, anno poſt partā ſalutē 1613. quibus vitam moreſque elegantiſſimos alumni cuiuſdā Parthenij, in Seminario Boholano educati (Michaëlem Ayatumū indigetat) accuratiſſimè conſignauit, vt pote virtutum eius omniū oculatus teſtis, arbiter, & admirator. Nos autem, etſi beata mors huius adoleſcentis inciderit in annum præſentis ſæculi nonum, cuius res à Sodalibus Parthenijs geſtas antè cōſcripſimus; operæpretium exiſtimauimus, hoc loco ſeparatim, quaſi pro coronide noſtrorum Annalium, vitā illius totam attexere.Ità enim, præclaro vnius exemplo, intelligi melius poterit, qualem & ipſa India iuuentutem habeat; quibus moribus in extremis terrarum delectentur boni adoleſcentes, præſertim ij qui B. Virginem in Patronam adoptarunt.

BAPTISMVS, FORMA, ET Indoles pueri.

2 MICHAELEM, patriâ Indū Baſayenſem, è ſacro ſuſcepit baptiſmate P. Gabriel Sanchez è Societate Ieſu, anno proximè ſæculari, ſeptennem id temporis puerulum, vt ad decimum-ſextum ætatis annum perueniſſe colligatur, cùm obierit anno 1609. Facie, vt ſcribunt, erat liberali, frōtéq; explicatâ, ex quâ non raro diuinæ conſo-

lationis vis ac virtus, velut è ſole radij, promicabant. Comem ſe & affabilem dedit omnibus, ità vt nemo eũ oderit, amarent vniuerſi, nec dubitarent ſanctũ eum vulgò dictitare: quamuis ille ſeipſum ad B. Virginis Patronę ſuę exẽplũ, quæ ancilla audire voluit, non aliter quàm ſeruũ appellitârit. Mater eius germana (nam aliã habuit à quâ adoptatus in filium erat, cùm mos ſit apud hos Indos, ſuperſtite etiamnum vtroque parente naturali, in filios ſibi nominare quoſcunque) teſtata eſt, quòd cùm adhuc paruulus eſſet, flagris corpuſculum ſuum concidere, & ieiunijs macerare conſuêrit. Tantæ præterea virtutis, tamque bonæ indolis iam inde à cunabulis fuit, vt altera eius mater aliquoties narrare ſoleret, illum vel è ludo litterario, vel è templo redeuntem, quotidie conſueſſe, ſe domi precibus dare. Quem dehinc morem, grandior factus (priùs etiam, quàm ſeminario nomen daret) diligentiſſimè conſeruauit.

SEMINARIVM BOHOLANVM *Ingreditur.*

DVODECIM ferè annorum erat, cùm in hoc ſeminarium receptus eſt. Ac primò quidem, viſus eſt ab eo velut carcere abhorrere, puerili quodam timore, teneróque parentum dulciſſimorum amore, à quibus auelli, & abeſſe, puero durum videbatur. Non tamen diu factũ eſt, cùm puduit verecundum adoleſcentulũ eiuſcemodi doloris; quem breui ità deterſit, vt 3

iam nullus in ſeminario libentiùs lætiùſque viueret ipſo Michaële, ſæpiuſque Patri, cuius patrocinio alumnis aggregatus erat, gratias ageret, quòd tam ſancto cœtui fuiſſet adſcriptus. Habet enim Boholanum illud ſeminarium viua omnium virtutum exempla, quæ ingenuam eius indolem ad æmulationem facilè accendebant. Sunt ibi adoleſcentes, qui oblatas honeſtiſſimarum nuptiarum conditiones magno animo reſpuunt; ſunt, qui ad fœminas, ne propiùs quidem accedunt. Audierat quidam eorum, olim à D. Franciſco omnia paupertatis amore in mendicos erogata: pari ergò feruore accenſus, veſtes ſuas, quas tùm nouas geſtabat, cum attrito mendicabuli cuiuſdam centone commutauit. Quidam ex alumnorum famulis, audito cuiuſdam Monachi exemplo, qui abſconditum panem præſidi ſuo patefeciſſet, adijt Patrem ſocijs comitantibus, eíque ad genua proiectus ſupplicauit, vt pro ablato quodam exiguo pomo, pedibus aliorum ſuper ſe impoſitis calcaretur. E Zebuanâ vrbe cornutus vitulus huc delatus erat, mandatúmque alumnis, cum eo vt luſitarent aliquantulùm, & cum vitulo animi gratiâ quodammodò vitularentur (plures enim ex illis, ne ſemel quidem, tale animal aliunde aduectum viderant.) At ex omnibus natu minimus puer, eo neglecto ludo, ſeſe interim ad ſanctiſſimum Sacramentum furtim abſtulerat; quem cùm ibi deprehendiſſet Pater, ad ludum ire iuſſit. Ille D. Hermanni, aiut

Edmundi exemplum ſequi cupiens; Benè, inquit, Pater, mecum agitur hîc, ni tibi aliud placet. Virginem Deiparam impensè omnes amant, à quâ cumulatè recipiunt, pro ſuo ergà illam obſequio, quidquid illis non modò vtile, ſed etiam iucundum eſt. Quidam Sodalis, iter ad montem quendã faciens, incidit in fœminam grauiter dolentem, quam ſtatim humeris impoſitam, ſuo prætermiſſo negotio, detulit ad templum; vt ibi à confeſſione remedium doloris acciperet. Cantorum magiſter natum iam morientem deplorare cœperat; ſed cùm primùm, voto emiſſo, illum D. Ioſepho Seminarij Patrono obtulit, ſanum vidit. Quo exemplo inducta fœmina, idem pro puerulo ſuo recens nato fecit, idem effecit: adeóque conſuetudo illa, quæ in Europâ eſt, liberos offerendi alicui Religioni, apud hos Indos eſt, dicandi ſeminario: in quo ità inſtituuntur, vt non rarò parentes ipſi à ſuiſmet filijs Chriſtianam legem edoceantur.

PRECATIONIS IN PVERO continuus vſus.

PRECIBVS, quas Vocales nominant, à puero ſtuduit: *Præuênit namque illum Dominus in benedictionibus dulcedinis.* Teſtis ipſe ſum (ſcribit in ſuis litteris P. Aunonius) illum ſingulis diebus, decimo tertio, aut quarto ætatis anno in more habuiſſe, ſanctiſſimam Euchariſtiã inuiſere, manè ac veſperi, vel audito ſacro, 4

vel decãtato Salue Regina;non minore reuerẽtiâ, atque animi demiſſione, quàm perſeuerantiâ ac ſtudio , reliquos in hoc alumnos ſuperans, qui hoc prætermiſſo bono domum petebant luſitantes. Præter alias verò ſibi preces familiares, nouies quotidie recitauit B. Virginis corollam , donec inſtructior,doctiorque,mente etiam precari nouit. Et quotidie quidem ſummo mane lectulum ſuum deſeruit: imò horam conſuetam ſæpiuſculè anteuertit puer. Sed ità nihilominus præferuens hæc eius precandi induſtria , à Maioribus temperata eſt , vt ſanctioribus tantùm B. Virginis, aliorúmque Diuorum peruigilijs , meditationis tempus ipſi liceret non præuertere , ſed producere. Quod profectò & domi fecit , & foris : in excurſionibus namque frequens fuit Patrum Societatis comes. In quibus,cùm ſomnum quandoq; puerulo ſuaderent longiorem,ætas , & defatigatio, ne fortè ſtatam precandi horam negligeret, Patrem perſæpe rogauit , ſibi vellicaret aurem; quod vt libentiùs certiuſque faceret , artificio quodam monitorem ſibi obſtrinxit; pollicitus, toties ei, vel vnum , vel plura roſaria dicturum, quoties operâ illius,& vigilantiâ expergefieret. Chriſti domini vitam, Virginiſque Matris res geſtas , argumentum contemplationi ſumpſit; nec ſtetit in ſolâ ac nudâ tantarum rerum admiratione ; ſed ea, quæ animo , ac cognitione ſapienter tractauit , opere deindè vitâque ipſâ diligenter admodùm expreſſit.

DIVOS TVTELARES ET SAcras imagines ſingulari cultu proſequitur.

PATRONORVM ſuorum, ac præcipuè D. Virginis, SS. Ioſephi, Michaelis Archangeli feſtas luces, pluribus, iiſque feruentibus pietatis exercitijs anteuertere ſtuduit. Eum in finem preces, vigilias, ieiunia, verberationes creberrimè vſurpabat; atque vt nihil negligeret, aliorum preces ad id emendicabat, viciſſim pollicitus operam, cùm Patronorum ſuorum anniuerſarios dies religioſè eſſent acturi. Sacras quoque Diuorum imagines in primis honoribus habuit. Inſignia Christi paſſi, pueri Ieſu, Matriſque illius effigiem à D. Luca expreſſam, in teſtudinatâ capſulâ à ſeipſo confectâ, ſecum ſemper geſtabat; ne videlicet oculi priuarentur, quo animus paſcebatur; aut locus eſſet, in quo delicias ſuas non videret. Adeò enim iucunda illi Mariæ, adeò Ieſu dulcis fuit memoria, vt ab eorum ſe laudibus, ne in turbâ quidem, aut ludo abſtineret, illa verba identidem vſurpans, *Laudetur vbique Ieſus Chriſtus, eiúſque mater ſanctiſsima Maria.* Suâ ſibi manu, Chriſti Domini è cruce penduli ſculpſit effigiem, cuius intuitu conſiderationéque, ad ſimilia quædam pro ſuo Seruatore perferenda, accenderetur. Et ſanè *mortificationem Ieſu Chriſti in ſuo corpore aſsiduè circumtulit*; ſæpè ſciſcitatus à Patre; quanam ſibi poſſet ratione, Dei præſentis ima- 5

ginem, animo velut inſculpere? Atque hoc eum deſiderio fruſtratum minimè fuiſſe, inde deprehenſum eſt, quòd apud omnes ea fuerit ſemper illius hilaritas ac modeſtia; vt, aut cum optimo aliquo amico ſuo, aut cum grauiſſimo morum magiſtro verſari videretur.

TEMPERANTIA ET CORPORIS diſciplina.

6 SEXTAS ferias Chriſto Domino ceu Patri, Sabbatum B. Virgini, ceu Matri, ieiunus conſecrauit: præterquam, quòd huius dies ſacratiores, hebdomadario ieiunio, alijſque corporis macerationibus, & antecederet, & ſequeretur. Magnum ieiunium, quod Eccleſia quadraginta diebus continuat, ſanctiſſimè obſeruauit; idque cùm ſemel à P. Rectore ipſi denegaretur, non quieuit antè, nec à latere ſui Præfecti diſcedere voluit, quàm facultatem tanto tempore à cibis abſtinendi obtinuiſſet. Idem obijt aliquot antè mortem hebdomadis, in honorem Archangelorum Principis, ac Patroni ſui, Michaelis. Quotdiebus ſemel (niſi aut morbus obſtaret, aut imperium) vbi primùm cubitu ſe leuauit, funiculis ſe cæcîdit. Publicè ab alio flagellari ſæpenumerò poſtulauit; imò non ſemel à Sodalibus ſingulis malè plecti, colaphis onerari, ſputis fœdari, quò vel innatam ſibi verecundiam Dei amore temperaret, vel Chriſti à Iudæis tam crudeliter habiti dolores, ac cruciatus, aliquo modo ſentiret. Poſtremis

vitæ

vitæ ſuæ diebus, enixè petijt, vt liceret ſibi ſeminudo, per publicas oppidi plateas, flagellis cædi. Quare biduo antè eius mortem, Michaëli adiuncti ſunt quatuor Collegæ, à quibus eam pœnam, à Seminarij domo ad templum vſque, ſuſtineret. Depoſito igitur induſio vmbilico tenus, vni propriâ dat manu chirographum, in quo, quidquid præconis voce publicè recitari vellet, deſcripſerat; alteri tubam porrigit; tertio flagellum; ipſe lætus flagrionis habitu incedere geſtit, ad eum omninò modum, quo vno abhinc anno publicè plecti viderat Baylanas quoſdam Idolorum Sacerdotes. Stantem ità in procinctu militem, & iam ad vulnera excipienda paratum, pedem ſubitò reprimere iuſſit Pater, piam illam voluntatem Deo Optimo Max. tantiſper ſatis fore perſuadens, dùm commodiore tempore factum ipſum concederetur. Difficile ac durum fuit hoc imperium Michaëli; ſed ceſſit, indignum ſe compellans, qui Chriſti cauſâ plagas acciperet. Sub noctem apud Patrem iteratò inſtitit, vt die ſequenti, (quæ ſexta erat in hebdomadâ) tunicato ſaltem per oppidum ad ſanguinem vſque cædi liceret, è re ſibi & æquo videri, quidquid ad extremam ſalutem conduceret, extremo vitæ potiſſimùm tempore fieri. Negatum eſt etiam hoc illi, idque iterùm: cùmque incertitudinem mortis cauſaretur, ac poſtremum vitæ diem præclaris factis anteuertendum pugnaret, aſſenſum eſt eius voluntati, quæ tamen poſterâ die, ab inſperato mortis ſuperuentu, denuò eſt impedita.

OCVLORVM ET AVRIVM cuſtodia.

7 SENSVVM exteriorum ſedulus moderator, diligénſque, velut in ſpeculâ, ſemper obſeruator fuit Michaël, ne quà audaciùs liberiúſque diffluerent. Oculos verecundè demiſſosità regebat, vt non modò fœminarum illis, ſed ne virorum quidem aſpectum (niſi quantùm neceſſitas exigebat) concederet. Sed nec ſibimetipſi ſatis fidebat, quin corpus tectum perpetuò haberet. Cùm è lectulo ſurgeret, talari veſte pedes occulebat. Quòd ſi in modeſtiæ leges à ſe dormiente, vel paululùm notaſſet peccatum, dolenter tulit, eique incommodo remedium adhibuit, ſaccum linteum, quo incluſus, etiam volens non poſſet releuari. Deprehenſus nocte quadam, pedibus tectis quidem, ſed varicatis dormire; eâque de re admonitus erubuit, veniámque mox ab omnibus demiſſè poſtulauit. Quæ modeſtia tantò in Michaële cenſenda eſt admirabilior, quantò maior eſt in hac Biſayenſi gẽte, denudandi corporis conſuetudo. Ad aurium quoque portas, eâdem diligentiâ excubitorem egit; illàc non Sirenum cantus, non modulos voluptatis, non quidquam Sotadicum, inhoneſtum ve admiſit. Si quid inopinatò fortè ad aures accidiſſet, quod impudentiam ſonaret, ipſe verecundiæ ſuæ ſtatim, vel fugâ celeri, vel caperatâ fronte, vel ad Patrem factâ appellatione, proſpexit. Nihil iniquiore animo tulit, quàm cùm

æquales ſuos intellexit delectari numeris quibuſdam ac cantilenis Idololatrarum ; cúmque ſæpius illi fieret per P, Rectorem facultas conciunculam aliquam meditandi, ſeriò admodum in iſtiuſmodi homines inuehi conſueuit,qui vetera atque obſcœna falſorum deorum delyramenta iactarent.

LINGVAE MODERATIO ET in verbis prudentia.

LINGVAE pari cautione moderabatur.Prudentiam, quæ in tantillâ ætate eſſe potuit, reſponſa illius ſat produnt. Monuit eum aliquādo vnus è Societate Ieſu ne ſe tātopere affligeret in Patrum opportunitatibus procurandis; ſiquidē apud eos lege cautum foret, ne commodis proprijs ſtuderent: Hoc quidem, inquit ille, Patribus expedit, qui ſibi aſſiduè vim faciunt ; at verò aliud mihi imperat Deus, eorum videlicet, vt neceſſitatibus,quantùm fieri poteſt, occurram, eorundemque vtilitatibus ſtudeam quàm diligentiſſimè: itaque ſola ad me ſpectat chari[illegible] non parſimonia. Ad æquales ſuos in offi[illegible]ntinendos dicere ſolebat, exactiorem q[illegible]um ij[illegible] in Seminarijs Societatis forent, in[illegible]n rationem : quòd apud eos viuerent, [illegible] exemplis proficere poſſent, quòqu[illegible]s, quàm reliqui Biſayæ beneficijs cu[illegible] Indus quidam recens ad Chriſtian[illegible]s,peccata ſua Patri expoſiturus ven[illegible]æſo (aiebat Michaël) 8

audias nouitium hunc Chriſtianum, Pater: diſcat priùs, quidnã ſit peccata rite expiare, tum enimuerò, nullo negotio, illum à laqueis, quibus adhuc inſcius tenetur, explicabis. Quod conſilium non puerile fuiſſe, experientia deinde oſtendit. Iocabantur fortè nimis liberaliter, & verba quædam ab honeſtis paulò alieniora inter ludendum ſubinde effutiebant, illius coęui: mox curriculò ad P. Rectorem venit Michaël, rogat, verbis eos acrioribus coërceat; ne, inquit, à modicis exorſi paulatim grauiora audeant. Iuſſus fuerat aliquando, verba de Chriſtianis myſterijs publicè facere ad Biſayas, quippe qui eius gentis mores rituſque probè noſſet. In eâ concione Biſayarum Diuatas, Tagalorum Bathalas, Mindanaënſium Mahometes, Iaponenſium Amidas, Itarum Bibitas, Brachmanũ Pagodes, Cinenſium Cequias, aliarúmque gentium idola omnia ac ſingula, à Chriſto Domino ſuperata, eneruata, penituſque dudum fuiſſe ex deorum numero proſcripta, demonſtrauit. Iure merito igitur Ieſum Chriſtum ſolum pro vero Deo haberi dicebat, qui omnes vinceret, à nullo vinceretur.

INDVSTRIA IN OMNIBVS actionibus.

9 MIRE induſtrium ac ſolertem experti ſunt Michaëlem, quotquot eum familiariter nouerunt, ijs potiſſimùm in rebus, quæ ſacrum vſum habebant. Flagella pro caſtigando cor-

pore texere, ijſque ſtellulas ad eliciendum ſanguinem inſertare calluit, quàm qui ſcitiſſimè. Et quidem ad ſacram confeſſionem, quod attinet, ſeu cùm ſeipſum præpararet, ſeu cùm alios eodem in negotio inſtitueret, nemo erat accuratior. Modum porrò confitendi, eumque Biſayas ſuos docendi, in propriâ chartâ ſibi conſignârat, quam legendam deinde cenſendámque Patribus obtulit. Viderunt eam, legeruntque magnâ cum voluptate; quòd pulcherrimè, rationibus, exquiſitis exemplis, & ſimilitudinibus aptiſſimis, ſuaderet memoriam, dolorem, deteſtationem, narrationemque peccatorum, ac quidquid demùm emolumenti ex eo Sacramento in Chriſtianum hominem poſſet redundare. Quo exercitio duo potiſſimùm conſecutus eſt optimus adoleſcens, vt & ipſe trãquillã ſibi compararet conſcientiam, & primus eſſet qui in hac Boholanâ inſula confeſſionis generalis vſum inuexerit, quam ipſemet non ſemel vſurpauit.

QVANTVS FVERIT OTII deteſtator.

IAM otio, atque ignauiæ, perpetuum quaſi exilium indixit. 10 Ad culinam ſæpè itabat eâ ſolùm de cauſſa, vt, ſi aliquando Patribus comitari neceſſe eſſet, ipſe coci munere fungi cum dexteritate poſſet. In nauigijs ſolus omnia curabat, onera importabat, exportabat: in mortariolo à ſemet in eum vſum confecto, orizam terebat; ex

quâ panem deinde Patribus ſui amantiſſimis magnâ charitate ſubminiſtrabat. Et inter has quidem continuas corporis occupationes, animo minimè feriabatur optimus adoleſcens. Tam enim familiarem ſibi fecerat precandi conſuetudinem, vti nec domi ſtantem, nec foris ambulantem, aut nauigantem, ab eo negotio vacuum facilè deprehenderes. Ità quod de plæriſque ſanctis vulgo dicitur, nunquam otioſus minùs erat, quàm cùm erat.

QVOMODO DIES VACAtionum traduxerit.

11 DIES quos relaxandis corporibus, atque animis alij ſumunt, Michaël labori dedit. Cum omnibus ibat; nec tamen, quod omnes, exercebat. Quamuis enim ludentibus ſocijs non facilè abeſſet, plærumque tamen aut acu, aut calamo, aut ſcalpello, aut manu aliquid moliebatur, quod pietati inſeruiret. A latere vnius è Societate vix vnquam diſceſſit, quæſtiunculis eum, de Deo rebúſque diuinis aſſiduè ſollicitando, conſulendóque. Quin & ipſe non raró ad cuſtodiam, domi volebat relinqui; non quòd naturâ Timon aliquis μισάνθρωπος eſſet, ſed eo dumtaxat fine ac animo, vt aut communi ſe priuaret oblectamento, aut lectitaret aliquid ſcriptitarétue, quod Numinis cultum, Virginis honorem, hominum ſalutem prò-

Digitized by Google

moueret : videlicet modum examinandi conſcientiam, litaneuticas preces, Diuorum res geſtas, aliáque huiuſmodi, quæ non minori cum voluptate domi exercuit, quàm æquales ſui, qui foris per prata campóſque diſcurrendo, vires animi corporíſque impigrè reſtaurarent.

AB OMNIBVS DISCERE ſtuduit.

CVM ipſe exemplo omnibus eſſet, ab alijs tamen exempla virtutum ſumere nunquam intermittebat. Quocirca ſolemne habuit, omnes ſuperiores ac magiſtros ſuos non infrequenter adire, eorumque viuendi rationem explorare. Audierat aliquando, Beatum Societatis Ieſu parentem Ignatium, per integram interdum hebdomadam, cibo, ac potu abſtinuiſſe. Ne nihil ergò in hoc quoque genere virtutis præſtaret, egit ſæpiùs cum Patribus, vt ſibi permitterent, diurnum ſaltem ieiunium abſque vllo paſtu, aut potu tranſigere. Nam ſolo pane & aquâ viuere, conſuetudo ipſi iam leue negotium fecerat. Potitus eſt voto aliquoties, tantâque voluptate à menſâ abfuit, quantâ alij acceſſerunt. In memoriam venit illi aliquando Chriſtus ipſe Dominus, ad columnam à Iudæis immaniter alligatus. Petijt ergò, vt & ipſe per noctis interuallum erectus, manibus, pedibúſque ad- 12

ſtringeretur. Sæpius illud ſollicitauit, vt ob eiuſdem Domini memoriam in cruce quâdam extenſus, ligatuſque pernoctaret.

ANIMI DEMISSIO ſingularis.

13 VERAM animi demiſſionem ſtuduit in primis ſibi comparare. Vidi illum nocte quadam (inquit P. Aunonius) dum ſeminarium inuiſerem, ſub lectulo in terrâ cubantem; quem à me reprehenſum audiui reſpondentem; ſe illud humilitate magiſtrâ didiciſſe, quippe quæ doceret in terrâ terram ſternendam. Veſtitu vtebatur paupere, ſed mundo; & quamuis precioſis veſtibus non careret, induci tamen vix potuit, vt ſaltem cùm Chriſti Corpus ſumpturus erat, cultiore paulùm amiculo integeretur. Vltimum in ſedendo eligebat vbique locum. Interrogauit aliquando, quænam maior cenſeretur humilitas, cùm Patrem in itineribus comitaretur, præcedere, an ſequi? volebat enim id, quod abiectius eſſet, eligere. Deſignatus ſubinde reliquis Alumnis ſuperior, in eam deuênit triſtitiam, vt morbum aliquando contraxerit; quo liberari antè non potuit, quàm in ordinem redactus eſt. Adeò à propriâ, vel laude, vel exiſtimatione abhorrebat, vt vel vmbram honoris non ferret. Perſona Chriſti Domini, in dramate quodam, ipſi agenda erat: eam ille tantâ verecundiâ ſuſcepit, tantâ ſui

deſpicientiâ egit, vt thronum, cui inſidere, maieſtatémque, quam repræſentare cogebatur, deſerere quàm ocyſſimè curaret. Illam quam tantoperè B. Bernardus virtutem deprædicat, perturbationum, inquam, aliorumque, quæ in animo ſunt, arcanorum proditionem ità obſeruauit, vt quidquid malus ſuggereret Genius, quantumuis fœdum & abominabile, illicò Patri expoſitum iret. Malebat enim cum rubore hoſtem prodere, quàm in occulto perire.

CASTIMONIAE AMOR.

ET hæc potiſſima Michaëlis fuit baliſta, quâ igneas ſagittas contrà caſtimoniam à Cacodæmone immiſſas, potenter retorſit. Tribus enim antè mortem annis, coram Chriſti in Cruce pendentis imagine florem pudicitiæ deuouit, quem ad vitæ finem vſque ſanctum illibatúmque conſeruauit, quamuis non à Diabolo tantùm, & carne, ſed à parentibus etiam laquei tenderentur. Vocarat ad ſe puerum aliquando, Inda illa, quæ ipſi ius filij iamdudum dederat. Vocato, auri magnam vim oſtendit; &, En tibi fili mi, inquit, iam parta res eſt; nihil porrò deeſt, quàm ſponſa te digna, cum quâ inter nobiles lætus viuas, & fœlix. Itaque elige tibi, vel Baclaini, vel Roboci æqualem formâ, & diuitijs; duc domum; & ego nuptijs tuis præero, nullis ſumptibus, nullis laboribus parcam. Ad 14

has fœminæ voces, ceu ſerpentis alicuius ſibilum, exhorruit caſtus animus; &, Ceſſa, ait, ceſſa mater mea, eiuſmodi mihi facere cogitationes: pro hoc conſilio nec ætas mea apta eſt, nec voluntas opportuna. Dato hoc matri reſponſo, continuò ad Patrem Societatis aduolat; &, Quàm callidè, inquit, ô Pater, me aggreſſus eſt hoc veſperi antiquus hoſtis! Deum immortalem! quàm fallax, & vafer eſt piſcator ille animorum, qui mortiferum hamum ſpecioſâ eſcâ obductum, pueris quaſi piſciculis in æterno igne excoquendis, amat obtrudere! aduerſus quem, ſicut diuinam in me expertus ſum clementiam, ſic & hoc tibi, vt pro me grates vnà mecum Deo perſoluas, volui ſignificare. Sed nec multò pòſt periculoſiori impetitus eſt iaculo. Adijt illum, Patribus inſcijs, frater germanus, iam à parentibus in hanc expeditionem ſubornatus. Rogat, ſibi in re graui credat, parentibus ſenio confectis id beneuolentiæ ne deneget, vxorem ducat: nihil ſuis poſſe fieri gratius, nihil ad ſplendorem generis illuſtrius, nihil ad rem familiarem augendam locupletãdámque vtilius, aut nobilius: ſiquidem ille inter Biſayenſes reliquos antecellat, qui plurimùm affinitate ſit auctus. Reſpondit fratri Michaël: Quin tu potiùs parentes noſtros admone, idem mecum vt ſentiant, Chriſtum Dominum, vt veri Chriſtiani colant, in eo ſpes ſuas collocent; quod ſi quis eis moleſtiam creet, illam æquo animo ob eiuſdem amorem perferant; ſciant-

Digitized by Google

que, atque iterum intelligant, me nolle vllo pacto de matrimonio quidquam ſtatuere. Circa vltima vitæ tempora, inuiſit aliquando parentes ſuos, quò illos ſalutaribus monitis imbueret. Simul verò tecto ſubijt, ecce tibi lamenta & gemitus. Hinc mater cadentibus lacrymis, inde Pater ætate grandæuus, vtrinque conſanguinei, reliqui vno quaſi ore exclamant, Heu te perditum Michaël! reſipiſce quæſo, vxorem accipe, Biſayas reliquos imitare: virginitatem, inauditum hunc morem, Hiſpanis, & Patribus relinque. Vix hæc audierat adoleſcens, cùm ſibi magis, quàm ſuis timens, initâ ſtatim fugâ, ex ædibus paternis ſeſe proripuit, nec ab eo tempore vnquam, vel parentes, vel conſanguineos conuenire voluit, tanquam certos caſtimoniæ ſuæ, & capitales hoſtes. Quin & munuſcula ab ijſdem ſubinde miſſitata, velut irritamenta malorum, non modò reſpuit; ſed, cùm quid fortè illo abſente ac neſciente à ianitore fuiſſet acceptum, ſtatim expediuit ad parentes aliquem, qui diceret, ne donationibus illi porrò moleſti eſſent; ni faxint, fore vt quæ acciperet, protinus porcis abligurienda obiectaret. Atque hæc quidem minabatur Michaël: bellaria interim aliaſque id genus delicias, quæ ipſi paratæ erant, æqualibus ſuis, hilari, ac liberali vultu diſtribuit.

STVDIVM PAVPERTATIS.

15 PAVPERTATIS verò eam rationem habuit; quæ religioſum etiam virum ornare poſſet. Ne pomum quidem ex horto, vel ipſe attigit, vel ferre potuit, cùm ab alijs furtim legerentur; ideò ſubmonere ſolitus eſt eos, penes quos erat talia, vel prohibere, vel caſtigare, ne quid ſcilicet à quoquam impunè in tam ſanctam virtutem peccaretur. Paucis ante obitum diebus, linteum à parentibus ipſi dono miſſum, remiſit; ſiue quòd affectui, qui in eiuſmodi munuſcula facilè intemperans eſſe ſolet, timeret; ſiue quòd redundantia penes ſe eſſe nunquam pateretur; adeò vt, nec ſumptus propter ſe fieri, nec occupari opifices ſui cauſâ vellet; vnde & togulam, in qua deinde ſepultus eſt, ſuapte ſibi manu concinnauit.

ALACRITAS OBSEQVENDI.

16 DE ALACRITATE eius in obſequendo, & ad nutum quemuis parendo, quid dicam? Tam parui curam ſui; tam magni, Dei, & maiorum ſuorum voluntatem duxit. Non fuit inter tot eius collegas, qui celeritate obtemperandi, Michaëlem vinceret; proinde expeditum, & in quæuis mandata paratum reperit eum ſuperior & inferior, cùm non à quo, ſed quid præciperetur, attenderet. Ipſâ illâ luce, quam vltimam vidit, miſſus cum aliquot alijs pueru-

Digitized by Google

lis ad ientaculum, vt inde ad flumen aliquod pannos elutũ, ſe conferret; Quin potiùs, inquit, prætermiſſo ientaculo, Deo parendum priùs, deinde corpori faciendum ſatis?

AEQVABILITAS VITAE.

17 MAGNO animo tulit, ſi quid humanitus accidiſſet, & ad omnes caſus, & fortunæ viciſſitudines ſolerte curâ ſe præmuniuit; illud frequens ſecum reputans, patientiâ ac longanimitate innumeris ſuperiorem fuiſſe incommodis, celebratiſſimum illum virum Iobum; & ex infirmiore ſexu Beatiſſimam Virginem Deiparã, propter crucem demortui filij, inter acerbiſſimos animi dolores, longo ſilentio inuictâque conſtantiâ perdurantem, nec ad inſtar præficarum cæterarúmue muliercularum, aut humi corruentem, aut vnguibus faciem fœdum in modum laniantem, ac deturpantem. Hæc cogitatio Michaëli pro clypeo & præſidio fuit, quo facilè, tantillus etiam adoleſcens, omnes humanos caſus, aut eluſit, aut repreſſit. Diem ſupremum clauſerat auunculus ipſius, quem vnicè Michaël diligebat. Comploratio erat inter affines & conſanguineos ingens facta, more antiquo Biſayenſium, qui ſuorum funera non lacrymis tantùm, ſed magno etiam vlulatu ac gemitu, die noctúque, inſomnes proſequuntur. Solus Michaël animo immoto, ac imperturbato, oculíſque ſiccis, dilecti funus ſpectauit; non quòd ſenſu careret ado-

leſcens cerâ liquidior, ſed quia lugendum adeò non videretur ob d, quod non ſine diuinâ prouidentiâ factum credebat.

CHARITAS ET BENEVOlentia in omnes.

18 CHARITATE cùm in omnes, tùm in æquales maximè, & Patres Societatis Ieſu erat prorſus ſingulari. Aquam ad eos refocillandos ſæpè hauriebat ipſe è fluuio, eamque lætus, iuxta ædes paternas tranſiens, neglectis eorum reprehenſionibus, domum deportabat. Aliorum vices in muneribus exequendis libenter agebat; in verrendâ culinâ, vaſis tergendis, ollis eluendis, lancibus ac ſcutellis expurgandis promptiſſimè operam ſuam poſuit. P. Aunonij verba illa ſunt: Stupeo, cùm ea, quæ in itineribus, in quibus mihi aſſociatus eſt, in memoriam reuocare ſoleo: ipſe me pedibus iter facientem præcedebat, gladiolo præcidebat ramos arbuſtáque, quæ iter impediebant aut retardabant: cùmque per montium abrupta ſcandendum eſſet, fluuiúſque traijciendus, ipſe mihi pro ſcipione erat: ſi quæ ſenſim accliuia, ſeu etiam ardua cacumina ſubeunda erant, pedem ſupponebat, ne ipſe fallente veſtigio in præcipitium delaberer. Ad oppidum me conferebam aliquando, cùm lutoſâ viâ defatigatus in cœnum me penè inſcium demerſi, è quo ſtatim Michaël, contempto ſuo periculo, me apprehenſum in tuto collo-

Digitized by Google

cauit. Denique, vbi diuerſandum aut pernoctandum fuit, ſe neglecto, ſolũ patrem curauit; illud ſæpè dictitans, ſi ipſe in tam pijs charitatis operibus occumberet, paruam eam ſe exiſtimaturum iacturam, dummodò ſaluo & incolumi Patre, fieret.

ALIENAE SALVTIS STVdium, & verus in parentes amor.

19 NEC propriæ dumtaxat, ſed alienæ quoque ſalutis ſtudium cordi iugiter habuit; & cùm omnibus iuuandis intentus ſemper eſſet, popularium tamen Biſayarum curam præ ſe ſingularem tulit. Hæc illius identidem vota & verba erant; Iſta & illa Indos meos monete, Patres; hæc cùm peccata eorum auditis, docete; è ſuggeſtu velim hæc moneri; credite mihi, Biſayas noui; noui, quo claudicent pede; talia, non alia, omninò ſunt illis inculcanda. Si quid, quod Chriſtianos mores non ſaperet, in oculos illius auréſue incurriſſet, id abſque cunctatione ad Patrem, nullâ habitâ vllius ratione, detulit, nec eâ in re proprijs quidem parentibus pepercit. Cùm enim videret, eos in funere patrui priſtinis vti ritibus, extemplò eundem Patrem adijt, rogauítque, vt parentibus ſuis increpitis, veteres illos, & à religione Chriſtianâ abhorrentes ritus penitus abrogaret. Cæterùm parentes eo amore, qui ex Deo eſt, proſequebatur. Vtrumq; eorũ, vnà cũ totâ propinquitate, ad Cõfeſſionẽ ſuper omni vitâ faciẽdã induxit. Ve-

rum cùm patrem ſuum duriorem aliquanto nihilominus animaduerteret, egit cum P. Rectore, ſibi vt liceret, illum in ſeminario per menſem informandum retinere, quò ipſè tam grandis natu, iuniorum exẽplo molleſceret, & ad eam, quâ videbatur carere, pietatem, facilitatémque perueniret. Obtinuit quod petijt: ſed quem non licuit videre in terris immutatum patris animum, licuit videre è cœlo. Nam bonus ſenex, mortuo filio, vnà cum vxore, totius anteactæ vitæ crimina, non ſine magno fructu, explicauit.

PERSEVERANTIA IN BENE cœptis & conſtantia.

20 HAS omnes Michaëlis virtutes, quas modò cõmemorauimus, illuſtriores reddidit perſeuerantia, quâ ab incœpto ſemel bono opere deflecti ſe nunquam permiſit. Puer cùm eſſet, in morbum incidit, in quo animæ ſalutem, corporis valetudini anteponens, parentes obteſtatus non ſemel eſt, ne eâ in domo, in quâ decumbebat, Baylana vlla ſeu Idolorum Sacerdos cõpareret; à Deo ſperandam, non à vetulis illis ſalutem; ſecus ſi facerent, ſcirent, ſe etiam humi repẽdo ad Patrem Societatis eos delaturum, de tanto ſcelere caſtigandos. Iam verò cùm die quâdam, nondum à morbo illo recreatus, ſuperioribus ſcalarum gradibus inniteretur, viderétque Baylanam ſibi ſuíſque notam, contrà ſe aſcendere, elatâ voce ingeminare cœpit: Exeſto Diabole,

Digitized by Google

Diabole, apage te hinc,Diaboli amica , ne mea per te mater peccet, & pereat. Neque enim latuit ſapientem adoleſcentem, Biſayarum inconſtantia , qui vel tantillum apertâ ianuâ , ex ouili Chriſti pedem ſtatim referre conſuêſſent. Die Veneris quodam, apponebant ipſi domeſtici ſuillam , eâque vt veſceretur,inuitabant. Se verò Chriſtianum eſſe reſpondit Michaël , proinde talem ſibi cibum eâ die ab Eccleſiâ ſuâ eſſe prohibitum. Vrgent illi magis , ibíque neminem arbitrum adeſſe dictitant, qui eâ de re Patri indicium faciat. Non equidem (ſubdit rurſus ille) ob Patris , vel amorem , vel metum,à carnibus mihi tempero, ſed quòd Eccleſiæ pręceptum eſt,diuinæque conſonũ voluntati. Superioribus annis,celebris quidam Baylanus in his partibus fuit,Paroham nomine, graphicus ſanè impoſtor. Is vniuerſos ferè Indos ad maritimam oram adduxit, vbi facto Idolis ſacrificio aſſeueranter dixit, eâdem luce illuc maiores eorum omnes,in aureâ naui aduehendos,atque à præſentibus ſpectandos. Credidit vaniſſimo oraculo multa hominum turba ; ſolus pęnè Michaël noſter, etſi tunc puerulus tantùm, impoſtori fidem negauit; alijſque deinde, vt vano euentu decepti, ſtultéque à Baylano deluſi, cum Catholicis potius ſaperent & ſentirent,auctor fuit.

OBITVS.

DENIQVE, vt multa alia præclara , quæ 21

diuina bonitas in hoc innocentiſſimo adoleſcē
te operata eſt, prætercam; ipſâ, quâ obijt die
hoc eſt XIII. Calendas Decembris ann
cIↃ. IↃc. IX. primo dilùculo ſacrum veſtia
rium ingreſſus, candido amictu ad miniſterium
Sacrificij ſe accinxit. Socijs renitentibus, &
pro ſacro officio hoc ius illius diei ſibi vendicā
tibus; Parcite vel hodie, inquit, ô ſocij, & ho
tantillum boni, veſtro Michaëli cedite: veſtr
hæc eſt iuris dies, non diffiteor: attamen parcite, & vel huic me ſacrificio miniſtrum indulgete, vt hoc denique lucelli puſillo tenuíque meo theſauro ſuperadijciam. Adſtitit ergò tùm ſacrificanti, (vt aliàs ſemper) non tantùm ad officium ſacrum oculis, ſed & mente ad ſingula, quæ Sacerdos tractabat, attentiſſimus. A ſacro ad ientaculum, à ientaculo ad fluuium mittebatur, ſex pueris pannos abluturis præfuturus. Vix vnum alterúmue paſſum è ripâ deſcenderat, labentibus ſtatim gradibus pronus, fallente vtroque pede in fluuium cecidit, eliſo, ad cymbæ ibi hærentis proram, pectore. Ingeminantem lamentabili voce ſanctos ſuos, quos in vitâ colebat tutelares, Ieſum, Mariam, Ioſephum &c, Sodales non procul pannos ad ignem exſiccantes, exaudiunt, adſunt, extrahunt, eóque poſtulante, Sacerdotem vocant. Reperit Pater illum iam penè exanimem in infimo ſcalæ, ex quâ præcipitarat, gradu, ſtatimq; ſacro oleo inungit. Inde ad cubiculum relatus, paulò poſt, cùm iterum familiariſſima illa nomina ſuauiſſimè inuocâſſet, ſan-

Digitized by Google

ctè in Domino obdormiuit. Neque eſt cur aliquis repentino aut periculoſo fine diem ſuum clauſiſſe adoleſcentem hunc arbitretur; qui ſe quotidie ad mortem, tot virtutibus, ac continuâ ferè extremorum meditatione præpararat. Pridie quàm moreretur, Pœnitentiâ primùm, atque Euchariſtiâ ſanctiſſimè ſe communierat; ſolitus anteà tertio quóque die conſcientiæ ſuæ maculas, Sacerdoti quàm exactiſſimè aperire. Præſenſiſſe eum vitæ ſuæ terminum, non obſcurè, tùm ex his, quæ antè diximus, tùm verò hinc colligitur, quòd germano ſuo fratri dixiſſe memoratur, in animo ſibi eſſe, à Patribus chirographum poſtulare, quo ipſi cauerent, ne ex oppido maritimum aliquod iter ſuſcipere cogeretur; quòd obitus ſui tempus inſtaret, adeóque tutum non videretur, à Sacerdote longiùs remoueri.

SEPVLTVRA ET LACRYMAE.

DEMORTVI cadauer nouus veſtitus, dextram palma, caput florea corolla exornauit. 22
Eius funus ab vtroque Beatiſſimæ Virginis Sodalitio (nam & ipſe Parthenius erat) cohoneſtatum eſt. Tantus fuit dolor, tantúſque gemitus comitantium, vt vix Concionatori dicendi, vix Muſicis canendi datus fuerit locus. Flebant Parthenij Sodalem optimum, alumni ſocium chariſſimum, Patres Societatis comitem fideliſſimum, Biſayenſes popularem vtiliſſimum, pueri ac puellæ Catechiſtem gratiſſi-

mum, parentes filium dulciſſimum, omnes exemplo virtutum notiſſimum; qui Paganos ad fidem, ad conſtantiam, & verbis, & factis animaret; qui præſidibus parêre, æqualibus ſe accommodare, inferioribus ſe demittere poſſet. Biſayenſium mos eſt, plurimùm ſerici ac bombycini panni in defunctorum ſepulchra congerere. Hunc cùm parentes Michaëlis, religioſiſſimè obſeruarent, ideóque non parum pretioſi fili in eum vſum conferrent; interceſſum à Patribus, atque impetratum eſt, vt ijs ſumptibus pauperes aliquot veſtirentur; quod opus ſummâ omnium commendatione, atque approbatione eſt exceptum. Nec dubium, in cœleſti gloriâ iſtud ipſum placuiſſe Michaeli, qui pauperibus ſemper melius eſſe, quàm ſibi voluit.

FRVCTVS QVI EX MORTE Michaëlis conſecuti ſunt.

23 TRIA verò præcipua emolumenta ex beatâ huius adoleſcentis morte, conſecuta fuêre. Primum, vt iam in pretio ſit caſtimoniæ virtus, apud has gentes, quæ priùs ab eius etiam nomine abhorrebant. Nam non ſolùm Seminarij alumni, ſed eorum etiam neceſſarij, ac propinqui, virtutem hanc & laudant, & commendant, & imitari ipſi etiam coniugati deſiderant. Alterum eſt, metus quidam ad præcauendum malè moriendi periculum. Etenim cùm videant atque agnoſcant, quàm vtilis fuerit, quàmque ne-

Digitized by Google

ceſſaria illa adoleſcenti huic quaſi perpetua ad mortem præparatio, quòd ita repentè ſublatus ſit; exemplum ſumunt, & depoſitis criminibus, initâque meliori viuendi ratione mortem ſibi amicam facere, & quâcunque horâ ſeu momento obeundum ſit, propitiam habere conantur. Tertium illud eſt, quòd cùm ad hoc vſque tempus multi adoleſcentes egregij, à Seminarij nomine abhorrerent, nunc demùm viſo Michaëlis obitu, certatim in Alumnorum cenſum venire cupiunt: ipſique adeò parentes, filios ſuos, quibus per ætatem his connumerari nondum licet, ſimili veſte indutos ad Seminarium deducunt, vt ibi grandiorum velut miniſterio, & exemplo, ad virtutem proficiant; & diſciplinæ paulatim aſſueſcant.

CAETERVM quia in vno hoc puero, omnes propè Gratias, hoc eſt, germanas pueritiæ virtutes, virtutúmque gemmas amiſimus, nihil in triſti fortunâ hac ſeueriùs accuſamus, quàm quòd tardiùs non acciderit. Plus nempe dolet quicquid inexpectatum ſauciat. Interim, ne indecoro duntaxat Leſſu, elegantiſſimum eius tumulum inquietemus; Nænia ecce in plauſum conuerſa caſtiſſimis Manibus eius, hanc perpetui Honoris tabulam ſuſpendimus. 24

MICHAELEM AYATVMVM HIC VIDES, IMMORTALIS EXEMPLI PVERVM, QVO NEMO VNQVAM ANNIS IVNIOR, VIRTVTIBVS SENIOR PROVIXIT. NVNC INTER ANGELOS

HOC EST SVI COMPARES SCRIPTVS, AEVVM SINE AEVO FRVITVR. CECIDIT FOELICI FATO, MORS NAMQVE, CVM DIV CIVEM COELO IDONEVM IN PVERIS MVLTIS QVAESIIT, IN HOC VNO REPERIT.

*

EPILOGVS AD SODALES PARTHENIOS.

HAec habui (SODALES CHARISSIMI) de Sodalitatum veſtrarum rebus præclarè geſtis, quæ ſcriberem, à primo ferè illarum ortu, vſque ad annum milleſimum-ſexcenteſimum-decimum-quartum. Nam de ijs quæ conſequentibus nouem annis geſta ſunt, nihil potui pręſentibus litteris exarare; cùm ea nondũ aut lucem viderint, aut ad notitiam meam peruenerint. Intereà, gaudete poſſeſſione tot ac tantorum fructuum, quos hic ager veſter, opitulante Deo, ac Deiparâ patronâ veſtrâ amantiſ-

Digitized by Google

ſimâ, ſuperioribus annis effudit. Quorum memoria his conſignata litteris ſi delectat, quantò tandem iucundius eſt meminiſſe, multò eos accuratiùs in librum vitæ referri? Nihil eſt enim in benefactis hominum tam exiguum, modò referatur ad Deum, quod non ille tantò liberalius vberiuſque compenſet. Reliquum eſt, vt quia quicquid à nobis præclarè geritur, id vniuerſum ab immenſo illo diuinæ munificentiæ fonte promanat; ab eo enixè precemur, vt ſua hæc in nobis dona cuſtodiat, imò nouis in dies incrementis accumulet, ac perficiat. Burdigalæ ex Collegio Societatis Ieſu Kalend. Iunij anno CIↃ IↃC XXIV.

Ad maiorem Dei Deiparæque gloriam.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC libro continentur.

PRIOR NVMERVS ANNVM Chriſti, poſterior marginalem cuiusque anni numerum denotat.

A.

ANgelorum Partheniæ Sodalitates. Anno 1609. numero 15. 18. 20. a.1602. 36. & alibi.

Animarum cura quàm ingens onus. a.1596. n.10.

B.

BAcchanalia piè celebrata an. 1596. n. 50. a.1598.6.19. a.1601. 9.22.29.36.a.1603.33.a.1609.44.1610. 6.

C.

P. Cabaraſij, qui Sodalitates Parthenias primus inſtituit, opus inſigne charitatis ergà latrones.a.1605.n.1.

Caſtitatis exempla a.1581.n.29. a.1586.41. 1594.7.9.40. a.1596. 5. a.1598.9. a.1599.7.11.12. a. 1600. 9.10. 11. a. 1601. 31. a.1602. 3. a.1603. 7.11. a.1604. 3.15 a.1605. 22.44. a.1609. 6.33. a.1610. 36. a. 1611. 17. Vide Michaëlis Parthenij vitam, in fine libri n 14.

Catechiſmi docendi ſtudium a.1594. n.10. a.1597. 2.12. 1601. 9. a.1602. 17.29. a.1604. 12. a.1606. 13. a.1607. 32.35. a.1609. 39. Vide ver. Charitas ergà rudes.

Charitas ergà pauperes a.1581. 10.12.14.18.22. a.1586.

14. a.1590.6. a.1592. 12.13.23.30. a.1594. n.10.25. 30.32.39. a.1596.23.29.46. a.1597.9.a.1601.17.34. 37. a. 1602. 2.11.16.a.1603. 5.11.29. a.1604. 19.a. 1605. 4.10. a.1607. 18.36. a.1608.4.14.15.31.35. a. 1609.35.39.a.1611.11.

Ergà ægrotos a.1581. n.2. a.1592. 3.6. 1596.4.6 9.17. 27. a. 1599. 3. a.1600.6. a.1603.9. a.1605.9.10.20. 26.38.a. 1611.14.

Ergà vinctos a. 1586. n.34. 36. a.1690. 11. a. 1594.39. a.1596. 28.30.a. 1600. 36. a. 1603. 6. a. 1611. 41. 1613. 11.

Ergà rudes & ignaros a.1581. n.23. a. 1586.12. a.1590. 14. a.1592. 25. Vide plura in Ver. Catechiſmi docendi ſtudium.

Ergà defunctos a. 1600. n. 29. a.1601.17. ã. 1603. 8. a. 1605.27.28. a. 1607. 28. a.1609. 36. a.1610. 1.38. a. 1611. 13.

Ergà inimicos an.1609. n.34. a.1611. 37. Vide plura in Ver. Iniuriæ ſanctè remiſſæ.

Charitatis in proximos opera varia an.1581.n.8. a. 1586. 23.30.31.34.38.a.1590.3.26. a. 1592.9.10.22.a.1594. 41.a.1597.3.a.1598. 12.a.1601.18.19.a.1603.2.a.1605. 44. a.1607.14.18. a.1608.4. a.1610.35.

Charitas fraterna Sodalium inter ſe. Paſſim, vt a. 1601.35. a. 1602. 24. a. 1603. 3. 9. a.1606. 13. a.1607. 12. a.1611.41.

Comœdorum ſpectacula vitanda a.1594, n.7.40.a.1601. 3. a.1603.10.

Crucifixi imago ſeipſam ter dimouẽs à pariete cui affixa erat a.1611.n. 33. De Crucis ac paſsionis Chriſti memoria recolenda an. 1581. nu.12.25.28. a. 1594.20. a.1596.38. V. in Ver. Hebdomada ſancta, & Ver. Meditatio rerum diuinarum.

D.

Deiparæ amor ergà Sodales an. 1613. n. 7. & paſsim, vt patet ex collatis in eos beneficijs, quæ ad hęc ferè capita reduci poſſunt.

A peccatis reuocat a.1586.n. 40. a. 1590.31. a.1600. 25. a.1601.2. a.1604.16. a.1608.2.27.a.1611.17.33.44.

A morbis liberat an.1586. n.18. a. 1590.12.24.a.1597. 16. a.1599. 10. a.1600.2. a.1601.27. a.1605.43.46. a.1606.19. a.1607.4.19.21. a.1608.8.22. a. 1609. 5. a.1610. 23. a.1611. 2. a.1612.8. a.1613.6.14.

A periculis varijs eripit a.1581.n.6.7. a.1586.2.22.26. a. 1590.1.8.9.23.31.32.a.1592.15.26.28.a.1594.1.14. a.1596.1.25.26.32.a.1598.4.a.1599.5.8.9.a.1600.35 a.1601. 5.12.20.28. a.1603.4. a.1604.8. a.1605.5.11. 23.24.a.1607.26.a.1609.37.a.1610.11.37. a.1611. 8. 45. a.1612. 5. 13.

In litteris iuuat an. 1592. n.18.a.1594. 36.a.1596. 29. a.1600. 17. a.1608. 26. a.1613.4.14.

Viſu ac præſentiâ ſuâ recreat an.1586.n.1.21.a.1590.13. 17.33.a.1592. 17. a.1596.18. a.1598.3. a.1602.37. a. 1605.43.a.1607.7.a.1609.24.27.a.1610.29.a.1611.1.17.

Deuotionis in Deum opera an. 1581. n.8.a.1586.17.29. a.1596.38.50. a.1600.21.28. a.1601.30. a.1602.4.a. 1603.17.26. a.1605.2.14. a.1606. 20. a. 1608. 10. a. 1611.23. Vide plura in Ver. Meditatio rerum diuinarum: & in Ver.Bacchanalia piè celebrata: & alibi.

Deuotionis inDeiparam exempla an.1581.n.24.a.1590. 32.a.1592.32.33.a.1596.37.39.1601.5.11.13.a.1602. 31. a. 1603.13.30. a.1604.24. a.1605.24.29. a.1606. 19. a. 1607. 27. a. 1609.9.26.a.1610.22. 29. a. 1611. 32. a.1612. 20.

E.

ELeemoſynæ diuinitus compenſatæ an.1586.nu.32. a. 1592.13. a.1598.15. Eleemoſynæ variȩ. an.1581.n 22. a.1586. 3.14.39. a.1594.6.41. a.1597. 13. Eleemoſynæ impertitæ Sodalitijs an. 1581. n.22. a.1586. 11. a.1590. 3.15. a.1596.37. a.1598.15. a.1603.30. a. 1604. 23. a. 1605. 35. a.1606. 15. 17. a. 1613. 11.

Excurſiones Sodalium in diuerſa loca pro ſalute animarum. a. 1581. n.23. a. 1586. 12. a.1597.17. a. 1607.33. 34. a.1609.40.

Exemplorum bonorum efficacia. an.1605. n.38. a. 1608. 17.19. a.1612.4. Vide Ver.Hæretici exemplo Sodalium conuerſi.

F.

FIdei tuendæ ac retinendæ ſtudium. an. 1586. n. 22.

26.a.1590.21.a.1592.7.20.24.a.1594.23.35.a.1596.
14.a.1600.15.22.a.1604.27.1606.5.1607.9.a.1610.25.
Funera Sodalium an. 1581. n. 15. a. 1592. 21. a. 1598. 16. a. 1608. 9. a. 1611. 40.

H.

HÆretici aut infideles Sodalium exemplo vel operâ conuerſi an. 1581. n. 9. a. 1586. 22. a. 1592. 24. a. 1594. 33. 35. a. 1596. 42. 48. a. 1604. 19. a. 1605. 38. a. 1606. 18. a. 1609. 32. a. 1610. 24. a. 1611. 6.
Hæretici libri combuſti aut piè ſubtracti an. 1581. n. 10. a. 1594. 32. a. 1600. 7. a. 1611. 19.
Hebdomada ſancta piè celebrata. an. 1581. n. 9. a. 1590. 16. a. 1596. 16. 20. 22. 23. 38. 42. 43. a. 1597. 2. a. 1598. 11. 13. a. 1600. 13. a. 1601. 39. a. 1603. 15. a. 1608. 20. a. 1613. 1.
Humilitatis exempla. an. 1581. n. 3. 24. a. 1586. 7. 19. 35. a. 1590. 3. 4. a. 1596. 38. a. 1599. 1. 4. 12. a. 1600. 12. 23. 24. 31. 38. a. 1601. 4. 21. 23. 33. 41. a. 1602. 2. 30. a. 1603. 5. 14. a. 1604. 6. 14. a. 1605. 4. 9. 25. 26. a. 1607. 2. 12. 30. a. 1608. 34. a. 1609. 21. 43. a. 1611. 5. a. 1613. 8. 9. 15.

I.

IEſu Chriſti primùm pueri, deinde crucifixi, apparitio ſalutaris an. 1581. n. 28.
S. Ignatius Sodales aliquos à periculis & incommodis liberat. an. 1601. n. 20. a. 1605. 14. 18. 37. a. 1609. 9. a. 1607. 31. a. 1608. 6. a. 1610. 31. a. 1611. 31.
S. Ignatius piè colitur à Sodalibus. an. 1600. n. 37. a. 1605. 12. a. 1611. 20. a. 1612. 1. 2. & alibi.
Iniuriæ ſanctè remiſſæ an. 1581. n. 1. 4. 24. 25. a. 1586. 2. 7. a. 1590. 10. a. 1594. 4. 10. a. 1600. 2. a. 1601. 13. 23. a. 1604. 14. a. 1606. 6. a. 1609. 38.

L.

M. Lutheri conuerſio ad fidem. an. 1603. n. 30.
I. Lipſij fœlix obitus an. 1606. n. 1.

M.

MEditatio rerum diuinarum an. 1581. n. 8. a. 1596. 50. a. 1607. 27. a. 1608. 10. a. 1610. 15. a. 1611. 21. 36.
Michaelis Ayatumi Sodalis Indi vita integra. In fine libri.
Mors ſancta quorundam Sodalium an. 1586. num. 1. 20. 28. an. 1590. 20. an. 1592. 14. 32. an. 1594. 17. 21.

a.1596.3.30.36.49.a.1597.11.14.a.1598.7.8.a.1600.6. a.1602. 21. 26. a.1604. 7. 11. 28. a.1605. 34.40.41.42.48. a.1606.1.3. a. 1607. 7.22. a. 1608.7.13.23. a.1609. 2.27. a.1610. 20.27. a.1611. 1.21.40. a.1612. 11. a.1613.5.

Mors quorundam repentina, ſed ſancta.an. 1608. n. 7. 1612.4. Vide vitā Michaëlis in fine libri, n. 21.

Mortificationis exempla varia.an.1581.n. 12.16.a.1586. 36. a.1590.6. a.1594.18.20.28.37. a.1596.13.16.20.38. 41.46. a.1599. 11. a.1600..10.32. a.1601. 39. a.1602. 27. a.1603.23.26. a.1605.3.21. a.1607. 6. a.1609.17. 1611. 27.

Mundi contemptus viſo mirabili perſuaſus vni Sodali an.1581.n.28. Eiuſdem contemptus exempla 1590.n.6. 27.29. a.1597.4. a.1604.14. a. 1605.18. Vide plura in Ver. ad Religioſam vitam vocationes.

O.

OBedientiæ exēpla an.1604.n.11.a.1607.2.a.1609.22.

Orationis efficacia an.1610.n.9. Vide Ver. Sodalium precibus multi à ſuis malis liberati.

De Oratione habes alia multa in V. meditatio. V. Deuotio.

P.

PAtientiæ Sodaliū exempla an.1586.n.11.33.35.a.1592. 17. a.1594.13. a.1596.21. a.1598.2. a.1599. 2. a.1600.5.a. 1604.1.9.13. a.1610.5. a.1611.46. Vide plura in Ver. Iniurię ſanctè remiſſæ.

Pietas multiplex Sodalium in communibus neceſsitatibus a.1592.n.1.21.a.1590.19.a.1596.46.a.1599.14.a.1600. 36.a.1602.12. a.1603.32. a.1604.19. a.1607. 8. 1610. 25.

Pietas Sodalium ergà Patrem Congregationis ægrotum, & defunctum. an. 1611.n.3.

Pietas in Deum & Deiparam. Vide Ver. Deuotionis in Deum opera, & Ver. Deuotionis in Deiparam exempla.

Purgatorio igne liberatus Parthenius orationibus vnius è Societate Ieſu an.1604. n.25.

R.

ROſarij Beatæ Virginis commendatio an.1586. nu. 26.

40. a. 1598. 17. a. 1600. 35. a. 1601. 14. a. 1602. 28. a. 1605. 36. a. 1612. 12.
Ad Religioſam vitam vocationes an. 1581. n. 26. 28. a. 1586. 4. 25. 1602. 39. a. 1605. 14. 15. a. 1611. 33.

S.

SAcramentorum frequentatio, paſsim vt a. 1602. n. 10. a. 1603. 17. a. 1604. 28. a. 1607. 7. a. 1609. 19. Ad Sacramentum pœnitentiæ, viſo quodam impulſus Sodalis an. 1586. n. 27. ad integrè confitendum alius, ibi. n. 40. & 1605. 14. per ſacramenta ritè ſuſcepta morbo leuatus alius an. 1596. n. 11. alius etiam in litteris adiutus an. 1602. n. 9. Deuotio ergà Sanctum Sacramentum paſſim, vt an. 1602. n. 4. a. 1604. 22. 28. 1607. 7. a. 1611. 4. 40.
Sancti multis Sodalibus auxiliantur. Deipara, vide in littera D. S. Ignatiꝰ in littera I. SS. Andreas & Apollinaris an. 1586. n. 1. S. Paulus ibid. n. 13. B. Staniſlaus Koſtka an. 1606. n. 8. B. Aloyſius Gonzaga an. 1608. 6. S. Leonardus an. 1607. 4.
Sancti menſtrui piè coluntur à Sodalibus an. 1590. n. 35. a. 1592. 3. a. 1598. 1. 17. a. 1600. 3. a. 1601. 16. 31. a. 1604. 14. a. 1605. 13. 40. 1607. 5. a. 1611. 25.
Sodalitatum B. Virgin. origo & inſtitutio. Præfat. n. 1. 2. 3. 4. Earumdem confirmatio per ſummos Pontifices ibid. n. 5. Vtilitates & encomia ibidem à n. 6. ad 11.
Sodalitatum quarumdam inſtituta, conſuetudines, & opera præclara an. 1581. n. 26. a. 1586. 29. 30. 31. a. 1590. 28. 1592. 9. 10. 11. a. 1594. 8. 27. a. 1696. 23. 44. a. 1598. 18. a. 1600. 32. a. 1601. 8. 9. 18. a. 1602. 24. 32. a. 1603. 22. 33. a. 1604. 21. a. 1606. 13. a. 1607. 27. a. 1608. 34. 35. a. 1609. 18. 21. 22. 42. a. 1610. 2. 3. 22. 32. a. 1611. 3. 26. 27. 36. 37.
Sodalium quorundam virtus eximia & ſanctitas.
Sacerdotum a. 1586. n. 17. a. 1592. 27. a. 1597. 17. a. 1599. 13. a. 1605. 26. a. 1610. 17. a. 1611. 36.
Nobilium, a. 1590. n. 6. a. 1592. 8. a. 1599. 13. a. 1602. 1. a. 1607. 29. a. 1609. 43.
Adoleſcentum aut puerorum an. 1590. n. 6. 28. a. 1597. 14. an. 1602. 2. 5. a. 1604. 11. 27. a. 1607. 18. a. 1609.

Digitized by Google

15.17.20.21.22.26.45. a.1610. 20.29. a.1612. 9.18. a.1613.5.

Opificum an. 1592. n.14. a.1594. 13. a.1603.19. a. 1608.33. a.1613. 2.

Sodalium indifferenter an. 1590. 30. a.1607. 2.10. a. 1608. 15.16. a.1611.39. a.1612.4.

Sodalitij deſertores & negligentes diuinitus caſtigati. a.1594 n.2.29. a.1596 35.47. a 1600. 30.39. a.1601. 3. a. 1603. 18. a. 1604. 9. a.1606. 10. a.1607.23. a. 1608 25.26. 1609.7.14.41. a 1610. 1.8.10.14.33. a. 1611. 15. 44. a.1612. 17.

Sodalitio expetito multi ab incommodis & periculis liberati. an. 1586. n.42. 1590.23. a.1594.15. a.1596.40. a.1598 6 a 1601 24. a.1602.3. a.1606.2. a.1607.13.16. a.1608.12.31. a 1609.10.11. a.1611.9.42. a.1612.14.

Sodalitij ingreſsu à morbis & malis liberati an. 1586. n.7. a 1599. 12. a.1602. 6. a.1604. 2.19. a.1605.7.

Sodalitij vel ſola recordatio vtilis an. 1581 n.24. a.1586. 11.37. a.1596. 8. a.1604. 13. a. 1605. 32. a. 1608. 1. a. 1610. 34.

Sodalitia maleuolorum vocibus & calumnijs laceſſita. an. 1594. n.23. a.1596.40. a.1604.31. a.1608. 5. a. 1609. 31.

Sodalitij munia etſi leuia, Deiparæ grata, magnique æſtimanda. an. 1590. n.25. a.1601. 12. a. 1602. 2. a. 1609. 5.43. a.1613.8.

Ad Sodalitium vocati ſpecialiter an. 1586. n.42. a.1590. 2.25. 32. a.1599. 15. a 1601. 2.24. a.1602. 22.37. a. 1604.30. a.1606. 14. a.1612.15.

Sodalium precibus multi à ſuis malis liberati an. 1581. n.17. a.1586.6. a.1590. 19. a.1598. 5. a. 1599. 8. a. 1600. 2. a 1602. 38.12. a.1603.1. a.1604. 5. a. 1605. 39. a.1608. 18.29. a 1610. 12. a.1612.7. a.1613. 10.

Sodalium amor & affectio pia in Sodalitium an. 1594. n.11. a. 1596.40 a.1602. 20. a.1603.30. a.1604.2.7. 31. a.1605. 8. a.1606. 19. a 1608. 32 a.1611.40.

Sodalium amor in B. Virginem a.1581. n.24. a. 1592. 32.33. a.1596.39.40. a.1601 5.11.14.26. a.1602.20. 31. a.1603. 30. a.1604. 31. a.1605. 24. a.1608. 32.

Digitized by Google

a.1609.9.29.a.1610.29. Vide Ver. proximè præcedens: & V Deuotionis in Deiparam exempla, littera D.
Sodalitio adſcripta perſonæ illuſtres an. 1581. n.5.11. 20.21. a.1586. 3.8.16.38 a.1592.8.19.a.1594.24.26. a.1596. 45. a.1597. 5. a.1598. 14. a.1600.3. a.1601.42. a. 1602.7.20.36. a. 1603. 16. a. 1604. 6. a. 1605.45. a. 1606. 17. a. 1607. 12. 28. a. 1608. 20. 1609. 23.
Sodalium feruor mirabilis. Paſſim, vt an. 1581. n. 26. a. 1596. 23. a.1602. 1. & ſequ. 1609. num.21. Hac de re vide multa in Verb. Mortificatio, Ver. Sodalium quorundam virtus & ſanctitas, Verb. Zelus animarum.
Sodalitatum quarundam ad Romanam aggregatio piè ac ſolemniter celebrata. an. 1594. n. 3. a. 1597. 13. a. 1606. 17.

V.

VAcationum tempus piè impenſum. an. 1609. n. 22. a. 1610. 32. & alibi.

Z.

ZElus ſalutis animarum in Parthenijs. an. 1581. n. 2. 11. 13. 14. 23. a.1586. 41. a. 1590. 27. 29. a. 1592. 23. 24. a. 1594. 27.28.34. a. 1596. 8. a. 1597. 17. a.1598. 12. a. 1601. 1. 18.32. a.1602. 5. 14. 29. 33. a. 1604. 18. a. 1605. 18. 47. a. 1606. 16. 18. a. 1607. 24. 32. 33. 34. 36. a. 1611. 7. 10. 28.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ERRATA SIC EMENDANDA.

PAg. 2. ſub med. *lege*, quo hæ Sodalitates. Pag. 65. circa med. credidit. Pag. 97. verſus fin. laſciuam. Pag. 115. ſub med. munuſculis. Pag. 119. ſub med. gaudijs. Pag. 126. ſub initium, Vnus. Pag. eâdem ſub med. feruidiùs. Pag. 130. verſ. finem, percepiſſe. Pag. 146. ſub med. Chriſtianiſmi. Pag. 150. ſub initium, admiratique familiares. Pag. 152. ſub initium, ſtudioſè. Pag. 156. ſub med. loquacis. Pag. 158. ſub med. cruciatibus. Pag. 164. ſub med. peruulgata. Pag. eâdem verſ. finem, quibus ille. Pag. 172. ſub med. olfactu. Pag. 193. verſ. finem, pallium. Pag. 204. ſub med. cogito. Pag. 225. in fine, qui. Pag. 246. verſ. finem, funderent. Pag. 321. ſuprà med. exultabat. Pag. 350. verſ. fin. lecto. Pag. 351. in med. de ſuo. Pag. 383. circa med. Rogat. Pag. 402. verſus fin. concipere. Pag. 414. in fin. alijs. Pag. 433. ſub med. alius. Pag. 436. circa med. nullâ interpoſitâ. Pag. 446. in princip. cui inciderat.

Digitized by Google